FATHERS' LIBRARY,
LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SANTA CLARA COLL.
Santa Clara, California

CASUS

CONSCIENTIÆ.

TOMUS III.

CASUS

CONSCIENTIÆ

DE MANDATO OLIM EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

PROSPERI LAMBERTINI,

S. R. E. CARDINALIS AC BONONIÆ ARCHIEPISCOPI

DEINDE SANCTISSIMI D. N. PAPÆ

BENEDICTI XIV.

PROPOSITI AC RESOLUTI.

APPENDIX TERTIA, QUARTA, QUINTA ET SEXTA

OPUS CONFESSARIIS OMNIBUS ATQUE ANIMARUM CURAM GERENTIBUS PERUTILE AC NECESSARIUM.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS III.

ANN. MDCCLXII. — MDCCLIX.

Property of
CLgA
Please return to
aduate Theological
Union Library
ATHERS' LIBRARY, ALMA COLLEGE
JOSEPH'S CHURCH,
ALMA, CAL.
239.6
LIBRARY
L176
Alma, California

LEODII,
EXCUDEBAT H. DESSAIN,
CANCELLARIÆ EPISCOP. TYPOGRAPHUS.
MDCCCLIV.

4013

Reimprimi permittimus.

Datum Leodii, 15° Julii 1853.

H. NEVEN, Vic.-Gén.

CASUS CONSCIENTIÆ

BONONIENSIS DIOECESIS

PRESBYTERIS

AD DISCUTIENDUM PROPOSITI, AC RESOLUTI.

ANNO MDCCLXII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Antequam celebretur Missa in Ecclesia Parochiali Rurali, ibi in die festo committitur homicidium. Cumque aliæ Ecclesiæ longe distent, anceps est Parochus, an non obstante homicidio secuto, possit in tali Ecclesia celebrare, ut populus Missam audiat. Qu. Quid proprie agendum a Parocho in isto casu?

Ut detur propositæ quæstioni locus, supponimus Ecclesiam Parochialem Ruralem, quæ ob admissum in ea homicidium polluta fuit, simpliciter benedictâm fuisse, non vero consecratam: alias extra omnem controversiam ab alio reconciliari non posset, quam a proprio Episcopo, nec huic etiam fas esset, facultatem hanc simplici Presbytero concedere, uti Gregorius Nonus in sua Decretali, quæ incipit *Aqua*, *de Consecratione Ecclesiæ*, expressissime præscribit: atque in hoc casu certum esset, non potuisse Parochum in ea Ecclesia etiam instante Ecclesiastico de audienda Missa præcepto celebrare, nisi præobtenta ab Episcopo facultate, quemadmodum extra locum ad id deputatum, ne quidem ut huic præ-

cepto satisfiat, non nisi accedente Episcopi consensu celebrandum esset, ut optime docet Angelicus Doctor 3. p. quæst. 83. art. 5, ad secundum hisce verbis : *Propter necessitatem tamen potest hoc Sacrum peragi in domibus non consecratis, vel violatis : sed tamen de consensu Episcopi.* Quid ergo dices in hypothesi, qua fuisset tantum benedicta? Si jus dumtaxat spectemus, dicendum foret, per simplicem Sacerdotem adhibita aqua benedicta, quam sanctam, sive lustralem vocant, reconciliari posse ; quod ipse Gregorius IX, in cap. *Si Ecclesia*, de Consecrat. Eccles. statuit his verbis, *Si Ecclesia non consecrata cujuscumque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur.* Nec ergo Episcopi licentia, aut auctoritas, cujus nulla fit mentio, nec aqua ab ipso Episcopo benedicta expectanda est, alioquin *protinus*, ut exigit Summus Pontifex, lavari haud posset, nec justus finis a Canone intentus : *Ne*, scilicet, sunt verba Canonis in cit. cap. *Si Ecclesia, Divinæ laudis organa suspendantur,* obtineretur, præsertim si ruralis Ecclesia, de qua agimus, plurimum a Cathedrali distaret. Spectato igitur solo jure, potuisset Parochus suam Ecclesiam aqua lustrali reconciliare, et statim Sacrum facere, urgente potissimum de audienda Missa præcepto, ac alterius Ecclesiæ distantia : quod quidem nedum approbat Lugo disp. 20, de Euch. sect. 2, num. 61, sed addit insuper num. 63, in fine : *Potest Episcopus dispensare ex causa necessitatis* (ad celebrandum scilicet in Ecclesia polluta) *et tanta esse potest necessitas, ut, si non sit recursus ad Ordinarium, possit absque ejus licentia celebrari, ut si populus in die festo non habet aliam Ecclesiam, in qua possit Missam audire.* Vel ergo Ecclesiam suam reconciliando, vel Episcopi facultatem ac dispensationem interpretando, ut suus populus Sacro interesset, potuisset Parochus Missam celebrare. Haud inconsulto diximus *spectato solo jure.* Etenim, si praxim ac consuetudinem Ecclesiarum consulas, aliter omnino dicendum est. Hæc enim viget in omnibus ferme Diœcesibus consuetudo, uti Doctores omnes de hoc argumento disserentes advertunt, quod pollutæ Ecclesiæ reconciliatio non fiat, nisi præobtenta ab Episcopo fa-

cultate. Consuetudo autem legitime præscripta est optima legum interpres, ac strictam obligationem inducit ex cap. *Consuetudo* dist. 1 et ex l. *De quibus* 32, *de legibus:* præsertim quod hæc ipsa praxis iis innitatur, quæ a Rituali Romano de Ecclesiæ reconciliatione præscribuntur his verbis : *Ecclesiæ reconciliatio fiat a Sacerdote ab Episcopo delegato* ; et satis congrua ratione comprobatur. Quemadmodum enim benedicendæ Ecclesiæ necessaria est Episcopi facultas : ita par est, ut et pro ea reconcilianda, si polluatur, eamdem exposcas ; quumque causa pollutionis Ecclesiæ, utpote Ecclesiastica ac spiritualis, ad Episcopum pertineat, statimque ipsi sit denuntianda, ut ipse decernat, quid in ea opus sit ; satis congruum est, ut Ecclesiæ ejusdem reconciliatio, quæ pollutionem quodammodo consequitur, non nisi consulto et approbante Episcopo fiat. Huic consuetudini adherens Sacra Rituum Congregatio die 9 Febr. 1608, in Cameracen. decrevit *reconciliationem hanc posse Presbytero committi in Ecclesiastica dignitate constituto.* A quo sane nisi ab Episcopo? Parocho igitur abstinendum erat a Missæ celebratione, donec ab Episcopo facultatem, aut pro reconcilianda Ecclesia, aut saltem pro Sacro faciendo obtinuisset. Neque profecto Sacri audiendi necessitas, uti ex Angelico præceptore didicimus, ea est, ut vel præsumendum sit in hoc rerum eventu Episcopum indulgere, ut in Ecclesia polluta celebraretur : vel Ecclesia ipsa, inconsulto Episcopo, propria auctoritate a Parocho reconcilietur ; sicuti corruente Ecclesia, hæc ipsa necessitas impar esset, interpretandæ Episcopi licentiæ, ut Missa celebraretur extra locum ad id deputatum. Parochi igitur munus erat in casu proposito populum admonere, sibi a Sacro faciendo ob Ecclesiæ pollutionem abstinendum, donec ab Episcopo ejusdem reconciliandæ facultatem obtinuisset, eumque ad Sacrum audiendum ea die non adstringi, nisi aliam Ecclesiam adire posset.

CAS. II.—Recogitans Titius in amaritudine animæ suæ præteritos annos, venit in cognitionem, quod aliquando confessus est cum actu amoris Dei pro actu doloris ;

quandoque absque proposito formali, bene vero cum virtuali; quod denique aliquando acceptavit pœnitentias medicinales, cum animo tamen eas non implendi. Unde nunc dubitans de earum valore, consulit Parochum, an illas Confessiones teneatur repetere. Quid ei respondet?

Ad primam propositi casus partem respondeo, iterum subdenda esse clavibus ea peccata, quæ Titius solo actu amoris Dei elicito confessus est. Etenim simplex ille divini amoris actus, contritionis ad pœnitentiæ Sacramentum necessariæ defectum supplere non potest: nam de hoc Sacramento loquens Trid. Syn. sess. 14, cap. 3, asserit actus pœnitentis esse quasi illius materiam, ac inter hos actus subdit cap. 4, *primum locum Contritionem habere, quæ animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Quibus sane verbis infertur, actualem Contritionem esse partem essentialem Sacramenti, cujus proinde vicem supplere haud potest simplex actus amoris Dei. Etsi enim verum sit, Deum vere diligi non posse ab eo qui peccatum odio non habet, atque adeo simpliciter saltem elici contritionis actum, cum actus elicitur amoris Dei; tamen necesse est, ut contritio tanquam par Sacramenti pœnitentiæ sit vera, actualis, explicita, ac exterior, quum sit, ut ait Concilium, *quasi hujus Sacramenti materies*, quæ profecto non sufficit, ut aliorum Sacramentorum exemplo facile comprobari posset, si tantum virtualis sit, ac implicita; præsertim quum simplex ille amoris actus et actualis peccatorum detestatio duæ res sint omnino dissimiles, quod patet in Beatis, qui semper habent divinum amorem, et quoad habitum, quum docente Apostolo 1. Corinth. cap. 13. *Charitas numquam excidat*, nec tamen ullam vel habere possunt de peccato præterito contritionem, ut affirmat Angelicus Doctor in supplemento quæst. 4, art. 3, his verbis: *Animæ . . . post hanc vitam, quæ in patria sunt, contritionem habere non possunt propter gaudii plenitudinem.* Invalide ergo Titius ea peccata confessus est, consequenter ea iterum confiteri debet, ut directe ac sacramentaliter ab iis absolvatur. Dixi di-

recte, nam si post eam Confessionem aliam Confessionem Sacramentalem valide instituisset, indirecte jam fuissent ea peccata ei dimissa, quum certum sit, peccata invalide. non quidem sacrilege, in antecedenti Confessione exposita, per aliam Confessionem validam, quæ fiat postea, vere remitti. Est communis apud Giribaldum de Pœnit. Sac. cap. 4, dub. 1, num. 4.

Aliter tamen, ratione ab ipso Tridentino Conc. desumpta, respondendum censeo ad secundam casus partem. Siquidem loco jam adducto *contritio*, inquit, *est animi dolor, ac detestatio cum proposito non peccandi.* Hoc autem propositum, inquit Sylvius in suppl. S. Thomæ part. 1, art. 1, quæst. 1, conclus. 10, *non est de essentia, ut si formale et expressum, ac proinde potest esse vera contritio, quamvis illud non sit nisi implicitum* : quod hic Theologus exemplis probat e Scriptura depromptis subdens : *Hic facit, quod David* 2, *Reg.* 12, *ubi dixit : Peccavi Domino, et in Ps.* 50, *ubi pœnitentiam egit, non legitur formasse expressum propositum de non peccando ulterius, uti nec Filius prodigus ad Patrem redire cupiens, Lucæ* 15, *nec Publicanus, Lucæ* 18, *nec Latro, Lucæ* 23. Sufficit ergo, ut propositum illud implicitum sit, ac virtuale, quale profecto est in eo, qui ex animo peccata sua detestatur. Quis enim aliquid ex animo detestari potest, quin simul sibi proponat, non amplius idipsum admittere? aut quis sincere sibi dolere potest de furto v. g. ut est Dei offensa, quin affectum ad id omne, quod est offensa Dei, deponat? Titius ergo, qui sua, ut poterat, peccata detestatus, hoc pacto ad Sacramentum accessit, ejusdem fructum reapse consecutus est; quamobrem non tenetur iterum eadem peccata Sacramentaliter accusare. Est pariter communissima.

Ad tertiam partem respondeo, nullas fuisse, ac sacrilegas eas Confessiones, ac propterea iterandas. Etsi enim non desint Doctores a Giribaldo loco jam citato cap. 12, n. 54, relati qui tuentur, neminem teneri ad acceptandam pœnitentiam, ut aiunt, vindicativam, quod nempe sese paratum dicat ad luendam pœnam temporalem peccatis adhuc debitam, Deoque satisfa-

ciendum, vel mediis Indulgentiis, quæ tam frequentes tunc temporis sunt, vel etiam Purgatorio igne; ac propterea, si eam quis acceptet, cum animo ejusdem non adimplendæ, ad istorum DD. mentem non peccet. Attamen, si de pœnitentia medicinali loquamur, quæ ut ait Trident. cap. 8, ejusdem sess. *de satisf. necess.* et *fructu*, a peccato revocat, et quodam quasi fræno coercet, ac vitiosos habitus male vivendi tollit, quemadmodum a Confessario, ut suo munere, nedum Judicis, sed et Medici rite fungatur, imponenda est; ita et Pœnitenti onus incumbit ejusdem et acceptandæ et adimplendæ; secus frustratoria esset, ac futilis hæc in confessario potestas, et nulla lex a Trid. PP. ipsi imposita. Peccavit ergo Titius in ipsa actuali Confessione eas pœnitentias medicinales acceptando cum eo pravo animo ipsas non adimplendi, proindeque Confessiones illæ nullæ fuere, ac sacrilegæ, suntque innovandæ, nisi forsan ob ignorantiam ipsum excusatum velis. Est communissima.

CAS. III. — Sæpe contingit ordinari Missas pro aliquo Defuncto ad Altare privilegiatum. Qu. An hisce oneribus ibi satisfiat cum Missis Vivorum, cum possunt celebrari *de Requiem*, et an illæ sint æque utiles Defunctis, ac istæ?

Ad primam partem propositi dubii respondendum est negative. Quamquam enim in Apostolicis litteris, quibus olim altaria privilegiata declarabantur, cautum non fuerit, utrum Missa ad eadem Altaria celebranda pro Defunctis esse deberet *de Requiem*; hinc disputatum fuit, an pro comparandis Indulgentiis hæc Missa requiratur, an alia quælibet sufficiat, quod postremum defendit, ut alios omittam, ipse Fagnanus in cap. *Quidem* n. 13 et seq. de celebrat. Missar.; nunc tamen omnis dubitandi causa sublata est, quum iisdem litt. referente Bened. XIV, tum in sua Institut. 14, secundi Voluminis § 27, tum in opere de Sacrificio Missæ lib. 3, cap. 13, quibus Altare Privilegiatum conceditur, expresse Missa quoque *pro Defunctis* decernatur. Certum ergo est, quum Missæ possunt celebrari *de Requiem*, oneribus non satisfieri,

quibus Missæ præscribuntur pro aliquo Defuncto ad Altare privilegiatum, nisi speciale aliud obtineatur Indultum, quod concessum fuisse, sed non nisi difficillime, ab Urbano VIII, jam ad Pontificatum evecto, illi Altari, quod suis sumptibus, quum adhuc S. R. E esset Cardinalis, ædificari curaverat in Ecclesia Cleric. Reg. de Urbe, refert Pasqualigus de Sac. Missæ quæst. 731, num. 5, ac novissime, teste Cavalieri de Missis Defunctorum quotidianis cap. 27, Tom. V. Commentariorum in authentica Sac. Rit. Congr. Decr. a Sac. Congr. de Indulgentiis sacrisque Reliquiis, die 20 Julii 1751, id ipsum statutum fuit, Bened. XIV, approbante, quum Missa celebratur ad Altare Privilegiatum, in quo est expositum SS. Sacramentum sive in Ostensorio, sive in Ciborio, tametsi ea Missa de semiduplici vel de voto, vel de feria celebretur. Solum igitur suboriri poterat dubium : an idem onus impleri saltem valeat iis diebus, quibus per Rubricas eæ Missæ celebrari haud possunt. Sacra Rituum Congr. anno 1662, ipso Benedicto XIV, locis adductis referente, declaravit, in hoc casu privilegium hoc non minus suffragari animabus in Purgatorio existentibus per Missas *de festo currenti*, ac si *de Requiem* celebrarentur. Quod quidem Decretum confirmavit Alex. VII, ac servandum omnino voluit, licet per Testatores Missæ ad Altare Privilegiatum decernantur, et Clemens IX extendit ad quæcumque Altaria Privilegiata sive perpetua, sive ad septennium tantum, sive certis solum per hebdomadam diebus : quumque Innocentio XI propositum fuerit, an quæ decreverant Alex. VII, et Clemens IX, quoties impedimentum festi duplicis contigerit, servanda eadem essent iis etiam diebus, quibus Missæ pro Defunctis prohibentur, etsi festum duplex non celebretur, id Summus Pontifex approbavit, ac Decretum super eadem re editum anno 1714, promulgari jussit, quod Clemens XI confirmavit.

Ad secundam partem audiatur Angel. Doctor. in 4, dist. 45, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 1, ad 1. *Ex parte Sacrificii Missa æqualiter prodest Defuncto, de quocumque dicatur ; ex parte tamen Orationum magis prodest*

illa, in qua sunt Orationes ad hoc determinatæ. Si quis plura ad rem præsentem exoptat, Pasqualigum consulat de Sacrific. Missæ quæst. 287, in qua plura de hoc argumento disserit.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Sempronius ex contractu usurario, bona tamen fide facto cum Titio, lucratus est centum, quorum quinquaginta eidem vergenti ad inopiam titulo eleemosynæ donavit. Nunc certior factus de usura, petit a Confessario, an in restitutione facienda tuto detrahere, ac computare possit ea quinquaginta dono data. Quid respondet Confessarius?

Respondendum censeo a Confessario, non posse Sempronium certiorem factum de usurario contractu a se inito cum Titio, in restitutione, ad quam tenetur, tuto ea quinquaginta, quæ Titio, ad inopiam vergenti elargitus fuerat in eleemosynam, detrahere ac computare, sed ipsi omnia centum, quæ usurarie lucratus est, restituenda esse. Quæ enim Titio elargitus fuit, ejus inopiæ sublevandæ ad Charitatem erga proximum pertinent, ejusque sunt veluti actus. Quæ vero eidem debet ob usurarium contractum, spectant ad justitiam commutativam, suntque illius virtutis actus. Quum ergo actus Charitatis, qui est omnino liber, ac purum donum, et beneficium, non sit certe justitiæ commutativæ actus, qui est omnino debitus et stricta obligatio: respiciunt siquidem diversum objectum, et ab alio formali motivo proficiscuntur, ut omnes norunt, quæcumque Sempronius ex commiseratione Titio ad inopiam vergenti dono dedit, nulla ratione inter ea, quæ ob eum contractum restituenda sunt, computari possunt, vel debent. Dices forsan, in Debitore, quicumque is sit, animum semper esse, ac voluntatem saltem generalem suis debitis satisfaciendi, si ipsi innotescerent. Hic ergo animus et Sempronio fuerat, cum ea quinquaginta tradidit Titio, quare actum Charitatis exercens, etiam justitiæ, si quæ in ipso aderat obligatio, satisfacere intendit. Et certe si hoc debitum ipse

novisset, quis id inficias eat? Ast bona pace voluntas hæc generalis in præsentia non sufficit. Etenim elargitio pecuniæ non est medium determinatum ad satisfaciendum, quale esse deberet, ut generalis ac implicita hæc voluntas par esset satisfactioni, sed æque significare potest aut meram Eleemosynam, vel donum, aut restitutionem, solutionemque debiti : quamobrem ut actus justitiæ sit, determinari debet, vel a cognitione debiti cum voluntate satisfaciendi, vel saltem ab expressa hac voluntate, si debitum innotesceret. Voluntas autem, quæ fuisset, et non est, nil omnino operatur. Quod si instes, hanc expressam voluntatem satisfaciendi non requiri, quemadmodum non requiritur in audiente Missam intentio satisfaciendi præcepto; dicam, Ecclesiam non præcipere nisi intentionen audiendi Missam, ut præceptum de Sacro audiendo adimpleatur; at actus justitiæ commutativæ essentialiter exigit eam intentionem satisfaciendi debitis, quum secus talis non esset. Neque juvat addere, hæc omnia vera esse, si mala fides in eo contractu interfuisset, at Sempronius bona fide eumdem inivit, ut dicitur in casu. Bona siquidem fides ipsum excusat a peccato : sed non sufficit, ut actus Charitatis si etiam justitiæ commutativæ, quemadmodum ad restitutionem desideratur. Ita Sanchez *lib.* 1, *sum. cap.* 13, Layman *lib.* 3, *tract.* 2, *cap.* 12, *num.* 9. Gaspar Hurtado, et alii apud Giribaldum *de Restit. lib.* 5, *dub.* 3, *n.* 15.

CAS. II. — Vendit Agricola juga Boum numerata sibi medietate pecuniæ, et pro altera medietate servat sibi dominium supra Boves usque ad acceptum completum pretium. Qu. An iste contractus sit licitus?

Affirmandum censeo. Etenim uti observant Gratianus Discept. For. cap. 523, num. 2 et 3, et Sperel Decis. 119, num. 16, rei venditæ dominium nunquam in emptorem transit, nisi quum hic, quod constitutum est, pretium vere solverit, l. *Quod vendidi* 19, *ff. de Contrah. Empt.* § *Vendite*, ita ut ne sufficiat quidem, si pars ejusdem soluta fuerit, ut rei venditæ dominium acquiratur in ea saltem parte, quæ soluto pretio re-

spondeat, uti docent Bartolus in l. *Fistulas* 78, § *qui fundum ff. de Contrah. Empt.* Alex. de Nevo *cons.* 121 et alii ab eodem Gratiano citati loco jam adducto. Hinc communiter docent utriusque juris Doctores, ac Theologi, posse Venditorem citra ullam falsi suspicionem rem jam uni venditam alteri vendere, si primus in mora fuerit et pretium non solverit statuto tempore, idque, etiamsi res ipsa ei tradita jam fuisset, quod nempe ea traditio par non fuerit transferendo in ipsum dominio, quod adhuc perfecte in venditore perseverat, donec integrum pretium solutum fuerit, vel de eo jam data sit fidejussio, vel pignus, vel æquivalens, aut saltem pretium habitum fuerit pro soluto. Poterat igitur Agricola absque ulla in emptorem injuria, vel justitiæ læsione, ea Boum juga alteri reapse vendere accepta medietate pretii, ac sibi servare pro alia parte in Boves eosdem dominium, donec completa fuerit pretii solutio. Neque porro necesse fuerat, ut ea dominii reservatio in conventionem reduceretur, quum pactum hujusmodi nil contineat, affirmantibus Abbate *cons.* 160, *n.* 1, *in fin. lib.* 1, et Surdo *decis.* 220, *n.* 13, nisi quod jus ipsum commune statuit, ac sit ex Baldo *in rubr. C. de contrahend. empt. num.* 13, veluti naturale ipsius rei pretium, adeo ut nil amplius adderet contractui, aut ejusdem naturam immutaret, etsi exprimeretur.

CAS. III.— Delato Defuncti cadavere ad Ecclesiam, canitur pro eo Officium et Missa Defunctorum, ac postea *Libera me*, *Domine etc.* Qu. An ad illum Versiculum *A porta inferi*, qui canitur tam post primum Nocturnum, quam post istud Responsorium, debeat responderi: *Erue*, *Domine*, *animam ejus*, an vero *animas eorum*; et an in fine Cantores dicere debeant *Requiescat*, an vero *Requiescant in pace*?

Assero ad eum Versiculum: *A porta inferi*, post primum Nocturnum dicendum esse, *Erue*, *Domine*, *animas eorum*: post Responsorium vero respondendum, *Erue Domine*, *animam ejus*: in fine autem a Cantoribus dicendum, *Requiescat in pace.* Nec moror in hac assertione probanda, quum expresse ab ipso Rituali Romano

jussu Pauli V. edito, cui omnibus parendum est, *tit. de Officio Defunctor.*, præscribatur, ut facile legenti constabit.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Ut Vitalis expeditior sit ad laborandum in die, facit cœnam in Quadragesima summo mane. Qu. An licite ?

Quum non omnes qui corporaliter laborant, ut ex Propos. 30, ab Alexand. VII, anno 1666 proscripta evidenter infertur, excusandi sint a lege jejunii, procedit, quod quæritur dubium in ea hypothesi, in qua opera a Vitali cum labore exercenda paria non sint eodem ab hac lege eximendo, quod quidem supponitur et in ipsa casus expositione, quum dicatur, *cœnam facit ;* quod sane indicat unicam refectionem facere, in qua potior jejunii pars consistit. Hac facta suppositione, quum certum sit jejunium, sive veteris, sive novi fœderis, semper horam habuisse, aut lege, aut consuetudine præfinitam, qua semel in die comedendum sit, dubitari haud potest, quin nulla urgente causa, potuerit Vitalis horam hanc ad sui libitum anticipare, suam cœnam summo mane faciendo. Tametsi enim non semper eadem hora jejunium solutum fuerit in Ecclesia, et usque ad sæculum quartumdecimum non nisi vespere Christi fideles jejunium solverent, nunc vero hora sexta, scilicet in meridie : neque hæc determinata hora computanda sit, ut inquit Angelicus Doct. *Secundum subtilem examinationem*, id est modo mathematico, ac individuo : *Sed secundum grossam*, sunt ejus verba, *æstimationem*, id est morali modo; *sufficit enim*, ut ipse explicat, *quod sit circa horam nonam* : possitque etiam nunc non solum absque ulla culpa, sed cum majori etiam merito differri hæc jejunii solutio usque ad nonam, vel vesperum ; quod jejunium hujusmodi magis congrueret antiquæ disciplinæ, nemini tamen fas est absque aliqua justa causa notabiliter horam hanc prævenire, idque omnes Theologi una voce affirmant. Acerrime tamen disputant inter se se, num qui id faceret, leviter solum, an etiam graviter peccaret;

et quilibet pro sua sententia tuenda pluribus decertat. Sane ut colligitur ex cap. *Solent distinct.* 1, *de Consecrat.* antiquitus jejunare non censebantur, qui comestionis horam anticipabant. En Canonis verba deprompta ex Con. Cabilonensi : *Solent plures, qui se jejunare putant in Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam comedere, qui nullatenus jejunare credendi sunt. si ante comederint, quam vespertinum celebretur officium.* Quemadmodum igitur tunc gravis culpa erat in die jejunii horam pro unica refectione sumenda definitam anticipare; sic nunc temporis culpa gravis erit horam hanc recenti consuetudine statutam notabiliter antevertere : siquidem tametsi hæc Ecclesiæ disciplina variationem aliquam passa sit, et quandoque tempore vespertino, quandoque postmeridiano, nunc autem meridiano horam illam alligaverit, semper tamen obstricti fuere fideles ad eam observandam in solutione jejunii. Primis Ecclesiæ sæculis graviter peccare censebantur, qui ante solis occasum cœnam sumebant. Usque ad sæculum quartumdecimum ejusdem gravis peccati rei habebantur, qui ante nonam horam notabiliter jejunium solvebant. Quid ni ergo graviter peccare judicandi sunt, qui etiam nunc notabiliter præfinitam horam antevertunt ? Hoc ipsum universo populi Christiani consensu confirmat Cajetanus 2, 2, quæst. CXLVI, art. 7. *Communis*, inquit, *animi conceptio Christianorum est, quod comedens summo mane in die jejunii non jejunat: quod patet ex hoc, quod quilibet Christianus videns aliquem summo mane comedentem dicit, Ipse non jejunat. Ex hoc . . . . . evidenter patet, quod hora consueta comedendi pro jejunio, quacumque hora sit, illa est de necessitate jejunii.* Jam vero si hora hæc de jejunii necessitate est, nec jejunat, qui eam antevertit, gravis etiam peccati hic ipse incusari debet. Non me latet, quid respondeant adversantis sententiæ Patroni, hanc scilicet horam non ad substantiam pertinere jejunii, sed ejus esse quamdam veluti conditionem, nec jejunii fini officere, quacumque hora solvatur jejunium, modo unica fiat refectio. Deinde quemadmodum fas est comestionem postponere per duas, aut tres horas, cur nefas erit eam

anticipare? Verum admittimus utique, horæ determinationem non esse jejunii essentiam, sed ejus veluti conditionem. Sed quid inde? Num propterea poterit pro uniuscujusque libito anteverti? Quis hoc dicet? Tria igitur in jejunii lege præcipiuntur, nempe unica comestio, abstinentia a certo ciborum genere, et hora comedendi. Non negamus quidem duo prima principaliter imperari. Sed nemo neget etiam tertium sub præcepto cadere. Quum ergo certum sit, etiam istud reapse ab Ecclesia præcipi, sive per modum conditionis præcipiatur, sive per modum substantiæ, servan'um est. Hinc habes responsum ad secundum, quod dicunt. Quamvis enim hæc horæ anticipatio non adversatur, (quod tamen non ita facile quis concederet) fini jejunii, nempe corporis afflictioni; pugnat tamen sive cum lege, sive cum consuetudine Ecclesiæ comestionis horam præfinientis, siquidem jejunium semper habuit horam præfinitam, sive vespertinam, sive pomeridianam, sive meridianam, quod quum unice ab arbitrio Ecclesiæ pendeat, cuique liberum esse non potest pro sui arbitrio invertere ac immutare, secus quæ esset in Ecclesia confusio? Neque sane eadem est ratio de prorogatione ejusdem horæ, ac de anticipatione. Nec enim unquam vetitum fuit solutionem jejunii producere, sed solum antevertere : in productione abstinentiæ ac temperantiæ virtus maxime elucet, in anticipatione persæpe intemperantiæ vitium fovetur. Quamobrem in primitiva Ecclesia, in qua jejunium solvebatur ad vesperas, fas erat ad secundam etiam, ac tertiam diem illud protrahere; nefas vero vel unicam ante solis occasum horam anticipare. Sed jam expensis hoc pacto utriusque sententiæ momentis, quum neutra mihi videatur manifesta et evidens, primam veluti probabiliorem amplector. Ad omnem autem æquivocationem, aut etiam errorem vitandum, clariusve percipiendum hujus sententiæ, quam probabiliorem existimo, sensum, adverte non quamcumque horæ anticipationem mortalem esse, sed eam solam, quæ notabilis sit, puta unius horæ, quum in communi æstimatione integræ horæ spatium vere tempus notabile constituat. Animadvertas etiam velim, anticipationem hanc non spectare punctum astrono-

micum meridiei, sed tempus illud, quo communiter juxta Regionis consuetudinem jejunium solvitur. Nec enim omnes Regiones in hoc conveniunt; ac in Helvetia, uti ferunt, ex recepta et immemorabili consuetudine, integra hora ante meridiem communiter a Catholicis solvitur jejunium. Qui ergo absque ulla causa per integram horam consuetum propriæ Regionis jejunii solvendi tempus anteverteret, probabilius graviter peccaret; quod quum fecisse supponatur Vitalis, summo enim mane cœnam fecit, nisi munia et officia exercenda, (ad quæ ut expeditior fieret, tam notabiliter tempus hoc antevertit) id exegissent, quod quidem non proprio arbitrio, sed prudentis ac bene cordati viri recto judicio ac consilio fuerat determinandum, gravis culpæ probabilius accusandus videtur.

CAS. II. — Pluries audivi, posse dari casum, quo Confessarius non privilegiatus nequeat directe absolvere sanum a reservatis, bene vero indirecte. Qu. 1. Quænam sit absolutio directa, et quænam indirecta? 2. Quandonam absolutio indirecta queat proprie impertiri?

Resp. Utut nonnulli ex antiquis, ut Cajetanus, Soto, aliique affirmaverint, posse indiscriminatim Confessarium carentem potestate in reservata directe pœnitentem absolvere a non reservatis, et indirecte a reservatis; vera tamen et communior sententia Recentiorum negat extra casum necessitatis fieri id posse. Quandoquidem Confessio Sacramentalis jure divino integra sit oportet: talis autem non est, quoties omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, clavibus Ecclesiæ non subjiciuntur, quemadmodum sane non subjicerentur in hoc casu, quum Confessarius dictis clavibus, seu potestate solvendi a reservatis careat, nullaque jurisdictione potiatur in pœnitentem reservatione ligatum. Quamobrem nec reservata, nec non reservata dimittere potest. Solum ergo in necessitatis casu id præstare valet. Quum enim reservatio in ædificationem sit, non in destructionem, et evenire facile possit, ut quis absque vel infamia, vel gravi scandalo nequeat a sumenda Eucharistia se abstinere, vel differre Confessionem, aut Confessarium privilegia-

tum adire, merito præsumendum est, hunc necessitatis articulum Superiorem ita excepisse, ut permittat pœnitentem, qui sit vere dispositus, a quocumque Confessario absolvi posse, ei tamen imposito onere tempore opportuno adeundi Superiorem. Quæ quidem præsumptio ex eo etiam clarissime deducitur, quod cum omnes Ecclesiæ Præsules sciant, a Theologis celebrioribus satis communiter edoceri hanc absolutionem, urgente necessitate, etiam extra mortis articulum, impertiri posse, hancque sententiam ad praxim etiam a simplicibus Confessariis frequentissime deduci, non reclamant tamen, nec hactenus reclamarunt; quin in hac nostra Diœcesi expresse quodammodo approbarunt; quum in ultima Synodo lib. 2, cap. 5, de Pœnitentia hæc verba habeantur: *Indirectam absolutionem nec tollimus, nec improbamus.* Ex his habes, quod sit hæc absolutio, et quando licite impertiri possit, quæ duo proponuntur. Licite enim impertiri haud potest nisi urgente necessitate, ut ea probant, quæ jam diximus, et pro hac nostra Diœcesi evidenter ostenditur, quod allatis verbis subdit statim ultima Synodus: *Ubi non subsit physica, vel moralis impotentia, remittant pœnitentes ad idoneos Confessarios.* Et merito quidem. Quemadmodum enim non nisi urgente necessitate, ne scilicet reservatio vergat in damnum fidelium, possunt Episcopi per accidens absolvere a reservatis ipsi Papæ, ex cap. *Mulieres*, et cap. *Quamvis de sententia excom.* ita et congruum est, ut hæc facultas, quæ ex interpretativo consensu Præsulum absolvendi indirecte a reservatis exercetur, nonnisi articulum necessitatis respiciat, præsertim cum et eamdem causam habeat, et ab eo exemplo forte procedat. Est autem hæc absolutio, licet indirecta, vera peccati remissio etiam reservati, quæ veluti necessario consequitur ex absolutione directa eorum, quæ reservata non sunt. Quum enim in præsenti providentia unum peccatum lethale nequeat sine alio remitti, quum unum vere remittitur, omnia remittantur oportet; onus tamen pœnitenti imponitur adeundi Superiorem, vel Privilegiatum pro obtinenda absolutione directa.

CAS. III. — Celebrans solemniter in Sabbato Sancto

omittit legere majorem partem Prophetiarum. Qu. An peccet?

Resp. affirm. Id autem colligo ex Decreto Sacræ Rituum Congreg. die 21 Martii anno 1744, in una Bergomen. Quum enim ab ea quæsitum fuerit, utrum in Sabbato Sancto pro collatione Sacrorum Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum Prophetiis, ut in Missali, celebrare? Responsum fuit, *Missam collationis, etc. incipiendam esse a Prophetiis, quæ omitti non debent etiam attenta consuetudine immemorabili*: et anno 1755, die 12 Aprilis in una Lucana eadem Sacra Congregatio respondit, *ante quam Missam*, scilicet Sabbati Sancti, *Prophetiæ omitti non debent.* Et revera apud Gavantum part. 4, tit. 10, de Sabbato Sancto n. 17. *Prophetiæ* vocantur Missæ hujus diei Introitus ab Ugone Victorino de Miss. observ. lib. 3, cap. 24. Quemadmodum ergo qui aliis diebus Introitum omitteret, revera peccaret; ita peccati reus adjudicandus est, qui solemniter celebrans hac die non legit submissa voce Prophetias. Merito propterea Bened. XIV, cum hanc regeret Metropolitanam Ecclesiam, omnibus Parochis indixit, *ut in suis Ecclesiis*, sunt ejus verba in Institut. 49, lat. editionis, et n. 19, 2, vol. Vernaculæ nostræ, *Majoris Hebdomadæ ritus celebrent, ac Sabbato ipsius Hebdomadæ Sacrum faciant, ignem et cereum illo die consecrent, et nihil eorum prætermittant, quæ in Missali Romano describuntur.*

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Confessarius pluries monuit puellam, ne amasio permittat oscula et amplexus. Advenit nunc in die Paschatis, ac iterum confitetur de basiis et amplexibus pluribus ab ipsa denuo permissis. Renuit Confessarius pro tunc illam absolvere: at ipsa subdit, se advenisse cum Matre, jam suspicante de aliquo gravi ab ea commisso, quod certum judicabit, si non videat ipsam accedere ad Communionem. Quid aget Confessarius cum hac Pœnitente in ista circumstantia?

Resp. Quum certum omnino sit ex propositione 61, ab Innoc. XI. proscripta die 2 Martii anni 1679, neminem absolvendum esse, *qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere*, non potest sane Confessarius puellæ, de qua quæritur, absolutionis beneficium impendere. Etenim eam in occasione proxima peccandi, et quidem voluntaria versari nemo ambiget. Quis enim neget, oscula et amplexus cum amasio esse peccata lethalia? Aperte enim Alexander VII. die 18 Martii 1666, hanc propositionem num. 40, damnavit : *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, ac pollutionis.* Et quidem peccata sunt, etiamsi puella hæc, et ejus amasius sponsi essent de futuro. Tametsi enim Sponsalia via sint ad Matrimonium, nullum tamen in alterius corpus jus conferunt, vel dominium : Qua ergo ratione vetita est Sponsis copula ob privationem dominii, eadem quoque vetita sunt illis oscula, et amplexus quæ ad ipsam copulam disponunt. Ex alia parte frequenter oscula hujusmodi et amplexus permisit, quam sæpius a Confessario reprehensa nunquam resipuisse dicatur, et quidem voluntarie, ac libere; poterat enim ab iis, si voluisset, abstinere, aut Matrem admonendo, aut amasii conversationem saltem secretam pro viribus fugiendo, aut etiam clamando. Ad hæc enim tenebatur. Debet igitur prudens Confessarius absolutionem ei denegare, eamque monere, ut omni studio et arte sese ab Eucharistiæ Sacramento abstineat, nulla etiam habita ratione scandali, vel infamiæ, quam sibi imminere censet, si ad sacram mensam non accedat; sæpissime enim hæc scandala ac infamiæ finguntur, quum ne levis quidem subeat eorum suspicio : deinde multo pluris interesse debet, ut animam suam quis salvam faciat, quam aut honori, aut etiam vitæ suæ consulat. Quod si puella hisce rationibus non moveatur, atque declinandæ infamiæ huic, ad Sacram Synaxim accedere omnino velit, eam instruere poterit, ut animæ suæ consulat, ac si nullus esset Confessarius, contendens nimirum omni animæ suæ conatu, ut actum

veræ contritionis eliciat, quemadmodum adstringeretur ad eum eliciendum Parochus, qui lethalis peccati reus ad declinandam infamiam, vel scandalum evitandum deficiente Confessario celebrare deberet. Dixi instruere poterit, si accedere omnino velit: Siquidem ego puto, nunquam esse etiam in hac circumstantia consulendum, ut ad eam accedat, ne suis reddatur suspecta, sed potius Confessarius eam disponat ad ea inquirenda media, quibus possit, et famam servare, et ab Eucharistia abstinere.

CAS. II. — Exposito a Revenditrice, quod minutim vendendo confecit notabilem summam ex furtulis, factis variis ac ignotis personis, Confessarius eidem imponit, ut restituat faciendo pro damnificatis celebrare tot Missas, quarum celebrandarum onus sibi assumit eo pacto, ut infra tot dies ipsa ei deferat eleemosynam duodecim Bononenorum pro qualibet Missa. Rectene id peragit Confessarius?

Resp. Confessarium male se gessisse. Quamquam verum sit pœnitentem multorum furtulorum reum, quæ ignotis personis fecit, ad restitutionem esse adigendum, et quidem sub gravi, posita notabili quantitate, ut colligitur ex Propositione 38, ab Innoc. XI. damnata, cumque fieri hæc restitutio non possit iis, quibus res sublatæ fuerant, restituendum esse, vel pauperibus in eleemosynam, vel in pios usus, ac propterea etiam in Missarum celebrationem ad spiritualem eorum, qui vere domini sunt, profectum et salutem, idque ex præsumpta eorumdem voluntate, ut communiter docent Doctores: attamen male se gessit imponendo mulieri, ut infra tot dies ei eleemosynam deferret duodecim Bononenorum pro qualibet Missa a se celebranda. Districte enim vetitum est in hac nostra Diœcesi Confessariis omnibus, et quidem sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incurrenda, *ne stipendia sibi*, sunt verba Lambertinianæ Institutionis 92, latinæ editionis, et num. 4. V. Voluminis Vernaculæ editionis Bononiensis, *vel Ecclesiis suis tribuenda capiant pro Missis, quibus ipsi, vel alii Sacerdotes in iisdem Ecclesiis sa-*

tisfaciant, quod quidem maxime cohæret iis, quæ in Instructione ad Confess. p. 4, act. Eccl. Mediolanen. præcepit S. Carolus Borromeus hisce verbis : *Cum pro pœnitentia Missas injunxerit, sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat : quod idem servabitur in restitutionibus incertis, in votorum commutatione, aliisque hujusmodi . . . . ut nec minimam avaritiæ labis suspicionem contrahat.*

CAS. III. — Traditione constat, quamdam Ecclesiam Parochialem fuisse consecratam ; ast ignoratur tum dies, cum annus hujusce consecrationis. Qu. An Parochus ejusdem possit facere Officium et Missam talis Dedicationis ?

Resp. affirmative, præfixa tamen prius, et assignata ab Ordinario ejusdem solemnitatis die. Sic enim expresse decrevit Sacra Congr. Rituum die 27 Novemb. 1706, in Ferentina. Quum enim in ea Cathedrali Ecclesia, utpote in pluribus locis restaurata, et magna in parte penitus renovata, de illius Consecratione signa nullibi apparerent, aut aliæ probationes existerent, *adhuc quia in præteritum festum Dedicationis fuerat celebratum*, censuit *Sac. Rit. Congr. non indigere nova Consecratione, et statuit Dedicationis festum posse transferri ab Episcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam.* Aliud simile eadem Sacra Congreg. statuit anno 1619, die 18 Augusti in Alexand. hisce verbis : *Non potest celebrari festum Consecrationis illius Ecclesiæ, quam certum est non fuisse consecratam, vel dubium est. Si autem constet de Consecratione, et ignoretur dies, potest Ordinarius assignare diem pro festi illius celebratione.* Quum ergo in nostro casu, licet dies et annus Consecrationis ignoretur, traditione tamen constet, fuisse consecratam, quod alias tale festum celebratum fuerit, secus hæc traditio firma non esset, poterit Parochus dedicationis festum peragere, assignata tamen ab Episcopo, ac præfixa die non amplius immutanda.

MENSE MAII.

CAS. I. — Defunctis parentibus, non remansit Puellæ nisi frater uterinus, qui cuidam familiæ inservit, et Patruus, in cujus domo ipsa alitur. Si hæc alicui nubere velit, ad quem Parochum spectat illius Matrimonio assistere?

Resp., ad Patrui Parochum spectare. Quum enim Puella, de qua agimus, non habeat domicilium Paternum, aut Maternum; defuncti enim jam sunt ejusdem Parentes; neque Fraternum; Frater enim uterinus, (quod sane in hoc casu dicendum esset, quamvis foret verus Frater, aut ambo essent utrinque conjuncti) quum alteri inserviat, proprio caret domicilio, in quo jure suo utens possit Sororem recipere, si hæc cum Patruo vivere, ac morari nollet. Neque enim ratione famulatus jus habet, ut etiam Soror secum ad habitandum recipiatur in domo suorum dominorum, sed ipsi soli tale jus est, vel tempore præfixo ac convento, ut solent rustici, vel donec a dominis dimissus fuerit, extra omnem controversiam est, illius Matrimonium coram Parocho Patrui, cum quo moratur, celebrandum esse, eo ferme modo, quo, uti decrevit Bened. XIV. gloriosis. recordat. in sua Institutione n. 15, secundi Vol. edit. Bonon. et trigesima latinæ versionis n. 16, ex Decreto Congr. peculiaris per Clementem XI, delectæ die 11 Januarii 1720, et ab ipso Summo Pontifice oraculo vivæ vocis confirmato, Virgo, quæ in monasterio educationis gratia degit, si domicilio careat Paterno, Materno, ac Fraterno, contrahere debet Matrimonium coram eo Parocho, in cujus ditione Monasterium constituitur, et etiam famulæ, ut n. 17, ipse sapientissimus Pontifex addit juxta Romani Cleri Statutum cap. 5, § 21, præfato domicilio destitutæ contrahere debent coram Parocho, sub cujus Parœcia sita est domus, quam inhabitant sui domini.

CAS. II.—Deliberate dubitavit Sempronius, an Christus vere sit in Eucharistia, estque dubius, an præfatum

dubium etiam externaverit. Qu. An quilibet Confessarius valeat illum absolvere ?

Resp. Positiva ac deliberata voluntate dubitantem de aliquo nostræ fidei articulo, veluti hæreticum censendum esse certo constat ex cap. 1, *De hæreticis*, in quo expresse hæc habet Stephanus : *Dubius in fide est infidelis.* Neque in dubium revocari potest quemcumque hæreticum, si hæresim suam aliquo exteriori signo manifestaverit, sciveritque hæresi adnexam esse excommunicationem, et reservationem Papalem in illa Apostolica Constitutione contentam, quæ singulis annis feria V. Cœnæ Domini promulgatur : Dixi autem, *si aliquo exteriori signo hæresim suam manifestaverit, sciveritque, etc.* Etenim Ecclesia sicuti non potest per se, directe, et immediate præcipere, aut prohibere, actum mere internum, ut cum Angelico Magistro p. 2, quæst. 91, art. 4, et quæst. 100, art. 9, docent communiter Doctores ; ita non potest hæresim, quæ in exteriorem actum non prodit, censura perstringere : quumque absolutio ab hæresi sit Summo Pontifici reservata tantum ratione censuræ eidem adnexæ, ut ipse Bened. XIV. in suo Opere de Synodo lib. 9, cap. 4, num. 6, advertit, utut aliquoties sibi etiam reservet peccatum aliquod absque ulla excommunicatione adnexa, ut reapse fecit ipse Benedictus XIV, in sua Constit. quæ incipit, *Sacramentum pœnitentiæ* § 3, contra falso sollicitationis insimulantes innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos judices : excommunicatio autem ab ignorante non incurritur : In præsenti disputatur, an Sempronius sciens hæresi adnexam esse censuram, deliberate dubitans, an Christus vere sit in Eucharistia, et pariter an hujusmodi dubium externaverit, inciderit in Papalem reservationem ? De Episcopali enim nulla esse potest contentio : siquidem communissima est, ac vera Theologorum sententia, peccata dubia ab Episcopis non reservari, cumque ea sibi reservata volunt, id clare etiam exprimere. Ad quæsitum ergo respondeo, probabilius in reservationem incidisse, sicque non posse a simplici Confessario absolvi. Etenim Clemens VIII, anno 1601, die 9 Januarii, prohibuit omnibus Confessariis etiam privilegiatis in Italia

degentibus, *ne quis*, sunt Decreti verba, *eorum sub prætextu Privilegiorum ab ullo ex casibus clare, vel dubie in Bulla in Cœna Domini . . . . contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, vel reservandis absolvat.* Nec poterit ergo absolvi casus qui proponitur, quum revera dubitetur, an ea Constitutione contineatur ratione dubii, quo Sempronius angitur, an hæresim suam patefecerit. Non me latet, plurimos Doctores contrarium sentire iis innixi principiis, quod, quum reservatio sit odiosa, non est extendenda ad casus dubios; sed ad solos claros, et certe reservatos arg. cap. *Odia* 15, *de regulis juris in* 6 ac in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius est *l. Ea quæ* 192, *ff de regul. juris*; præsertim quod Clemens VIII, anno sequenti, quum aliud ediderit Decretum quodammodo moderativum prioris, in eo non amplius casus dubios expressit: quamobrem priorem prohibitionem videtur sustulisse. Verumtamen bona pace istorum Doctorum, admissis etiam iis principiis, ab eorum opinione recedendum censeo, quum, posito laudato Clementis Octavi Decreto, clare reservetur casus, de quo agimus, neque in dubiis simus, ut benigniora præferenda sint. Etenim tametsi in secundo suo Decreto non meminerit Summus Pontifex casuum dubiorum, quum tamen, quæ corrigere ac moderari voluerat, aperte expresserit, ut illud legenti facile constabit, nil autem addiderit de prohibitione absolvendi a casibus dubiis; quod sane fecisset, et quidem expresse, si hæc illi fuisset mens, quemadmodum alia expressit, quæ moderari intendebat; evidens est, eam prohibitionem, quam in priori Decreto constituerat, sartam tectamque voluisse.

CAS. III. — Sergius in ultimo suo testamento elegit sibi sepulturam in Ecclesia A, simulque reliquit pingue legatum Ecclesiæ, in qua suum corpus humabitur. Post ejus mortem, non obstante dicta electione, orta est lis circa locum sepulturæ, unde ipsius corpus tumulatum fuit in Ecclesia tertia, simul cum aliis corporibus, a quibus discerni nequit. Qu. An Ecclesia A, in cujus favo-

rem causa definita est, possit prætendere restitutionem Cadaveris; et dato, quod non, cuinam Ecclesiæ debeatur pingue legatum?

Ad primam partem respondeo negative. Quamquam enim Cadaver in rigore juris extra Ecclesiam, in qua sepeliri debeat, positum, restituendum sit, si petatur, propriæ Ecclesiæ, cui etiam omnia emolumenta occasione ejus sepulturæ percepta reddenda sunt, ut ex pluribus Decretis relatis a Cavalieri, præsertim sub num. 216, infertur, potissimum si fuerit sepultum in loco, aut capsa separata, ac ejus intuitu relictum fuerit Ecclesiæ tumulanti annuum legatum: attamen, quum alio Decreto ab eodem relato sub numer. 218, habeatur: *Non tamen convenit restitui, si fuerit sepultum a multo tempore, et maxime si cum aliis corporibus, ut difficulter possint ejusdem ossa discerni*, sequitur in praxi saltem ob convenientiam non posse Ecclesiam A prætendere illius Cadaveris restitutionem.

Ad secundam partem censeo, legatum solvendum esse Ecclesiæ, in qua de jure sepeliendum erat Cadaver. Siquidem, si ex dictis reddenda ei sunt emolumenta ob sepulturam percepta, eodem jure solvi ei debet legatum; Ecclesiasticæ enim sanctiones decernentes restituenda emolumenta nil aliud intendunt, nisi Ecclesiam, cui de jure deberetur Cadaver, ab omni præjudicio indemnem reddere, ac vindicare. Neque sane id esset contra mentem Testatoris relinquentis legatum Ecclesiæ, in qua suum corpus humabitur, quum Ecclesiam designans pro sepultura. Ecclesiam quoque designaverit, cui intendebat suum beneficium elargiri: ac sicuti non electa sepultura legatum ad eam Ecclesiam spectaret, in qua de jure esset sepeliendus, ita hac electa ad hanc spectare debet. Ita cum Cavalieri tom. 2, fol. mihi 357.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Emptus fuit ager ab Ecclesia cum pacto de retrovendendo. Qu. An possit retrovendi absque assensu Apostolico?

Resp. Quamvis Riccius in sua praxi p. 1, decis. 52, et Navarrus in 1 p. sum. de alienat. n. 4, negativam opinionem doceant, censemus nihilominus cum Bordono resol. 17, quæst. 4, num. 8, Donato quæst. 61, Bossio num. 150, in tomo 3, tit. 18, in exposita retrovenditione nullum requiri Apostolicum assensum. Etenim hujusmodi retrovenditio, quum in instrumento venditionis, ut certe supponendum est, et ipse etiam casus affirmare videtur, pactum retrovenditionis expressum fuerit, non est libera, vel indebita, sed omnino coacta, ac debita : velit enim, aut nolit, etiam a Judice, quicumque acquisierat cum eo pacto, ad retrovendendum cogi potest. Neque sane æquum est ac honestum in re tam evidenti ac certa, actorem ad tribunalia compellere, quibus indignum videbitur, Ecclesiasticos ab initis contractibus tam facile recedere sub eo vano prætextu, quod ipsi recurrendum sit ad Romanam Curiam pro obtinendo assensu. Addit Bossius, retrovenditionem in hac hypothesi, non esse novum contractum, sed prioris veluti præsentem resolutionem et complementum. Cur ergo novæ requirentur juris solemnitates?

CAS. II. — Juvenis quidam, valde devotus D. Antonii, vovit jejunare in die illius festum præcedente. Qu. An si talis dies incidat in Dominicam, teneatur jejunare hac die ?

Resp. negative, cum commun. Theol., teste ipso Concina lib. 4, in Decal. diff. 2, de Voti oblig., nisi expresse intenderit, Dominicam diem etiam includere. Tametsi enim, uti expresse docet Angelicus Doctor in 4, dist. 15, quæst. 3, art. 3, quæst. 2. si quis, ut carnem suam et concupiscentiam validius perdomaret, ac spiritui subigeret, continuum jejunium voveret, continenter etiam diebus Dominicis observandum, secluso scandalo, aut fidelium admiratione, validum ac prudens esset votum. Quot enim ex una parte viri sancti continuum jejunium, Dominicis ipsis diebus inclusis, non servaverunt? Ex alia vero non amplius viget error Manichæorum, qui jejunium diebus Dominicis indixerant in contemptu Resurrectionis Christi Domini. Tamen, quum ex Ecclesiæ

laudabili consuetudine occurente, die Dominico, aliquo jejunio, prævenire illud solcat, ac die Sabbato observari, nisi Juvenis noster expresse in suo voto etiam hunc diem comprehenderit, non tenetur eo die ad jejunium, sed poterit illud prævenire, ac antecedenti Sabbato observare. Si enim vovens, dum vovit jejunare, illud jejunium exequi tenetur, quod præscribit Ecclesia, cum votum sit lex privata, cujus mensura est lex communis, nisi voventis intentio aliud determinet: si, inquam, in jejunii qualitate ad Ecclesiæ morem sese conformare debet, quidni, et quoad tempus, quo Ecclesia expediens et congruum ducit esse jejunium? Quamobrem communissima Theologorum sententia est, eum, qui per mensem integrum vovisset jejunare, non teneri ad jejunandum diebus Dominicis, quod nempe quisquis jejunium vovet, illud jejunium promittit, quod observat Ecclesia, nisi oppositum expresse declaret; Ecclesia autem die Dominico ne in Quadragesima quidem jejunare solet.

CAS. III.— Plures Sacerdotes, quum sacris paramentis induti e Sacristia celebraturi procedunt, solent se signo Crucis munire. Qu. An id rite fiat?

Resp. Si Rubricam Missalis consulamus, dicendum videtur, id non rite fieri. Etenim hæc sunt Rubricæ verba: *Sacerdos paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem . . . tenens dexteram super Bursam, facta reverentia Cruci, quæ est in Sacristia, capite cooperto accedit ad Altare:* nec ulla hic fit mentio Crucis efformandæ, aut in egressu a Sacrario, aut in ingredienda Ecclesia, cujus profecto meminisset, si efformanda esset, quum alia omnia, quæ peragenda sunt, ad amussim describat. Addit Cavalieri tom. 2, cap. 12, de Missæ Sacrificio n. 3, ne convenire quidem, quod ritus iste observetur. Facile enim esset, si Sacerdos, sumpta aqua lustrali, e Sacristia discedens celebraturus se signo Crucis muniret, ut bursa in superiori parte coinquinaretur, quod sane incongruum foret, ac indecorum. Hinc neque Gavantus, nec Quarti, aut Castaldus de aqua benedicta tunc suscipienda mentionem faciunt, quos etiam secutus est Angelus Seraphinus de Florentia

in suo Rituali recenter edito, nempe anno 1753, ac gloriosissimæ semper record. Benedicto XIV. P. M. nuncupato. Verum si communem praxim ac consuetudinem attendas, non ita facile ritum hunc improbabis, quem a castigatioribus etiam Rubricistis, atque a morigeratioribus Sacerdotibus religiose observatum agnosces. Hinc ad fores cujuscumque Sacrarii, atque in limine ipsius Ecclesiæ vasculum ad hunc finem aqua lustrali, vulgo sancta, instructum ubique reperies. Neque obstat, nullam de hoc ritu fieri a Rubricis Missalis, aut Ritualibus mentionem. Quot enim consuetudines, tametsi nullibi præscriptæ sint, absque ulla noxa servantur, retinenturque? Quin ex mente ipsius Tridentini Concilii si sint legitimæ, ac laudabiles, retinendæ omnino sunt, ac custodiendæ : *Si quæ*, inquit in Decreto de Reform. sess. 24, cap. 1, ad finem, *Provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri S. Synodus vehementer optat :* et tamen omnia minutim hic explicaverat, quæ ad Matrimonii celebritatem pertinebant. Et merito quidem. Ut enim ait Augustinus in Epist. 54, ad Januarium, *nec disciplina ulla est in his*, quæ nempe liberam habent observationem, qualis profecto est ritus, de quo agimus, *melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum.* Ubi ergo hæc consuetudo servatur, ut Sacerdotes e Sacrario egredientes Missam celebraturi sese muniant signo Crucis, religiose id præstet quilibet alius, et laudabiliter id faciet; ubi vero non servatur, ab ea sese abstineat, nec alios reprehendat. Ad illud vero inconveniens, quod objicit Cavalieri, facile respondetur, id venire ex incuria Sacerdotum, quorum aliqui ad Altare accedunt non sine maxima ipsius etiam inservientis admiratione, ne dicam scandalo, manibus omni ex parte sordidis et inquinatis; alii vero ex inadvertentia et oscitantia totam ferme manum, et omnes certe digitos in lustralem aquam immer-

gunt, quumvix supremam indicis partem in eam leviter intingere deberent. Utrumque ergo hoc absurdum attente ac religiose devita, et objectum inconveniens, quod sane non leve esse, ac etiam frequentissime evenire non diffitemur, facillime defugies.

MENSE JULII.

CAS. I. — Uxor habet virum, qui nunquam laborat, et fere quotidie furatur. Qu. An possit ex bonis, quæ suus Vir furatus est, comedere, vestire, etc.?

Resp. per se loquendo negative. Siquidem apertissime ac mala fide particeps fieret furti, reique injuste a Marito surreptæ, quum optime noscat se de bonis a Viro suo furto sublatis comedere, ac vivere. Quamobrem, sicuti qui mala fide res furto surreptas a latrone titulo donationis acciperet, peccaret utique, eique onus incumberet restitutionis; ita manducans res furto sublatas, eisque utens, ut vestiatur, alaturque, revera peccat, et suo etiam modo ad eas restituendas adstringitur. Dices forsan, Uxori jus esse ad alimenta per Virum ipsi præstanda; quare iis rebus, quæ furto a Marito quotidie surripiuntur, non utitur, nisi alimentorum loco. Extensis manibus assumptum amplector. Ast perfracte inficior illatum. Num ergo fas erit Marito ad alendam Uxorem res alienas surripere? Quis id affirmabit? Jus igitur habet Uxor ad sua alimenta, sed in bonis Mariti, non aliorum. Quare per se loquendo rebus, quas hic furto surripit, nec vesci, nec vestiri, nec alia ratione sustentari potest. Dixi per se loquendo: necessitate enim compellente, vel alio justo titulo poterit a peccato per accidens excusari. Ita comm. DD.

CAS. II.— Confitetur Fabius peccatum certo commissum, de quo tamen dubitat, quod jam alias illud confessus sit. Qu. An sit necesse hoc dubium simul exponere?

Resp. negative. Siquidem Fabium jam alias peccatum illud confessum fuisse, non immutat peccati malitiam,

nec quoad speciem, ut per se patet, nec quoad circumstantiam necessario in Confessione aperiendam. Etenim peccatum illud jam in Sacramentali Confessione fuisse expositum, clavibusve Ecclesiæ subjectum, notabiliter non mutat Confessarii judicium, ita ut Pœnitenti onus incumbat hoc dubium, quod habet, an de eo jam se accusaverit, exponendi: neque ergo, quoad circumstantiam aliquam in Confessione necessario aperiendam immutatur. Et revera ipse Suaresius, qui docet etiam circumstantias non mutantes speciem exponendas esse in Pœnitentiæ Sacramento, non agnovit tamen obligationem hujusce dubii declarandi, quum Tomo 4, in 3 p. disp. 22, sect. 9, n. 2, in fine aperte affirmet, neminem teneri explicare hoc dubium, quia factum est certum, et an fuerit jam confessum, nec ne, nihil refert ad præsentem Confessionem, ita etiam tenent Sanchez in Sum. lib. 1, cap. 10, n. 71, et alii passim.

CAS. III. — Sacerdos celebraturus est Missam Defunctorum. Qu. An sicut omissurus est *Gloria Patri etc.* in fine Psalmi *Lavabo*, ita omittere debeat *Gloria Patri* ad illos Psalmos, qui pro opportunitate Sacerdotis in præparationem commendantur?

Resq. negative. Etenim nullibi Rubrica præscribit omittendum esse illum Versiculum ante Missam Defunctorum, quin oppositum potius ex ea infertur; nam tit. I de ritu servando in Missæ celebratione num. I, hæc habet: *Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat:* nulla prorsus exceptione facta, quam sane fecisset, si ex ejus mente omittendus esset ille versiculus, præsertim quum alio titulo exactissime et ad amussim præscribat, quæ dicenda, quæque omittenda sint in Missa Defunctorum, neque dictum Versiculum excipit in fine psalmorum, qui in præparationem Sacerdotis dici solent, sed dumtaxat in fine psalmi *Lavabo*. Et quemadmodum non omittitur versiculus *Gloria Patri* in fine Psalmorum Matutini, quod ex Rubrica præmittendum est etiam Missis *de Requiem*; ita nec omittendus in fine illorum psalmorum, qui non sunt nec pars ipsius Missæ, nec suffragia pro Defunctis, ut est Psalmus *La-*

vabo, sed ad alium finem diriguntur, nempe, ut Sacerdos ea qua par est animi devotione ac fervore disponatur ad tantum Sacrificium Deo Patri offerendum. Ita Quartus in Rubr. Miss. p. 2, tit. 13, dub. 1., et Cavalieri tom. 2, cap. 12, de Missis defunct. num. 1.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Quamvis Sempronius advertat, quod aderant Pater, Mater, et Frater Titii, contra hunc protulit multas graves contumelias, absque rationabili causa. Qu. Quot, et quæ peccata commiserit?

Resp. Duas partes amplectitur proposita difficultas, nempe et quot peccata commiserit eas contumelias proferendo Sempronius, et quæ. Primæ ut respondeam, peto, an Sempronius Patrem, Matrem, et Fratrem Titii, ipsumque Titium respexerit collective, uti v. g. integra familia respicitur Religiosorum, ex plúribus Religiosis hominibus constituta : vel distributive singulos considerando, prout ex majori, minorive animadversione poterat evenire. Si primum dicas, censeo, non nisi unum numero peccatum commisisse. Equidem, tametsi personæ, ad quas contumeliæ ab ipso prolatæ dirigebantur, plures revera sint, quum tamen collective sumptæ se habeant ac essent unica persona, attenta potissimum sanguinis conjunctione, reapse unicum dumtaxat numero peccatum constituunt. Si secundum, dico tot esse peccata, quot sunt personæ quæ aderant. Etenim statim ac distributive considerantur, una ab alia reapse distinguitur ac separatur, prout in rerum natura distinctæ ab invicem revera sunt, ac separatæ. Quamobrem, sicuti in rerum natura quatuor sunt, ita et quatuor erunt numero peccata a Sempronio commissa, et quidem gravia, quum graves adversus Titium contumelias protulisse Sempronium, propositus casus affirmet. Ita docet Giribaldus de Pœnit. cap. 7, n. 26. Dixi, *quatuor numero peccata*; nam si de peccatorum specie loquamur, et jam ad secundam partem propositæ difficultatis solvendam deve-

nimus, unicum dumtaxat specie peccatum commissum fuisse affirmandum. Siquidem omnes illæ contumeliæ, quæcumque fuerint, etsi differant attenta diversa qualitate personarum Patris, Matris, ac Fratris secundum magis et minus, ut aiunt, tamen sub unica eademque formali ratione conveniunt auferendi lædendique honorem proximi. Quamobrem, sicuti qui furaretur unico actu eodemque tempore aurum, argentum et æs, unicum specie peccatum committeret, quod nempe res ablatæ materialiter tantum quoad furtum different, non vero formaliter; ita et in re nostra, ac propterea Sempronius in Confessione satis peccati, vel peccatorum, si plura numerice fuissent, speciem exprimeret, si se hoc pacto Sacramentaliter accusaret: *Proximum gravibus contumeliis affeci.* Ita cum eodem Giribaldo in 8. Decal. præcepto cap. 2, n. 5.

CAS. II. — Titius mala fide emit equum a fure, potente verum dominum reficere, eumque postea revendidit personæ ignotæ. Nunc fur factus est impotens restituere, novitque Titius quinam esset dominus equi a se empti. Qu. An ipsemet Titius teneatur huic reficere damnum?

Resp. affirmative. Siquidem certo certius est, rem alienam, ad quemcumque hæc transierit, et ubicumque fuerit, semper vero domino esse restituendum, semperque ad ipsum clamare dominum, qui eamdem potest sibi semper, et a quocumque vindicare. Quamobrem equus mala fide a Titio emptus hac lege et onere ad ipsum veluti ad emptorem transire. Nec enim latro poterat in Titium equi a se venditi dominium transferre, quum dominium hujusmodi non haberet, ac nemo possit alteri, quod ipse non habet, elargiri, ut commune fert proloquium. Quum ergo latro impar omnino sit factus vero domino compensando, omni dubio procul ad id emptor ipse tenetur, aut eumdem equum, si adhuc apud ipsum est, restituendo, aut ejusdem pretium, si illum vendidit, quum per malam fidem, qua emit, omnem in se transtulerit latronis obligationem. Ita cum Angelico Doctore I. 2, art. 6, in corp. Jo. Medina C. de rebus restit. quæst.

10, concl. 2. Sotus lib. 4. de Just. et jure quæst. 62, art. 6, et in summa ver. *Restitutio* cap. 1., et alii communissime. Neque dicas hanc obligationem inesse secundo emptori, cui Titius ipse equum vendiderat. Ad summum enim ad id teneretur secundus emptor, si nosceret equum illum fuisse furto sublatum, et jus haberet ad pretium exigendum, recuperandumque a Titio, qui illud titulo naturalis evictionis, eidem erogare statim deberet. At quum secundus emptor supponatur omnino ignotus, pretium, quod a Titio ob evictionem ei erogandum esset, vero domino solvendum est, hæcque ei inest stricta obligatio ob malam fidem, qua emit, cujusque vi omnem in se transtulit ipsius latronis obligationem. Dixi, *ad summum:* non desunt enim Auctores magni nominis tum Theologi, tum Jurisconsulti, qui sustinent, secundum emptorem, si bona fide emisset, tuta conscientia reddere posse illum equum primo emptori, ut pretium ab eo recuperaret, nec teneri eum vero domino restituere, præsertim si alia via se indemnem servare haud possit.

CAS. III. — Cum Missa Defunctorum quandoque celebretur sub ritu duplici, nempe cum unica Oratione: Qu. An tunc Antiphona, quæ præmittitur Psalmis ac precibus in præparatione Sacerdotis, dici pariter debeat sub ritu duplici, hoc est, tota et integra, quamvis festum sit semiduplex?

Resp. negative, tametsi Gavantus p. 2, tit. 1, litt. C. contrarium sentiat cum Tonello. Ratio autem est, quod illi Psalmi non Missæ, sed Officii ritum atque rationem videntur sequi. Quamobrem etiamsi Missa celebretur *de Requiem*, aut *de Passione*, in eorum fine versiculus adhuc dicitur *Gloria Patri*, qui sane dicendus non esset, si Missæ ratio in iis recitandis habenda foret. Et revera Rubrica ipsa dumtaxat præcipit repetendam esse, ac duplicandam more Officii duplicis illam Antiphonam, cum Officium celebratur de festo duplici. Ita Cavalieri de Missis Defunct. cap. 12, num. 1. Bonacinus, Bauldri, Cæremoniale Papæ, Labner, Arnaudus apud a Portu num. 3, folio 2. in fine.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Mortuo Marito, nulla hujus supersunt bona, sed debita. Qu. An Uxor teneatur ista solvere cum sua Dote, si fuerunt contracta ob ipsam, et familiam alendam?

Resp. Duplex est sententia : prima affirmat facta hypothesi, quod Maritus tempore, quo debita contraxit ad Uxorem alendam, pauper esset : Siquidem paupertatis tempore non tenebatur Vir Uxorem alere, sed Uxor potius Virum, si hæc bonis abundaret sive dotalibus, sive paraphernalibus. Quid namque magis dissonum naturæ, quam quod duo tam arcto naturæ societatis vinculo juncti in sustentandæ vitæ necessitate sese invicem juvare recusent? Debita ergo hoc tempore contracta in utilitatem cedunt ipsius Uxoris, ac propterea ex hujusmodi debitis quodammodo hæc facta est ditior. In hypothesi vero quod Maritus, cum ea debita contraxit, dives fuisset, secus dicendum esset ob contrariam rationem. Secunda sententia negat, hancque defendunt Salmanticenses tract. 24, cap. 4, p. 3, num. 64. Etenim, inquiunt, Creditores, quibus Maritus ex pecuniis verb. grat. mutuo acceptis satisfecit, non tenentur illam pecuniam reddere mutuantibus : nec ergo Uxor ad eam reddendam ex bonis propriis adstringitur, quamvis inops Maritus eamdem in ea alenda insumpserit, præsertim cum in Marito paupere tametsi onus suspendatur Uxoris alendæ ob impotentiam, non tamen penitus extinguitur. Deinde nonne Maritus, qui mutuas accepit eas pecunias, ut Uxorem aleret, verum in eas jus acquisivit, earumdemque Dominium? Ejus ergo debitum est personale, ac debitoris morte extinguitur, nec ad alios transit. Ita argumentantur hujus sententiæ Patroni, Sanchez, Molina, Trullenchus, Bonacina, et alii. Mihi tamen longe probabilior videtur prima sententia, ac lumini naturali etiam conformior, in ea tamen hypothesi, quod vere Maritus esset inops, cum ea debita contraxit ad Uxorem alendam, et Mulier bona haberet sive dotalia,

sive paraphernalia. Etenim in hac suppositione ipsa Uxor ad alendum virum teneretur, ut allata ratio invicte suadere videtur, atque etiam ex adversariorum doctrina satis clare deducitur. Siquidem si paupertas, fatentibus Salmanticensibus, suspendit in Marito hoc debitum, liber ergo Maritus evadit paupertatis tempore ab alenda Uxore, quin hæc, paupertate premente, ob conjugale vinculum, de suis bonis, si haberet, Maritum ipsum sustentare tenetur. At reviviscit, inquies, in Marito hoc debitum, statim ac pecunias habet mutuo acceptas vel ipso paupertatis tempore. Quæro, si Maritus furto surriperet pecunias in Uxore alenda expendendas, tenereturne Uxor dives ditior facta ad eas restituendas? Non puto id negari ab aliquo. Jam vero, cum Maritus inops pecunias mutuo accipit, suæ conscius impotentiæ ad eas reddendas, an non mutuantem decipit, ac reapse furatur? Uxor ergo, quæ bonis abundare supponitur, pecuniis alitur injustitia acceptis. Qua igitur ratione exempta erit et immunis, ne id restituat, in quo facta est ditior? Et sane, si jure societatis Matrimonialis adstringitur Uxor ad alimenta Marito præstanda in casu necessitatis, quod nemo inficias eat, peccat profecto, dum hujus immemor obligationis Maritum ipsum cogit ad pecunias mutuo accipiendas, quibus ipsa cum eo sustentetur. Porro ea debiti suspensi, et non extincti, sed reviviscentis dictinctio, bona pace suorum auctorum ad rem præsentem subtilis quædam speculatio mihi videtur. Nec enim in Marito reviviscit, aut reviviscere unquam potest debitum decipiendi mutuantem mediis pecuniis furto sublatis; pecuniæ autem mutuo acceptæ ab eo, qui se certo cognoscit imparem ad eas reddendas, quasi furti rationem induunt. In ea ergo suppositione probabilius arbitror Uxorem ad solvendum teneri, in ea saltem parte, in qua facta est ditior, in ea scilicet, in qua sua bona, quæ sibi ac Marito alendo insumenda erant, reservavit.

CAS. II. — Constante Matrimonio, plura bona communia fuerunt per Conjuges acquisita; sed Vir postea male vivendo fere hæc omnia consumpsit. Qu. An Uxor, ob hoc, jus habeat contra Maritum?

Resp. Affirmandum censeo, in ea tamen hypothesi, quod Uxor quæ sibi competere poterat, lucri partem, aut dono aut alio titulo, juri suo cedens Marito, elargita non fuerit. Quis enim in dubium vertat ea bona communia, quæ durante matrimonio communibus bonis accedunt, dicunturque superlucrata, non esse omnia quoad dominium ac proprietatem Mariti, sed etiam ad Uxorem eadem pertinere quoad eorum medietatem, si ea bona, quibus hæc addita sunt, ad utrosque æquali portione spectabant? Non ignoramus quidem, nullam Uxori competere bonorum dotalium usum aut administrationem, quæ solius Mariti est, quum sustentandi Matrimonii oneribus, quæ ad ipsum, veluti ad totius familiæ caput, spectant, suppeditentur: quod si vis, concedam etiam de bonis, sive industrialibus, sive paraphernalibus, quorum tamen administrationem usumque, nisi aliter a legibus municipalibus disponatur, ex jure communi ad Uxorem pertinere Juristæ omnes affirmant. Dominium certe et proprietas tum dotalium, tum paraphernalium, tum etiam industrialium, eorum nempe, quæ, præstito Marito, ac familiæ rebusque domesticis debito ac necessario obsequio, suo labore, aut industria, vel acu acquisivit, ipsius esse quis inficias eat? Quemadmodum ergo si Maritus male vivendo hæc dilapidasset bona, jus proculdubio Uxori esset contra Maritum ipsum ad exigenda de suis bonis justam compensationem, restaurationemque; qua ratione hoc ipsum exigere non poterit relate ad ea bona communia, quæ aliis communibus bonis per ipsos addita sunt, in ea parte, qua ipsorum dominium ac proprietas ad eam attinet? Nec enim minus alienum contra jus usurpavit Vir hæc bona communia male insumendo, quam si paraphernalia, aut industrialia dilapidasset. Ob hanc causam Honorius III. in cap. *ex parte* 10, de Consuetud. tit. 4, ad Politicum Præfectum, Civesque Rupellæ scribens de ea consuetudine, qua Viro post dilapidatam rem propriam, aut amissam, mobilia quoque et immobilia ad Mulierem pertinentia alienare licebat, uti abusivam eam damnat, jurique contrariam, ac proinde ob injustitiam suam abrogandam esse, ac omnino rejiciendam. Ad firmiorem hujusce rei confirmationem

addo, quod expresse docet Angelicus Doctor 2, 2, quæst. 32, art. 8, ad secundum, nempe *Uxorem posse, si res alias habeat præter dotem . . . . . vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, dare eleemosynas etiam irrequisito assensu Viri.* Dominium ergo, quin et usus aliquorum bonorum et Uxori competere potest. Secus quum, docente eodem Angelico ibidem verbo. *Sed contra*, eleemosynæ faciendæ non sint de alieno, sed de iis tantum, ut explicat in conclusione, quorum quis dominus est, inscio Marito et inconsulto, nec aliquid in eleemosynam elargiri posset, sicuti non potest ad Angelici mentem de sua Dote, quæ sustentandis Matrimonii oneribus datur. Si igitur de hisce bonis quidpiam Maritus immoderato luxu, maleque vivendo insumpserit, actionem adversus ipsum habebit Uxor, justamque poterit damni reparationem exigere. Ita communiter Doctores Theologi, ac Juristæ.

CAS. III. — Cum ad elevationem Sacramenti in Missa solemni, sive Vivorum, sive Defunctorum fieri debeat incensatio. Qu. Ad quem spectet ponere pro tali incensatione incensum in thuribulum, ac facere hujusmodi incensationem; an nempe ad Subdiaconum, an vero ad Acolythum, aut Thuriferarium?

Resp., in Missa Vivorum incensationem fieri debere, vel a secundo Cæremoniario, si adsit, vel a Thuriferario, quorum alterius est incensum ponere in Thuribulum. Ita Gavantus de Canone Missæ litt. F. En ejus verba : *Paulo ante Consecrationem secundus Cæremoniarius, vel Thuriferarius ponit incensum in Thuribulum absque benedictione*, ut præscribit Cærem. Episcop. lib. 1, cap. 23, *ad majorem SS. Sacramenti reverentiam, a quo omnis benedictio, et ad elevationem genuflexus ad cornu Epistolæ ante infimum gradum in plano SS. Sacramentum incensat triplici ductu pro unaquaque elevatione*, idque etiam confirmat Merati in suis additionibus, et observationibus p. 2, tit. 8, de Canone Missæ num. 52, folio mihi 231. *In Missis vero solemnibus Defunctorum non Thuriferarius*, inquit idem Merati ibidem, *sed Subdiaconus incensat Hostiam*

et Calicem, quia non est impeditus, detinendo patenam: quod clare præscribit Cærem. Episcop. lib. 2, cap. 11, § 8, ubi hæc habentur : *Subdiaconus ad elevationem imposito per aliquem Acolythum thure in Thuribulum thurificat SS. Sacramentum :* et quidem merito, quum tantum Sacramentum a digniori Ministro non impedito incensandum sit, ut cum Gavanto optime observat Merati p. 2, tit. 13, de his quæ omittuntur in Missa pro Defunctis, ubi etiam addit ex adducto Cærem. Episc. audiendum non esse Bauldry dicentem : *Subdiaconus, ministrante Thuriferario cochlear, imponit incensum sine benedictione*, quod sane admitti haud potest, nisi deficiente ad summum, aut Naviculario, aut altero Acolytho, ut etiam docet Hyppolytus a Portu p. 3, cap. 3, ad tit. 13. Rub. 1, n. 11.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Sergius consultationis causa manifestavit Cajo amico suo delictum a se commissum, et postea lata fuit Excommunicatio contra scientes delinquentem, eumque quamprimum Judici non deferentes : Qu. An Cajus teneatur Sergium Judici manifestare?

Resp. Tuto solvi haud potest proposita difficultas, quin cognoscatur, quale delictum vere Sergius commiserit, an scilicet delictum hoc in damnum vergat commune, utpote quod respiciat fidem, vel Christianam Religionem, ac Civitatem, vel dumtaxat in damnum sit tertii, nempe peculiaris Personæ, vel etiam familiæ. Hac præsupposita distinctione, dicimus in prima suppositione teneri Cajum Judici denunciare delictum a Sergio commissum, etsi secreto illud sciat. Siquidem cum de rebellione v. g. in Ecclesiam, aut fidem, ac statum, vel de direptione Urbis, aut aliis hujusmodi excessibus agitur quilibet privatus ad eorum, quæ sibi essent quacumque ratione cognita, revelationem tenetur, ut tantum malum avertatur, justaque pœna plectatur. Etenim bonum commune, aut Religionis, aut Provinciæ, vel Civitatis, bono privato præferendum est, quemadmodum communi da-

mno particularis Personæ incommodum, qualecumque sit, est merito posthabendum. Id autem verum est, tametsi delictum hujusmodi occultum sit, et sub secreto etiam naturali illud scias, uti expresse docet Angelicus Doctor 2, 2, quæst. 33, art. 7, in corpore, quod nempe *qui sic occulte peccat*, inquit ipse, *non solum in te peccat, sed etiam in alios : oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur.* Quamobrem Alexander VII, peculiari sua Constitutione data anno 1660, cujus initium est, *Licet alias per Constitutionem*, expressissimis verbis præcepit hæresis crimen, tametsi occultum, statim S. Inquisitionis tribunali deferri; quod tametsi non præcipiat de aliis hujus generis excessibus, idem tamen et in ipsis servandum eadem jam adducta ratio satis clare evincit. Neque ab hac obligatione eximet, aut juramentum, aut etiam impotentia delictum ipsum probandi. Non primum, quod juramentum hocce, utpote de re illicita, reapse irritum esset, ac nullum. Non secundum; hoc enim interest discriminis accusationem inter et denuntiationem, quod accusanti, quum criminis punitionem a Judice petat, onus incumbit delicti, cujus quempiam accusat, probandi; denuntianti vero, quum crimen Judici tantum revelet, ut id agat quod expediens judicaverit, hujusmodi onus non incumbit, et quidem si de hæresi sermo sit, idipsum expresse colligitur ex propositione n. 5, ab eodem Alexandro VII. anno 1665, die 24 Septembris proscripta, quæ sic habebat : *Quamvis tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Sed jam ad secundam suppositionem transeamus, quum nempe delictum non nisi in damnum tertii vergit, et asserimus non teneri Cajum, cui Sergius consilii gratia suum manifestavit delictum, eumdem Judici deferre, modo tamen delictum illud fuerit vere occultum, ac nulla præcesserit infamia. Idem expressissime docet Angelicus 2, 2, quæst. 68, in corpore, maxime si sufficientem, ut inquit ipse, probationem adhibere non possit. Nemo enim tenetur ad id, quod debito modo perficere haud potest. Porro in facta hypothesi nequit Cajus Sergii delictum denuntiare, nisi fidelitatem lædat, quam suo de-

bet amico; ut enim dicitur Prov. 1. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Non tenetur ergo Cajus in hac suppositione Sergii delictum Judici deferre. Neque sane Ecclesiæ, aut Ecclesiastico Superiori animus est, dum monitorium aliquod promulgant, quempiam obligare ad infringendam fidem, aut charitatis præceptum, quo tam stricte jubemur proximi famæ consulere, ac mederi ad transgrediendum, dissolvendumque. Dixi: modo delictum sit vere occultum, nullaque præcesserit infamia. Si enim hæc quodammodo jam præcessisset, delictum non foret amplius ita occultum, ut Cajus amicus, quem delinquens secreto consuluit, secretum naturale violare dicendus esset, aut fidem infringere, si delinquentem ad Judicem deferret. Quamobrem etiam in hac hypothesi, ne in latam excommunicationem incurreret, eumdem denunciare teneretur.

CAS. II. — Mutuo dedit Sempronius Titio centum aureos ad sex menses, hoc superaddito pacto, quod si elapso tali tempore hic non restituat, teneatur solvere ultra sortem certam quantitatem pecuniæ: Qu. An subsecuta dilatione in solvendo, Titius teneatur reficere lucrum cessans, vel damnum emergens Sempronio? Secundo, an casu, quo huic nec cesset lucrum, nec damnum emergat, teneatur Titius solvere pœnam?

Resp. Duo in præsentia quæruntur, quibus partite est respondendum. Et quod attinet ad primum, indubie respondemus, nulla ratione Titium adstringi ad ullum damnum emergens, aut lucrum cessans Sempronio, tametsi hic reapse morosior fuerit in reddendis centum aureis ab ipso mutuo acceptis. Etenim inter conditiones ad verum damni emergentis, aut lucri cessantis titulum, quarta hæc est, quod damnum hoc, vel lucrum cessans mutuatario proponatur, et de eo stipulatio fiat. Equidem, ut mutuatarius hoc onus damni compensandi subeat, necessarius est ejusdem consensus, quem præstare profecto ille haud potest, nisi admoneatur; mutuum enim est in illius commodum: et forte cum eo onere illud recusabit Mutuatarius; quoniam evenire potest, damni compensa-

tionem plus afferre detrimenti, quam sit commodum ex mutuo percipiendum. Necessaria igitur est conventio de hac ipsa compensatione inter utrosque contrahentes, quæ cum in casu nostro defuerit, nulla ratione tenetur Titius ad hujusmodi damnum reficiendum, quod potius jam ab ipso Sempronio remissum fuisse ac condonatum censeri debet. Hanc conditionem negat utique Leonardus Lessius cap. 20, dub. 10, num. 74. Sed ejus opinio ab aliis satis communiter refellitur, utpote quæ viam latissimam aperit ad fraudes, injustitias, deceptionesque committendas. An non enim evidens injustitia est, mutuatarium onus aliquod subire, illudque etiam illi esse solvendum absque suo consensu? An non in quolibet contractu, ut justus sit et validus, utriusque contrahentis consensus necessario requiritur? At quis consentit, aut consentire potest in eo quod ignorat? Nisi ergo de hac compensatione admonitus fuerit Titius, atque libere huic ipse consenserit, ad eam adstringi haud potest absque manifesto fœnore. Quod vero spectat ad secundum, quod quæritur, certum est pœnam conventionalem, ita dictam, quod ex mutua conventione, seu consensu contrahentium imponitur, quum intervenit id, quod interest Creditori, ut aiunt, nempe, quum imponitur pro quantitate lucri cessantis, aut damni emergentis, omnino licitam esse ac justam. Etenim fas est, ut mutuator sibi caveat, seque servet indemnem. Cum ergo occurrit id, quod ejusdem interest, nempe damnum emergens et lucrum cessans, licitum est pactum adjicere, ac pœnam hanc ad æqualitatem damni vere emergentis, aut lucri cessantis constituere. Si ergo Sempronio vere damnum aliquod ex Titii morositate culpabili emersit, aut aliquod lucrum reapse cessaverit, proculdubio tenebitur Titius ad eam pœnam solvendam, non quidem ratione pœnæ, sed ratione ejus, quod mutuo danti interest. Dixi, *ex morositate culpabili;* Si enim non ex malitia, sed ex impotentia restitutionem distulerit Titius, præsertim si impotentiam hanc præviderit Sempronius, ad nihil omnino absque evidentis usuræ vitio adstringi potest. *Ad æqualitatem* addidi: si enim minus fuerim passus, quam sit pœna adjecta, minus etiam accipere potero, et ad

minus tenebitur Titius; si vero plus quoque Titius mihi debebit, ut nempe æqualitas constituatur inter damnum et pœnam, seu ipsius damni compensationem. Ast, inquies, quæsitum procedet etiam in hypothesi, quod nil ex ea morositate damni emerserit, aut lucri cessaverit mutuo danti? In hac hypothesi, quidquid sentiant aliqui probabilius existimo cum Honorato Leotardo celeberrimo Jurisconsulto quæst. 38, non teneri Titium ad ullam pœnam, utpote quæ usuræ labe infecta foret. Quam opinionem asserit laudatus Auctor a doctioribus Jurisperitis defendi, et quod *magni ponderis est*, inquit, *ita tenere Rotam testatur Cardinalis Mantica : multo magis ergo*, concludit, *in Ecclesia, et ab Ecclesiasticis viris retinenda est.* Et sane tot conditionibus pœnam hanc conventionalem, veluti circumseptam volunt castigatiores ejusdem Patroni, ut et ipsi cognoscere videantur, quam facillime usuras sensim sine sensu in hac ipsa conventionali pœna serpere posse, summamque propterea cautione ac vigilantia opus esse, ne sub fictis titulis grassentur. Opponunt quidem auctoritatem Innoc. III, qui in capitulo *Suam* approbare videtur hanc pœnam conventionalem. Sed falluntur : eo enim loco Summus Pontifex non tam de conventionali pœna, quam de legali sermonem habet : quam etiam inhonestum quæstum Innocentius appellat, redarguens Episcopum, quod aliena jactura ditescere vellet. Conquesti enim fuerant adversus Episcopum Spoletani Cleri Rectores, *quod quum*, sunt Canonis, ut jacet, verba ad ipsum Episcopum, *tibi essent in quadraginta libris per quoddam arbitrium condemnati, esseltque pœna triginta librarum apposita, nisi ea solverent in termino constituto : tandem triginta tribus libris in termino persolutis, occasione septem residuarum, per quasdam nostras litteras, veritate tacita impetratas, obtinuisti, eos in præfatis triginta libris per delegatum Judicem condemnari.* Hoc propositum fuerat Pontifici. Audiamus nunc, quid ipse respondeat Spoletano Episcopo : *Quia igitur te non decet in tantum Pontificalis modestiæ oblivisci, ut, inhonestis quæstibus anhelando, desideres cum aliena jactura ditari; mandamus, quatenus septem librarum solu-*

tione contentus, super pœna triginta librarum memoratos Rectores de cætero non molestes. Ut vides, de legali apertissime loquitur : ab ipso enim Judice imposita fuerat. Deinde quid quæso in hac responsione, quod eam approbet? Nonne potius totus est Summus Pontifex, ut eam reprehendat, et improbet? Cavendum tamen, et in hac mea sententia ab injustitia debitorum. Plurimi mutuum petunt, credito emunt, spondentes promptam restitutionem, et frequentissime fidem etiam oppignoratam frangunt cum damno creditorum. Quare et isti cogendi sunt ad damni compensationem, quum creditorum præcesserit admonitio, et reapse damnum creditoribus emerserit. Extrema itaque, tam ex parte creditorum, quam ex parte debitorum evitanda sunt quam diligentissime.

CAS. III. — Puella adhuc impubes moritur quasi ex improviso. Qu. An ejus Pater, vel Mater possit ipsi eligere sepulturam in quacumque Ecclesia ?

Resp. negat. Quamquam enim Sacra Rituum Congregatio die 20 Junii anni 1740, referente Cavalieri num. 181, sequens Decretum ediderit : *Sepulturam eligere licet Parentibus in quacumque Ecclesia pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis impediri possunt, aut debent;* tamen, cum anno 1741, die 6 Decembris hoc aliud ediderit ab eodem Cavalieri relatum num. 182. *Potest Pater eligere Sepulturam pro Filiis impuberibus in vita, non post mortem;* quod quidem eodem die et anno, teste ipso Cavalieri num. 158, ad Matrem extendit : interrogata enim eadem Sacra Congregatio, *an etiam Mater, cum Pater non adest, possit Filio impuberi Sepulturam eligere,* respondit *affirmative;* sequitur limitandum esse primum Decretum, atque intelligendum, hanc dumtaxat esse Patri, et etiam Matri, si Pater abest, potestatem, scilicet eligendi pro Filiis impuberibus Sepulturam, *cum adhuc in vita sunt, non vero post mortem.* Quum ergo in casu Puella jam mortua supponatur, non possunt eorum Parentes sepulturam eligere, sed erit

sepelienda, vel in Sepulcro Majorum, si quod est, vel in propria Parœcia.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Creditor, nulla facta denuntiatione debitori, vendit pignus ante diem termini conventi. Qu. An violet justitiam, et teneatur ad ullam restitutionem?

Resp. affirmat. Constat equidem pignus a debitore apud creditorem, non ad ipsius usum, ac multo minus dominium, sed in assecurationem debiti dumtaxat deponi. Unde, quemadmodum qui præter voluntatem debitoris re quadam oppignorata uteretur, nisi in gratiam utatur debitoris, ne scilicet alioqui deterior fieret, injustitiæ prorsus esset arguendus, quæ quamdam furti speciem constituere juxta leges censetur : *Si pignore*, inquit *lex* 56, *digest. de furtis, credito utatur, furti tenetur;* ita, et quidem a fortiori, quum sit alterius, debitoris nempe, nequit citra injustitiam pignus ipsum vendere, nisi debitore tempore debito non solvente, eoque prius monito. Quin ne potest quidem creditor cum debitore pacisci, ut si non solvat præfinito tempore, pignus ipsius sit; sed hic semper tenetur pignus totum restituere, statim ac ei debitum solutum fuerit. Talis enim conventio utroque jure prohibetur : cum Civili scilicet in lege *Quoniam* fin. Cod. *de pactis pignorum*, qua Imperator Constantinus absolute prohibuit, ne imposterum hæ conventiones, quas jus appellat *legis commissoriæ*, fierent, factasque penitus infirmavit, abrogavitque; tum etiam Canonico, ut videre est in quadam Decretali Innoc. III, in cap. *Significante*, *Extra de pignoribus et aliis cautionibus lib.* 5, *titul.* 21. Aperte siquidem Summus Pontifex hujusmodi pactum legis Commissoriæ improbat, atque creditorem sua sorte contentum *pensionibus pignoris computatis in eam*, sunt capitis verba, *ad domum*, quæ loco pignoris data fuerat, *omni dilatione posthabita, resignandam Debitori, pacto tali, vel juramento nequaquam obstante, censura etiam Ecclesiastica cogendum*, decernit,

ac præcipit. Non negamus quidem, ut inquit Lex *Si fundus* 16, § *ult. Dig. de pignoribus, et hypoth. lib.* 20, *tit.* 1, posse hanc fieri conventionem, *ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia, jure emptionis* creditor *possideat rem justo pretio tunc æstimandam. Hoc enim casu videtur quodammodo conditionalis esse venditio, et ita Divi Severus et Antonius rescripserunt:* sunt legis ipsius verba. In hoc autem etiam casu libera permittenda est debitori optio rei oppignoratæ, vel creditori dimittendæ juxta constitutum pretium, restituendo debitori excessum si pluris valeat, et supplendi defectum si non sufficiat, vel ejusdem repignorandæ summam integram persolvendo. Ex his apertissime constat, creditorem nostrum revera justitiam læsisse, quum pignus illud ante præfixum tempus, neque debitore admonito, vendiderit: nec enim ullum in id jus ei hactenus competebat, ac merito posse debitorem in ipsum actionem dicere, suumque pignus, soluto integro debito, ab eo repetere. Quod si aliquid damni inde sit passus, ad illud etiam resarciendum tenebitur creditor, ac poterit debitor etiam urgere, ut compenset.

CAS. II. — Debitor, vere non habens animum adeo cito solvendi, fingit creditori se soluturum intra mensem, si ille ipsi remittat sextam partem sui debiti. Hanc ille ipsi condonat; sed hoc non obstante, non solvit, nisi post sex menses. Qu. An tuto retinere possit partem condonatam?

Resp. negat. Etsi enim remissio creditoris a restitutione excuset, quum per illam jus condonetur exigendi, et accipiendi solutionem, proindeque tollatur in debitore obligatio solvendi, quæ postea non redit; nam obligatio semel extincta minime reviviscit, *l.* 9, *Cod. de remiss. pign.:* attamen ut hæc remissio legitima sit, ac vere debitorem ab onere liberet solvendi, debet esse perfecte voluntaria, nec mixtum habere aliquod involuntarii. Ea si quidem est sui juris liberalis donatio, ideoque actus liberalitatis, qui necessario ex spontanea, ac liberali voluntate procedere debet. Nulla igitur est remissio facta ex errore, vel ignorantia, utpote volunta-

rium tollente, aut vi, metu, vel fraude extorta ob involuntarium mixtum et injuriam : nemo quippe ex sua injuria ac fraude jus et commodum reportare potest. Jam vero in nostro casu, quum debitor animum se habere finxerit cito solvendi debitum, quem tamen non habebat, quis non videat, fraudem manifestissime admisisse, consequenter invalidam esse eam, quam creditor ipsi concesserat, sui debiti condonationem; utpote quæ, etsi non absolute involuntaria, aliquid tamen involuntarii saltem admixtum habet? Nec enim eam debiti partem reapse remisisset, si debitoris fictionem agnovisset. Integrum ergo debitum persolvendum est creditori, tametsi postea debitor ex vera impotentia, absque ulla mora culpabili, debito suo non satisfecerit, nisi post sex menses. Impotentia siquidem eum excusaret, si ea remissio fraudulenta non fuisset, ac vere tunc animus ei fuisset, intra mensem solvendi, nullatenus prævisa impotentia standi promissis. In hac enim hypothesi, ut præmisimus, valida fuisset condonatio ac legitima, semelque habita, etiamsi debitor statuto tempore ob impotentiam, quæ ipsius culpæ ac malitiæ imputari haud possit, alteram partem, quæ solvenda remanserat, reddere nequiverit. At in nostro casu invalida fuit ea donatio, consequenter nunquam viguit, ac debitori semper onus incubuit, integrum solvendi debitum. Quare ne quidem ob subsequentem impotentiam, etsi non culpabilem, ob eam condonationem ab hoc onere eximitur. Non poterit ergo partem sibi hoc pacto remissam citra injustitiam retinere.

CAS. III. — Quum multoties in Missa tertia Oratio sit *ad libitum*. Qu. 1. Cur loco ejusdem substitui nequeat a Superioribus extraordinarie præscripta. II. an tunc tertio loco dici possit Oratio : *Deus qui nos Patrem et Matrem, etc.*, quæ est pro Parentibus defunctis ?

Resp. Ad primam propositi quæsiti partem dico, rationem, ob quam loco Orationis, quæ in Missali præscribitur *ad libitum* Sacerdotis, substitui haud potest ea, quæ a Superioribus extraordinarie jubetur, deduci ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die 2 Decembris

anno 1684, in una Can. Reg. Lat. a Cavalieri relato tomo V. Commentariorum cap. 27, de Missis Defunct. quotidianis. In eo siquidem decreverunt Em. PP., *non esse omittendam unam ex assignatis Orationibus in Missa, ut ejus loco dicatur imperata, veluti* Deus refugium, *sed post tertiam Orationem præscriptam imperata dicenda est, quum in Missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva non sint necessario dicendæ collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem.* Et sane non minus de præcepto est Oratio a Superiore præscripta, quam quæ juxta Rubricas est *ad libitum.* Nec enim ad libitum dicitur, quod possit a Sacerdote, prout ipsi libuerit, omitti; sed solum, quod Sacerdos unam potius, quam alteram ad ejus arbitrium dicere valet. Utraque ergo dicenda est, quod etiam infertur ex alio Decreto ejusdem Sacræ Congr. die 17 August. 1709. Ad secundam partem respondeo negative. Sic enim laudata jam toties Sac. Rituum Congregatio definivit die 2 Decemb. anni 1684. in una pariter Can. Reg. Lat. En ejusdem Decretum ab eodem Cavalieri loco adducto relatum: *In Missa privata de Festo semiduplici, simplici, seu votiva, vel infra octavam, sive de Feria non privilegiata, potest in penultimo loco dici Collecta pro particulari Defuncto, puta*: Inclina, *vel* Deus, qui nos Patrem *etc. et similia, sed ob id non est omittenda ulla ex Collectis pro tempore assignatis, puta*, A cunctis, *vel* Ecclesiæ.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Sejus occidit Sempronium, nullos habentem filios, vel filias. Qu. An teneatur ex justitia tribuere aliquid Uxori, ac fratribus occisi?

Resp. Quisquis damnum intulit proximo, illud pro viribus resarcire tenetur, ac satisfacere, vel compensare, ut justitiæ ratio postulat. Quamvis ergo homini occiso vita, mutilato membrorum integritas, vulnerato sanitas restitui haud possint: *Debet tamen*, inquit Angelicus Doct. 2, 2, quæst. 62, art. 2, in resp. ad primam objectionem, *fieri compensatio, qualis possibilis est, vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utri-*

usque Personæ secundum arbitrium boni viri. Una insuper omnium sententia est, quæcumque damna, quæ interfector, vel mutilator, aut percussor sua injusta actione parit, ab eodem esse resarcienda. Siquidem quilibet istorum præter injuriam personalem, videlicet vitæ privationem, aut membri abscissionem aut læsionem, multa bona impedit, ac plura damna inducit, quorum compensatio necessaria est. Primo igitur restituendæ sunt expensæ in morbo curando factæ: deinde lucra, quæ consequi sua arte, et industria ac negotiatione occisus, vel mutilatus poterat, sunt reparanda. Hæc omnia facile erues ex quadam Decretali, C. *Si rixati tit.* 1, *de injuriis et damno dato*, desumpta ex Exodo, cap. 2. En ejus verba: *Si rixati fuerint homines, et percusserit alter proximum suum, lapide, vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto; qui percusserit, operas ejus et impensas in Medicos restituat:* idem etiam decrevit Gregor. IX, in cap. *Si culpa* 9, *de injuriis, et damno dato. Si culpa tua*, inquit Summus Pontifex, *datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, ... jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat.* Sejus ergo hæc omnia præstare debet. Non tamen æque erga Uxorem Sempronii, et ejus Fratres, quod, ut perspicue appareat, duo damnorum genera distinguenda sunt; alia nempe, quæ occisus passus est ante ejus mortem, ut sunt expensæ factæ in vulnerum curatione, vel etiam in remissione injuriæ, ac similibus; alia, quæ ejus mortem consequuntur. Prioris generis compensanda sunt, sive Uxori, sive Fratribus occisi: quum enim ad hæc jus habeat ipse occisus, ejusdem juri succedunt non solum Uxor, sed etiam Fratres, qui una cum Uxore sunt ejus hæredes, etiam ab intestato, ut aiunt: supponitur enim occisum liberis omnino caruisse: reliqua vero secundi generis, nempe alimenta, non sunt restituenda nisi Uxori, quæ sola est veluti una persona moralis cum homine occiso. Quamobrem sicuti Vir ob hanc moralem conjunctionem eamdem alere tenebatur, ita et eam alere tenetur Occisor, quum per injustam sui Viri occisionem hoc suum jus ipse læserit, quod propterea ipsi

ex justitia est compensandum. Non me latet, quosdam Doctores contendere, etiam Fratribus hæc alimenta præstanda esse, si occisus ex sua liberalitate ea subministrare ipsis solebat, dummodo probabile sit, Occisum, si viveret, eadem adhuc præstiturum fore. Verum, ut advertunt Salmanticenses *tract.* 13, *cap.* 11, *punct.* 8, *n.* 107, probabilior sententia est, homicidam ad hæc non teneri iis reddenda, tametsi occisus ex liberalitate eadem conferre iisdem consuevisset. Siquidem Fratres nullum jus habent ad hæc alimenta, nec sunt hæredes omnino necessarii, licet ab intestato succedant. Quare si ab occiso alebantur, id non ex justitia, sed ex mera liberalitate eis adveniebat : quare nec ullum jus habent ad compensationem exigendam, quemadmodum nullum jus eis inerat adversus ipsum Occisum. Nec vero cogendus est Occisor ad id, ad quod nec occisus ipse tenebatur, nisi forte data opera et pravo animo intendisset eumdem occidere, ut hæc damna illis inferret : tunc enim causa, quæ per accidens erat, ob pravum animum fieret causa moralis in hæc damna influens. Tametsi enim nullum jus ipsis inesset ad alimenta petenda ab Occiso, ut diximus ; jus tamen strictum, ac rigorosum habebant, ne per actionem injustam ab iis recipiendis a quoquam impedirentur. Sicuti ergo, qui per vim in alium illatam eumdem hac mente impedit, ne tibi donet aliquid, tenetur tibi restituere; ita videtur ad restitutionem adstringendus, qui hoc pravo animo alium occidit, ne ab eo quispiam necessaria alimenta recipiat. Merito propterea D. Bernardinus Senensis, t. 1, serm. 46, art. 2, agens *De satisfactione illorum, qui mutilant proximo suo aliquod membrum,* inquit : « Quinto » obligatur ad satisfaciendum etiam consanguineis illius » mutilati; puta si ille, scilicet cui manus est ablata, se » et suos alebat, et uxorem, filios, patrem, et matrem, » vel *alios*, quod nunc implere non potest; talis damnum inferens ad æqualia obligatur. »Et cap. 3 : « *De* » *his, quæ restituere obligatur homicida impius*, ait : » Tertio quoque secundum Scotum in 4, dist. 15, § 2. » Si interfectus aliquos sustentabat, scilicet patrem, vel » matrem, vel alios sibi propinquos, *seu pauperes*, obli-

» gatur talis interfector omnibus illis ad tantam resti-
» tutionem, quantam illis abstulit per interfectionem
» illius. Ratio enim horum est, quia damnum passo est
» restitutio facienda. » In hac tamen restitutione facienda, judicio prudentis mensuranda esset, omnibus circumstantiis attente perpensis, spes ipsa quæ inerat, quod occisus, si diutius vixisset, alimenta hujusmodi præstiturus iis fuisset : quum enim agatur de gravi onere imponendo, quæcumque vel levis spes, aut probabilitas par esse non potest, sed gravis requiritur gravibus fundamentis innixa.

CAS. II. — Recordatur Confessarius, quod Pœnitens, etiam in Confessione apud ipsum facta mense præcedenti, exposuit eadem peccata in specie et numero, quæ nunc exponit. Qu. An possit eum absolute corripere pro relapsu ?

Resp. Quamvis nulla ratione possit, aut debeat Confessarius extra Confessionem absque violatione sigilli sacramentalis loqui vel cum ipso Pœnitente de iis, quæ in antecedenti Confessione audivit, non petita ab eo ac obtenta, et quidem expresse, facultate, quam nec petere debet prudens Confessarius, si merito suspicetur, Pœnitentem ægro animo, ac nonnisi ex quodam humano respectu eamdem concessurum fore; quum hujusmodi colloquium fieri vix possit, quin Pœnitens pudore suffundatur, adeoque grave fiat ac odiosum Confessionis jugum, quod ex Christi institutione avertendum summopere est, ne ab eo, quod adeo salubre peccatorum remedium est ac necessarium, homines retrahantur : ut inquit S. Carolus in Instruct. Confess. : attamen nil vetat, quin possit etiam non petita a Pœnitente facultate in actuali ejusdem Confessione de iis loqui, de quibus in aliis Confessionibus ab eo factis Sacramentaliter se jam accusavit, quum id ad ipsius pœnitentis bonum, atque ad rite munus suum obeundum necessarium duxerit. Etenim in hoc casu, quum in eodem foro Sacramentali versetur, idemque officium agat, ac bonum ejusdem pœnitentis respiciat, nulli injuria fit. Non Sacramento, cui potius tale colloquium, rite majorique cum fructu

administrando plurimum confert, quum dignoscendæ plenius peccatorum malitiæ ac consuetudini, aperiendæque ipsius Pœnitentis dispositioni ac statui inserviat, quod profecto necessarium est, ut Confessarius cum Judicis, tum Medici officio, quod tunc exercet, rite perfungatur. Non ipsi pœnitenti, cui id molestum esse non debet, vel grave : secus se ipsum condemnaret ac ostenderet satis aperte, sincerum animum ipsi deesse ad meliorem se frugem reducendi, quum ab iis abhorreat, quæ ad id maxime conducere possunt. Si autem quandoque fas est Confessario, quin et expedit, de iis loqui, quæ in aliis Confessionibus audivit, quidni etiam poterit relapsum dignoscens, ac consuetudinem, aut aliquam passionem, aut aliud simile, eumdem de his corripere, in spiritu tamen lenitatis et Charitatis, uti Confessarium decet? Ex Christi siquidem institutione Confessarius, et Judicis, et Medici, et Magistri partes adimplere debet. Quare nil ipsi omittendum, quod spirituali Pœnitentis profectui conferre possit, suoque muneri plurimum deficeret, si dilapsum agnoscens, aut consuetudinem, ne forte Pœnitens ægre id ferat aut doleat, moderate ipsum non corriperet, fortiora etiam remedia non imponeret, et absolutionem, quum opus esset, non differret, quemadmodum suas sane partes non impleret Medicus, si ferro etiam parceret, ne infirmus conqueratur. Ne autem id scandalo Pœnitenti sit, quod ex ignorantia forte evenire posset, eum admoneat, sibi etiam de cæteris Confessionibus jus esse, quum id Pœnitenti salubre judicat ac proficuum, sermonem in alia actuali Confessione instituere, quin inviolabile ac sacrum Confessionis arcanum vel minime lædat, quod nempe, quum tunc agat ut Dei Vicarius, uti etiam potest notitia, quam alias ut talis jam habuit. Ita de Lugo de Pœnit. disp. 23, n. 127.

CAS. III. — Quandoque contingit deferri in Sacristiam eleemosynam, ut applicetur Missa pro Infirmo, vel pro alia Vivorum necessitate; quumque occurrat Officium semiduplex, aut de feria, dicta onera implentur cum Missis Defunctorum. Qu. An rite hoc fiat?

Resp. neg. Siquidem ex una parte Officium semiduplex, aut feriale non prohibet quin dicatur Missa votiva *pro infirmo* ab ipsa Ecclesia instituta; ex alia satis aperte dignoscitur, mentem suppeditantis eleemosynam pro Missa esse, ut si ritus id permittat, Missa legatur votiva *pro infirmo*. Petit enim, ut Casus supponit, celebrationem Missæ *pro infirmo*. Quum ergo non impleatur ejusdem mens; nisi Missa celebretur juxta petita, nec sane hoc præstet Sacerdos, qui Missam dicit *de Requiem*, ut affirmatur, in casu, rite ipse non agit, et quodammodo fidelitatem lædit. Non tenetur tamen ad ullam restitutionem, modo Sacrificium Deo obtulerit juxta mentem donantis eleemosynam, quæ in casu nostro est, ut infirmo salus obtineatur. Etenim principalis fructus, ac satisfactorius, cui respondet stipendium acceptum, æqualis omnino est in omnibus Missis. Qua ratione, si eleemosyna detur, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium celebretur pro alia quacumque etiam Vivorum necessitate, pro qua peculiaris ab Ecclesia Missa votiva instituta non sit, censerem, huic oneri adimplendo, sat esse, si Missa celebretur etiam *de Requiem*, ut aiunt, modo Sacrificium pro ea necessitate ad mentem dantis eleemosynam specialiter offeratur. Ita Jo. Michael Cavalieri, p. 2, c. 10, de qualitate Missæ Defunctor. n. 19, fol. 126.

ANNO MDCCLXIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Simplex Sacerdos, ut cum Muliere liberius de obscœnis loqueretur, se in Confessionali posuit, ac in eo sedens cum illa ante ipsum stante turpem sermonem ac inhonestum instituit. Est ne denuntiandus ?

Resp. Quamvis plures Doctores affirment, denuntiandum esse in exposito casu Sacerdotem, qui relate ad sollicitationis effectum ita se habet, ac si esset Confessarius approbatus, ut apertissime colligitur ex Constitutione

Benedicti XIV. gloriosissimæ recordationis, quæ incipit, *Sacramentum Pœnitentiæ*, die prima Junii anni 1741, innixi potissimum Decreto jussu Pauli V, edito die 10 Julii 1614, quod ita se habet: *In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico coram SS. D. N. D. Paulo Divina Providentia Papa V, etc. Facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis, SS. decernit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio.* Revera enim Sacerdos, ut casus exponit, inhonestos habuit sermones cum muliere; attamen resolvo probabilius, non esse denuntiandum. Etenim ex Gregorii XV, Constitutione, quæ incipit, *Universi Dominici*, die 30 Aug. 1622, ab ipso Benedicto XIV, in allata Bulla confirmata et extensa, non quælibet sollicitatio obligationem inducit denuntiationis, sed ea dumtaxat, si clausulam attendans loci ad sacri Pœnitentiæ Ministerii exercitium destinati, quæ conjungitur cum simulatione Confessionis, ut apertissime constat ex Gregorianæ Constitutionis verbis: *Simulantes ibidem audire Confessiones.* Quum enim hæ particulæ ponantur in ea Constitutione, nedum post illa verba, *aut in loco, in quo Confessiones audiuntur, seu ad Confessiones audiendas electo*, sed etiam post alia, *sive extra occasionem Confessionis in Confessionario*, afficiat oportet non solum verba præcedentia, sed etiam consequentia juxta regulam: *Clausula ultimo loco posita ad antecedentia connexa refertur.* Jam vero in casu proposito etsi sollicitatio facta fuerit in Confessionario, non fuit tamen cum simulatione Confessionis conjuncta, quum mulieres ante Confessionale stantes, ut omnes facile concedunt, non censeantur peccata sua confiteri: non erit igitur denuntiandus. Id autem firmius roboratur Decreto edito in Sacro Tribunali Universalis Inquisitionis die 11 Februarii 1661, relato a Cardinali Cozza dubio 17, et confirmato a Benedicto XIV, in laudata sua Constitutione, in qua omnia generaliter confirmavit Decreta, quæ sub die 11 Februarii 1661, a Sacra Congregatione prodiere. Est autem Decretum: *Sententia*

asserens Confessarium, neque occasione Confessionis, neque prætextu Confessionis, neque Confessionem simulando, non esse denuntiandum, sua probabilitate non caret; et quidem, inquio ego, ea probabilitate, quæ par sit, ut ad praxim reduci valeat, quum tenuem probabilitatem nihili fecisset Sacra Congregatio. Quum igitur Sacerdos in nostro casu neque occasione, neque prætextu, neque simulando Sacramentalem Confessionem, mulierem ad inhonesta sollicitaverit, non erit denuntiandus. Neque contrarium evinces ex Pauli Papæ V Decreto, quod sane intelligendum est juxta Bullam Gregorii XV, quæ posterior est eo Decreto, et juxta aliud Sacræ Congregationis Decretum, quod confirmatum legimus a Benedicto XIV, sicque ad terminos simulationis restringendum, defectu cujus in casu proposito non est Sacerdos noster denuntiandus. Ita Freitas de Confess. Sollicit. quæst. 15, n. 52. Suosa de Confess. Sollicit. tract. 1, cap. in annot. n. 13 et alii, quos citat, et sequitur Card. Cozza dicto cap. n. 115.

CAS. II. — Titius cuidam Matri consuluit ad inducendum Cajum, ut ejus Filiam adamaret, eamdemque postea in uxorem sibi duceret, quodam uti secreto, quod alias ad hunc ipsum finem summæ efficaciæ ac virtutis esse fuerat expertus. Id egit Mater, et Cajus nedum ejusdem Filiam vehementer amavit, sed et eam in uxorem petiit, ac obtinuit. Inciderunt ne in casum reservatum Titius et Mater?

Resp. Pro clariori resolutione tria sunt breviter adnotanda. Primum nempe, duplex esse maleficium: aliud veneficum, quo homini, aliisque animantibus damnum aliquod affertur, aliud amatorium, quo malefici utuntur ad carnalem amorem excitandum, dæmone phantasiam hominis commovente. Secundum, utrumque gravissimum peccatum esse, quippe quod continet tacitam, vel expressam dæmonis invocationem, vel etiam sceleslam cum ipso conventionem. Tertium, utrumque esse in hac nostra Diœcesi reservatum, quum in ejus expositione nulla adsit clausula, vel particula, quæ ad unam potius, quam ad alteram maleficii speciem reservationem coar-

etet, aut restringat. Hisce notatis : respondeo Matrem incidisse quidem in casum reservatum, non autem Titium. Etenim ex Superioris reservantis mente est quidem reservationi obnoxius, qui maleficium committit, non vero qui consulit, ut Casuum reservatorum tabellam, vel libellum legenti facile constabit. Idque eo vel maxime, quod, quum Superior etiam consulentem in reservationem incidere intendit, id ipsum expressit, ut patet in reservatione homicidii, cui quum obnoxium voluerit consulentem, hisce terminis reservationem exposuit, n. 3. *Homicidium nedum quoad committentes, sed etiam quoad consulentes.* Nullam autem de consulente mentionem fecit in reservatione maleficii. Quum ergo Titius consuluerit quidem Matri Caji amatorium maleficium, quod est reservatum, ut præmisimus, non vero maleficium fecerit, quod tamen reapse fecit Mater, hæc utique velut malefica habenda est, et consequenter in reservationem incidisse affirmandum, non autem illum. Ita Giribaldus cap. 15, de Reserv. dub. 4, n. 51.

CAS. III. —Sacerdos ex speciali devotione erga sanctum Franciscum Salesium, cum in Missæ celebratione ejusdem legit Orationem, dicit, *Deus qui ad animarum salutem beatum Franciscum Salesium Confessorem tuum, etc.* Ritene se gerit?

Resp. neg. Id autem clare deduces ex Decreto Sacræ Rituum Congr. die 23 Decembris anni 1624, pro Patrum Minimorum Ordine edito *in una Urbis pro Minimis*, quod est hujusmodi : *Regulares Ordinis Minimorum, dum in Oratione Sanctum Franciscum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere de Paula.* Nec ergo ob eamdem rationem, dum in Missa legitur Oratio sancti Francisci Salesii addenda est vox ista, *Salesium.* Neque opponas exemplum Orationum Sanctorum *Canuti Regis Danorum, Petri Nolasco, Joannis de Matha*, aliorumque. Etenim ipsa eadem Sacra Congregatio in una Einsidlen, die 5 Maii 1736, approbante Clemente XII, generatim sancivit, expungenda esse ab Orationibus omnia cognomina, patriasve Sanctorum :

Quin schedulam imprimi mandavit sigillo Sacræ ejusdem Congregationis, et manu D. Secretarii affirmatam, in qua specifice, et signanter illa ipsa cognomina et Patriæ Sanctorum ab Orationibus tolluntur ad normam aliorum Decretorum in ipsa Schedula expressorum, innovans Decretum, quod anno 1691, die 11 Augusti, approbante Innoc. XII, jam ediderat, prohibens, ne quispiam etiam extra Urbem audeat imprimere, aut Orationes, aut Lectiones, aut alia ad Sanctorum Officia vel Missas pertinentia, *nisi juxta Originale*, sunt verba Decreti S. Congregationis, *vel exemplar Typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipsius Sacræ Congreg. et sigillo obsignatum, quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque in eo additum, sive ab eo detractum imprimi debeat.* Ab iis Orationibus : ergo expungenda sunt ea cognomina, et male se gessit Sacerdos noster. Vide Merati in indice Decretorum in fine secundæ partis, tom. 1, n. 196 et 682, nec non Spiridionem Talu Romanæ Editionis in calce Bibliothecæ Ferrarianæ.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Sempronius, obtenta a Summo Pontifice facultate, ut sibi a proprio Parocho votum, quod de petenda Urbe, ut Apostolorum limina visitaret, egerat, commutaretur ; hic pro commutatione rite facienda expensas omnes, quas eundo ac redeundo ille subisset, attente consideravit, earumque medietatem unam dandam a Sempronio statuit Templo in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ in Monte, vulgo, Guardiæ, Deo dicato et sacro ; alteram vero ab eodem erogandam pro reparatione propriæ Parochialis jam cadentis Ecclesiæ. Primo quæritur, an merito omnes eas expensas consideraverit ?

Resp. Cum in cujuscumque voti commutatione, (quæ est translatio obligationis voti prius facti in aliam materiam priori subrogandam) servanda sit, ut communiter docent Theologi ac Canonistæ, æqualitas, vel saltem mo-

ralis, si omnimoda haberi non possit, ut facile evenire potest, quum itineris labores sunt considerandi; vel etiam rigorosa, si ea haberi possit, ut reapse habetur, quum expensæ computandæ sunt, merito dubitatur, an rite Parochus eas omnes expensas consideraverit. Hoc posito respondeo affirmative. Et quidem quoad expensas, quas erat Sempronius facturus eundo ac commorando, certa est una omnium Doctorum sententia: quoad eas vero, quas redeundo fuisset subiturus, docetur a Suaresio lib. 6, cap. 19, num. 10, Sanchez de Voto cap. 36, num. 11 et aliis quamplurimis, et quidem merito. Siquidem habetur textus expressus in Cap. *Magnæ devotionis* 7, *de Voto, et Voti redemptione*. Etenim Innocentius Tertius in similis voti commutatione vult, habendam esse rationem laboris et expensarum, non solum pro accessu et mora, sed etiam pro regressu. En Summi Pontificis verba: *Tibi pro te, et famulis tuis licentiam concedimus, votum Peregrinationis taliter commutare, ut expensas, quas fueras in eundo, morando, et redeundo facturus, alicui Religioso committas in necessarios usus Terræ illius* (nempe Sanctæ, ad quam Trecensis Episcopus, ad quem scribit Summus Pontifex, peregrinationem voverat) *sine diminutione qualibet transferendas*. Merito ergo Parochus in commutatione voti, quod de petenda Urbe ad Apostolorum limina visitanda egerat Sempronius, etiam expensas, quas redeundo subiisset, attente consideravit. Etenim illud Innocentii Tertii responsum, ut docent Hostiensis, Ancharanus, et S. Antoninus aliique celebriores Sacrorum Canonum Interpretes, veluti regula ac norma in iis votis rite commutandis, quæ itineris sumptus habent adjunctos, habenda est; nisi vovens pedestris, et mendicando ire, aut redire voluisset; quo sane in casu, quum nullæ essent expensæ, ita nec ulla expensarum ratio in ejus voti commutatione habenda fuisset, sed tantum laboris, quem subiisset. Non me latet, quid respondeant Henriquez lib. 7, cap. 3. Graffius lib. 2, cap. 30, num. 9. Felix Potestas tom. 1, part. 2 et alii, qui contrariam opinionem tuentur, nempe, ita Summum Pontificem in eo particulari casu respondisse, quia agebatur de Sum-

ma Eleemosynarum indigentia pro Terræ Sanctæ liberatione ab Infidelium manibus, ita ut et Cruciatam ad hunc ipsum finem indixerit. Sicuti ergo casus ac circumstantiæ illius textus non habent locum in aliis Peregrinationum casibus, ita nec ipsa particularis dispositio generaliter ad alios casus extendi potest. A diversis non fit illatio, nec in ipsis facienda est extensio de casu in casum *l. Sed si ante* 17. *ff. de exception.*, et *cap. ad audientiam* 12, *de decimis*. Contra enim Summus Pontifex in ea expensarum commutatione nullam habuit rationem ad circumstantiam ferendi succursus, ac procurandæ liberationis Terræ Sanctæ ab infidelibus, cujus ne meminit quidem; secus nimium, et ultra debitum gravasset Trecensem Episcopum, præsertim quum de illius voti validitate adhuc dubitaretur. Ad ipsum ergo votum dumtaxat respexit, ac veluti regulam generalem statuere quam in similium votorum commutatione sequi teneremur, intendit, ut contingere solet in aliis Summorum Pontificum, aut Sacrarum Congregationum Decretis, quæ licet occasione alicujus particularis eventus lata sint, veluti tamen regula ac norma similium eventuum, vel a Pontificibus, vel a Sacris Congregationibus præscribuntur.

CAS. II. — Quæritur secundo, an eidem Parocho fas fuerit alteram earum expensarum partem in favorem propriæ Ecclesiæ assignare?

Resp. negat. Ea siquidem assignatio pecuniæ in propriæ Ecclesiæ etsi jam ruentis commodum, quamdam ingerit labis avaritiæ suspicionem in Sacerdote commutante, qui tamen, ut inquit sanctus Carolus in Instruct. ad Confess. p. 4. Act. Eccles. Mediol. debet summopere abhorrere ab his omnibus, ob quæ vel minimam contrahere posset hujus vitii tam vilis, ac proprio statui adeo deformis suspicionem. Quamobrem merito idipsum in hac nostra Diœcesi expresse prohibetur Notificat. IV. tom. V. hisce verbis : *Nequeat Parochus, aut Confessarius sive in restitutionibus incertis, sive in votorum commutatione, sive pro se, sive pro Ecclesia sua aliquid accipere*, non quidem sub pœna suspensionis

a Confessionibus audiendis ipso facto incurrenda; hæc enim imponitur quidem Confessariis, qui Pœnitentibus Eleemosynas pro Missis celebrandis sive a se ipsis, sive in eorum Ecclesiis, imponunt, non vero pro votorum commutatione, de qua, quum nec verbum quidem habeatur, dum ea pœna præscribitur, utpote odiosa, juxta eam regulam juris num. 15, *Odia restringi, et favores convenit ampliari*, aliamve num. 49, *In pœnis benignior est interpretatio facienda*, ad votorum commutationem extendi non debet.

CAS. III. — Quum in Rubrica Missalis de defectibus in Ministerio occurrentibus habeatur, *incidente in syncopen Sacerdote post Consecrationem, Missa per alium expleatur ab eo loco, ubi ille desiit*: dubitatum fuit, an occurrente eo eventu post inchoatam dumtaxat formam consecrationis Calicis, alter debeat consecrationem complere, ea tantum consecrationis verba ex necessitate proferendo, quæ fuere omissa; quemadmodum præstare deberet, si Sacerdos celebrans in syncopen incidisset, peracta omnino vini consecratione. Quæritur dubii solutio?

Resp. non esse repetenda consecrationis verba, si Sacerdos in syncopen incidisset, jam absoluta prorsus Calicis consecratione: si vero id ipsum evenisset, vel etiam obiisset nondum hac forma completa, tunc alter Sacerdos Missam prosequetur, repetens supra eumdem Calicem integram formam ab iis verbis incipiendo *Simili modo*, ut aperte colligitur, inquit Merati tomo primo part. 2., ex ipso Missali de defectibus in Missa contingentibus Rubrica X. Si autem quæras, cur repetenda ea sit, si nondum fuit integre ab alio Sacerdote prolata, non sic vero si absoluta jam fuerit: dicam id esse, quod ex verbis a primo Sacerdote prolatis, et ex iis, quæ proferret secundus, integra non consurgeret consecrationis forma, deficiente morali ea unitate, quæ, sicuti requiritur inter materiam et formam, ita, et quidem a fortiori, in ipsa forma. Deficeret autem hæc moralis unitas ob notabilem interruptionem, quæ inter initium a primo Sacerdote prolatum, et finem, ac complementum, ab altero abso-

lutum haberetur ex quadam temporis necessaria distantia. Quum vero hæc ipsa moralis unitas reapse sit, si integra Calicis forma absoluta, Sacerdos syncope corripiatur, ideo nil formæ a secundo Sacerdote est repetendum, sed Missa per ipsum perficienda est ab eo loco, ut ait Rubrica, ubi ille desiit.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Cæsarius, contractis Sponsalibus juratis cum Berta vidua, quum intellexerit, eamdem ante Sponsalia fornicationem patrasse, vellet a Sponsalibus resilire : at dubitat, an obstet, ne id perficiat, tum status viduitatis, tum Cap. *Quemadmodum de jurejurando*, ubi Summus Pontifex ait : *Si quis juraverit, se ducturum aliquam in Uxorem, non potest ei opponere fornicationem præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in Uxorem*, suumque hoc dubium Parocho exponit ; Quid erit a Parocho respondendum?

Resp. Sive viduitatis statum consideres, sive ipsum caput *Quemadmodum* 25, *de jurejurando* propositum a Cæsario, dubium hoc modo Parochus dissolvet, ipsum nempe posse merito a Sponsalibus resilire. Sive, inquam, viduitatis statum consideres. Etenim in jure paria sunt aliquid supervenire, et præcedere ignoranter : res enim dicitur fieri, quando innotescit, Cap. *Pastorali 4, de exceptionibus*. Similiter paria sunt in jure non esse, et non apparere, *l. Duo sunt* 50, *ff. de Testamentaria tutela, et l. In lege* 77 *ff. de contrah. emptione*, sicque a sensu contrario paria sunt esse, et apparere. Illa ergo causa talem inducens mutationem, quæ, si Sponsalibus contractis supervenisset, par fuisset ad ea dissolvenda, iisdem sufficiet dissolvendis, etiamsi jam fuerint contracta, si postea cognoscatur. Quum igitur nemine dissentiente ex parte innocentis Sponsalia valide dissolvantur per fornicationem post Sponsalia commissam, quum notabilem in ipso nocente mutationem inducat, inficiari haud potest, eamdem etiam ante Sponsalia commissam, sed ab altero contrahente ignoratam, si postea

ab eo cognoscatur, iisdem dissolvendis parem esse. Cognita ergo a Cæsario Bertæ viduæ fornicatione ante Sponsalia commissa, poterit a Sponsalibus merito resilire, si eamdem, antequam Sponsalia contraheret ignorabat. Neque obest viduitatis status, quum adhuc ob eam fornicationem habeatur notabilis mutatio in ipsa vidua, atque probrosum sit viro, ducere mulierem, etiam viduam, inhonestam, quam honestam putabat. Quod attinet autem ad illud Caput *Quemadmodum*, nec illud obstare potest : etenim intelligendum est de fornicatione præcedente ab ipso Sponso jam ante Sponsalia cognita, quia, ex quo probavit scienter et voluntarie mores illius, juri suo cessisse censetur : quamobrem nequit amplius eos reprobare, nisi nova superveniente causa *arg. cap. Horrendus* 17, *caus.* 32, *quæst.* 5. Glossa in cit. caput *Quemadmodum* Verbo *Præcedentem*, Pirhing. lib. 4. Decret. tit. 1, num. 62. Reinffenstuel eodem libro ac titulo num. 246, et alii plures ab ipsis citati. Fornicatio autem, quæ prius ignorabatur, censenda est ex dictis, ac si non fuisset, et tunc solum habetur, quum primum cognoscitur. Quare apponitur, veluti subsequens, non præcedens. Non me retinet autem, quod ea Sponsalia fuerint juramento firmata : nam juramentum sortitur conditionem actus, cui apponitur : unde deficiente matrimonii promissione, deficit etiam obligatio juramenti, quod nempe, sicut in Matrimonii promissione, ita et in juramento subintelligitur hæc tacita conditio, nisi superveniat, aut detegatur notabilis mutatio. Id totum colligitur ex adducto cap. *Quemadmodum*, in quo affirmatur, non esse perjurium, qui post Sponsalia jurata recedit ob sponsæ fornicationem.

CAS. II. — Simplex Sacerdos, qui ad Confessiones audiendas nunquam fuit approbatus, absente Parocho, se Confessarium finxit, ac sedens in Confessionario mulierem peccata sua accusantem ad turpia sollicitavit : Est ne denuntiandus?

Resp. Quamquam non desint Doctores, et non pauci a Cardinali Cozza in suis selectis de Confessario sollicitante dubiis dubio 37, relati, qui affirmant, Sacerdotem simpli-

cem, nec unquam ad audiendas Confessiones approbatum, qui mulierem in actu Confessionis, qualis est, quum sua peccata accusat, ad turpia et inhonesta sollicitantem, denuntiandum non esse, quod, ut ait Fagundez de præcept. Eccl. præcep. 2, lib. 2, cap. 3, non datur in eo casu verum Sacramentum : quare sicuti sollicitatio, quæ tunc fit, nullam infert injuriam Sacramento, ita nec plectenda est ea pœna, qua puniendi sunt abutentes Pœnitentiæ Sacramento : nec enim pœna imposita alicui actui ab eo incurritur, qui facit actum nullum. Id autem eo vel maxime, subdit Bordonus in Tribun. cap. 23, quæst. 13, num. 64, quod sive Pii IV., sive Pauli V. Constitutiones de Sacerdotibus expresse loquuntur, qui ad fidelium Confessiones audiendas sunt deputati, nec Gregorius XV., qui priores Summorum Pontificum Constitutiones, quæ pro Regnis Hispaniæ, Portugaliæ, et Algarbiorum dumtaxat editæ fuerant, sua, quæ incipit *Universi Dominici gregis*, Constitutione ad fideles omnes extendit et ampliavit, strictius loquitur, sed solos, et ipse, approbatos Confessarios videtur innuere voluisse hisce verbis : *Ut aliquis Sacerdos ad sacras audiendas Confessiones deputatus*, qualis profecto non est simplex Sacerdos, qui nunquam pro Confessionibus audiendis fuit approbatus. Nihilominus quum Benedictus XIV. in sua Constitutione, quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua certas tutasque regulas statuere intendit, quibus indicatur, qui denuntiandi sint, quasve ob causas, et qua ratione denuntiare oporteat, hanc primam regulam definiat num. 2, Constitutionis : *Meminerint præterea omnes et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, et obligari suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat* : amplius jam dubitari non potest, quin reapse Sacerdos noster, prout in casu exponitur, sit denuntiandus, quum, etsi jurisdictione care-

ret, tamen in ipso actu Confessionis, ejusque occasione vere mulierem ad turpia sollicitaverit.

CAS, III. — Quum Gavantus doceat in Rubrica de ingressu Sacerdotis ad Altare, necessitatem excusare posse, ut Sacerdos sine Ministro celebret, contentio inter Parochum et Capellanum enata est, an urgenti de audiendo Sacro in diebus festis Ecclesiæ præcepto, ne Populus Missa careat, possit ex causa necessitatis etiam sine Ministro Sacrum fieri, affirmante id Parocho, id Capellano negante : Cuinam adhærendum?

Resp. Probabilius adhærendum esse Parocho : siquidem ex una parte obligatio Ministri adhibendi in Sacri celebratione quamquam ab Ecclesia præcipiatur juxta Alexandri III Decretalem in cap. *Præposuit*, de filiis Presbyterorum, ubi legitur : *Non enim solus Presbyter Missarum solemnia, vel alia Divina Officia potest sine Ministri suffragio celebrare*, tamen ad substantiam non pertinet Sacrificii, vel ritus ejusdem offerendi, quum Sacerdos ea omnia per sese præstare possit, quæ a Ministro fieri deberent, sibique etiam respondere (sed qualitatem dumtaxat respicit, majorem nempe quamdam solemnitatem ac honorem in eo celebrando.) Quare urgenti gravi necessitate, qualis est, ne Populus in die festo Missa careat, videtur dispensari posse ab Ecclesia. Ex altera parte præceptum audiendi Sacri diebus festis majus est præcepto Ministri adhibendi in Sacro faciendo: illud enim quodammodo determinat præceptum juris divini et naturalis de colendo Deo per Sacrificium; quamobrem connexum aliquo modo videtur cum ipso jure divino et naturali. Debet ergo alteri præcepto de Ministro adhibendo præferri, præsertim quum plus honoris Deo afferatur ex oblatione unius Sacrificii, ut hoc præceptum de audiendo Sacro adimpleatur : quum tota Ecclesia, cujus nomine Sacerdos Sacrificium offert, ut adimpleatur præceptum, concurrat ad deferendum Deo illum cultum, tamquam præceptum, quam accedat ex circumstantia Ministri in Sacri oblatione. Hinc ipse Sylvius 3, p. quæst. 83, art. 5, tametsi censeat Sacerdotem, cui die festo non sit copia Missæ audiendæ, meliore

consilio Missam prætermittere quam sine Ministro celebrare ; negat tamen illum peccare, si sine Ministro celebret. Probabilius ergo Parocho adhærendum est in nostro casu. Probabilius, inquam, quum non desint Auctores, et quidem magni nominis, qui vel nunquam sine Ministro celebrari posse sustinent, uti D. Antoninus 3 p. tit. 14, cap. 6, § 57, et Abbas in cap. *Ut quisque* n. 1, not. 4, *de vita et honestate Cleric.* vel, tametsi id concedant, urgente gravissima necessitate, ut si Viaticum opus sit infirmo ministrare, negant tamen id posse in necessitate dumtaxat gravi, qualis esset audiendi Sacri in die festo, uti docent Suaresius disput. 87, de Euchar. sect. 1, in fine, Sylvius jam laudatus, et alii apud Pasqualigum quæst. 340. Vide Quartum de Rubricis Missalis, et Gavantum cum Merato p. 2, tit. 2. de ingressu Sacerdotis ad altare.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Uxori, a qua ob publicum adulterium divortium a thoro fecerat Titius, post adulterium clam ab eodem patratum, reconciliationem exhibuit Titius ipse, desiderio abreptus cum eadem imposterum cohabitandi, uti virum et uxorem decet. At hæc ejus votis acquiescere renuit, ac in separatione perseverare vult. Meritone, ac juste?

Resp. Conjugi innocenti etiam post divortium, adulterii causa, propria auctoritate factum (quod quidem, quum adulterium est notorium, in utroque foro fieri posse apertissime deducitur ex cap. *Significasti* 4, de divortiis, ubi affirmatur, quod *si notorium est, mulierem ipsam commisisse adulterium, ad eam recipiendam vir,* qui propria auctoritate sine judicio Ecclesiæ eam prius repulerat, *cogi non debet*), liberum esse adulterum iterum recipere, sibique reconciliare, si utriusque status adhuc integer sit, ac adulterum et nocentem teneri reconciliationem admittere, ac redire, præsertim si nulla a Judice de divortio sententia lata fuerit, communiter docent

Auctores tum Theologi, tum Canonistæ, ac deducitur ex cap. *Quod autem* 7, *caus* .32, *quæst.* 1. Quod disputatur, est, an qui divortio causam dederit, teneatur alterius petitioni acquiescere, et reconciliari, quamvis sententia divortii præcesserit, et qui divortium voluit, post divortium adulterium commiserit. Negant Hugo relatus a Glossa cap. *Ex litteris*, Verbo *redire*, de divort. Navarrus lib. 3, Cons. in prima edit., tit. de regul. cons. 38, n. 1., quamvis in 2, edit., tit. de divort. lib. 4, cons. 4, in fine id restringat in hypothesi, qua conjux adulter ad religionem transire velit, et alii apud Sanchez libro 10, de Divort. disput. 10. num. 2. Ducuntur autem ex eo, quod divortii sententia ob publicum adulterium lata Matrimonium separat, solo vinculo remanente, ac utrumque conjugem æque absolvit ab obligatione cohabitandi, debitumque reddendi, alias æqualitas non servaretur justitiæ. Deinde, qui divortium a Judice petiit obtinuitque, juri suo, quod in adulteri corpus habebat, visus est cedere, et adulter pœnas dedit, quas alter postulavit. Jam vero remittentibus per sententiam Judicis jura sua, ac cedentibus, non datur regressus, nisi sententia a Judice lata, ab eodem, vel ab altero ejusdem saltem auctoritatis ac jurisdictionis retractetur : quod a fortiori dices in nostra suppositione, in qua Titius ob adulterium ab ipso pariter commissum tenebatur reapse suæ uxori reconciliari, iterumque recipere, quod nempe uxoris delictum proprio delicto compensaverit. Poterat ergo uxor ejusdem postulationi renuere, atque in separatione perseverare, donec a Judice ad reconciliationem et cohabitationem compelleretur. Verum contrariam opinionem amplector, quam docent ex Theol. D. Thom. in 4, d. 35, quæst. unica, art. 6, ad 3. D. Bonaventura ibidem art. unico quæst. 5. D. Antoninus 3, p. tit. 1, cap. 21, § 6, aliique, et ex Canonist. Laurentius, quem refert, et sequitur Glossa cap. *Ex litteris*, Verbo *redire*, de Divortio, Hostiensis in summa tit. *de Convers. Conjug.* et cap. *Gaudemus* eodem titulo, et alii passim. Siquidem, vel mulieri innotescit adulterium viri, vel non. Si primum, delictum uxoris, ut ipsi etiam affirmant adversarii, fuit compensatum per viri adulterium : quamobrem, sicuti

in foro externo restaurandum est matrimonium, ac sententia divortii a judice lata rescindenda, ut aperte habetur in cap. *Litteris de divortiis*, in quo vir, qui obtinuerat divortium ab uxore adultera, si cum altera fœmina se immiscuit, ad uxorem redire compellitur; quia, ut habetur in cap. *Tua Fraternitas* 7, eodem tit. *Quum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare:* ita et restaurandum est in foro interno ob eamdem rationem. Immerito ergo et injuste in hac hypothesi renuit mulier viri petitioni acquiescere. Si secundum dicas, vir veluti innocens ab uxore censetur : tenetur ergo, si ipse petat, illa redire, etiam post latam a Judice divortii sententiam. Quum enim divortium sit in favorem innocentis institutum, non debet in ejus odium detorqueri, arg. cap. *Quod ob gratiam* 61, *de regul. juris in* 6., ubi dicitur, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Retorqueretur autem, si etiam innocens privaretur jure in corpus conjugis nocentis. Quin reus ex proprio delicto commodum reportaret, quod opponitur l. *Itaque ff. de Furtis*, ac aditus veluti aperiretur conjugibus delinquendi, sibique invicem fidem frangendi, ut posset hoc pacto separari, ut optime advertit Glossa in dictum cap. *Ex litteris de divortiis*, et arg. cap. *Ex parte* 10, *de Consuet.* Titio igitur reconciliationem uxori exhibenti, et cohabitationem petenti tenetur uxor indulgere, et annuere. Rationes autem, quæ ab adversis doctoribus adducuntur, probant quidem, virum aut reapse innocentem, aut talem ab uxore putatum, non posse ab ea cogi ad habitandum, quod ultra concedimus; non vero ipsam non teneri, si vir id postulat ac velit, ad redeundum cum viro suo, eique se reconciliandum.

CAS. II. — Sergius firmiter tenens, Sempronium non esse furti, cujus accusatur, reum, tametsi reapse furtum hoc ille commiserit, jurejurando affirmavit, eumdem vere furtum illud patrasse. Estne perjurus?

Resp. Quum, ut ait Augustinus, lib. de Mendacio, cap. 5, *ille mentiatur, qui aliud habet in animo, et aliud ver-*

bis, vel quibuslibet significationibus enuntiat: unde etiam, ut ipse addit Epist. 125, *duplex est illi cogitatio una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat, sed non profert: altera ejus rei, quam pro ista profert*, dubitari haud potest. quin Sergius perjurii in exposito casu sit damnandus, siquidem aliud juramento suo affirmavit, aliud in mente retinuit: quod sicuti mendacii reum illum constituit, ita et perjurii, quod naturam sequitur mendacii. *Neque* vero obest quidpiam, quod reapse Sempronius furtum commiserit, de quo jurejurando testatus est Sergius. Etenim ad juramenti assertorii, quale est juramentum Sergii, veritatem non sufficit, ut res in se ipsa, seu, ut scholæ loquuntur, materialiter sit vera, sed talis potissimum esse debet relate ad mentem jurantis, seu, ut aiunt, formaliter. Potissimum, inquam, *quia*, ut ait Augustinus relatus ab Angelico in 3, sent. dist. 39, art. 4, ad 2, et 3. *Interest, quemadmodum verbum procedat ex animo, quia reum linguam non facit, nisi rea mens.* Hinc ipse concludit *in unoquoque potius est id, quod est formale, quam id quod est materiale.* Quum ergo Sergius firmiter tenens, Sempronium non esse furti reum, juramento affirmaverit reum esse, tametsi furtum reapse ille patraverit, perjurii damnandus est, et quidem gravis, licet furtum esset leve, quum ab Innocentio Undecimo die 2 Martii anni 1679, hæc propositio num. 24, damnata fuerit: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

CAS. III. — In die depositionis cujusdam mulieris defunctæ Parochus dicit, *Non intres in judicium cum serva tua;* ritene se gerit hoc pacto, ut, quum dicit: *Requiescat in pace?*

Resp. negative. Siquidem dicere *Requiescat in pace*, quum delato cadavere ad Ecclesiam pro eo Officium canitur, et Missa defunctorum, expresse præscribitur a Rituali Romano, jussu Pauli V. edito, cui omnibus parendum est, ut legitur in titulo *de Officio Defunctorum*: At dicere *Non intres in judicium cum serva tua* in die depositionis cujusdam defunctæ mulieris expresse pro-

hibitum fuit a Sacra Rituum Congregatione Decreto edito die 31 Augusti 1697, in una Fanen., relato a Merato in indice Decretorum tom. 1, p. 2, n. 518, hisce verbis: *In depositione Defunctorum in verbis illis, Non intres in judicium cum servo tuo, Domine : quando est mulier, aut plures sunt Defuncti, non possunt verba cum servo tuo immutari cum serva tua, vel, servis tuis, absque Sacræ Rubricæ læsione, et servandum est Rituale.*

MENSE MAII.

CAS. I.— Olimpius sese in longinqua conferre volens, interrogatus ab Apulejo, qua ratione tam longum iter omnibus fortunæ bonis expoliatus acturus esset, commendata ei fide de secreto servando, respondit, nocte suum discessum præcedente, se velle surripere Platoni aurea mille, quæ ipse novit, eumdem in quodam servare secretiori cubiculo, in quod facillimus ipsi est ingressus: Debetne Apulejus secretum hocce religiose servare, an vero furtum ipsum illi est denuntiandum?

Resp. Non servata concrediti secreti fide, denuntiandum esse ab Apulejo Platoni furtum, quod ipse pati facile potest. Quamquam enim vi juris naturalis ea obligatio inducatur, ut secretum servetur, nec quisquam ullatenus sit, sive judex, sive quilibet alius quocumque gradu, qualibetque potestate insignitus, qui alteri possit necessitatem inferre ejusdem revelandi : attamen istud generale principium locum non habet in iis, ex quibus grave aliquid damni, aut toti communitati, aut etiam ipsius communitatis individuis infertur. In hoc siquidem casu, quum nempe quis animo destinavit quidpiam aggredi in alterutrius perniciem, nec hactenus propositum perfectum est, potes, quinimo et debes secretum aperire, etiamsi foret juramento firmatum, nisi esset secretum Confessionis Sacramentalis, aut forte per vim et fraudem acceptum, puta per aperitionem clandestinam litterarum, quæ clausæ essent, ac sigillo

obsignatæ. Cujusque enim secreti acceptatio suapte natura hanc conditionem inditam habet, nisi in damnum vergat, aut communitatis, aut etiam unius individui innocentis: quippe Charitatis præceptum de jure, tum naturali, tum divino, strictiorem proculdubio obligationem inducit ipsa fidei servandæ circa secretum necessitate. Quum ergo, si Apulejus concrediti sibi secreti fidem servaret, in grave damnum vergeret Platonis innocentis, nedum ad eam servandam non tenetur, quin potius obligatur ad illud idem secretum Platoni revelandum, ut sibi, suoque bono consulat, adeo ut, nisi eumdem de hoc ipso moneat, graviter peccet; non quidem contra justitiam, nisi esset Apulejus illius cubiculi custos, sed contra Charitatem, ex qua quisquis tenetur damnum, quod certo prævidet alteri inferendum, quum potest, avertere ac impedire. Ita Layman lib. 3, Tomo 2, p. 2, cap. 5, num. 2.

CAS. II. — Poteritne idem Apulejus, nedum furtum hocce Platoni detegere ac indicare, verum et ipsius Olimpii nomen manifestare?

Resp. neg. Etenim revelari non potest aliquod secretum ad alterius detrimentum pertinens, nisi eo dumtaxat animo, ut, quod imminet, damnum devitetur et avertatur. Porro Apulejus facillime potest damnum impedire, quod ex furto experiretur Plato, quin vel pravum Olimpii propositum, vel multo minus ipsum Olimpii nomen manifestet, puta si ipsum admoneat, ut de illo secretiori cubiculo, in quo ea aurea mille servat, in tutiorem alium locum transferat, vel alio modo sibi suisque bonis prospiciat. Debet ergo Platoni Olimpii nomen omnino reticere, ut ipsius famæ consulat, quam secus frustra, nullaque exigente legitima causa, deturparet atque destrueret, gravisque peccati reus fieret, nedum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, quum jus habeat Olimpius, ne prava ejus voluntas absque necessitate manifestetur. Hanc opinionem docet Navarrus *in Can. Sacerdos, de pœnit. dist.* 6, *n.* 24, eo potissimum Angelici Doctoris innixus principio, *quod illa lex inviolabilis esse omnibus debet, ut quoties cor-*

pus et res familiaris proximi servari possunt, alterius fama salva, id omnino fiat: quod idem docet Reginaldus lib. 24, cap. 6, num. 115. hisce verbis : *Meminisse oportet, quod etiamsi revelandum sit secretum ad obviandum damnis ingruentibus. . . revelationem tamen ita faciendam esse, ut illud solum præcise manifestetur, quod satis fuerit ad obviandum iisdem damnis*, concludens : *quare, si ad id sufficiat revelatio delicti committendi, sine revelatione personæ, hæc reticenda erit.*

CAS. III. — Parochus recenter promotus, quum in ejus Ecclesia asservetur insignis Reliquia cujusdam Sancti, cui, approbante Ordinario, debita a fidelibus exhibetur veneratio, ejusdem Sancti occurrente festo, Officium recitat, licet in Martyrologio Romano nulla illius Sancti fiat mentio, nec Officium illud a Sancta Sede fuerit specialiter approbatum, aut concessum. Satisfacitne præcepto recitationis Divini Officii juxta S. Pii V. constitutionem ?

Resp. neg. Quod quidem certissime constat ex Generali Decreto a Sacra Congregatione Rituum edito die 11 Augusti 1691, quod ita se habet : *Officia Sanctorum ratione corporis seu insignis reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate corporis seu reliquiæ insignis ejusdem Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus: de cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari et Missa celebrari non debent, non obstante, quod ipsorum corpora vel insignes reliquiæ in Ecclesia asserventur, quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debita fidelium veneratio, (prout hactenus servandum est) exhibeatur, sed absque Officio et Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione S. Pii V.* Hoc autem Decretum approbatum fuit ab Inoc. XI, die 19 Octobris ejusdem anni in suo motu proprio, quod incipit : *Quum Sacra Rituum Congre-*

gatio, et a Clem. XI, die 29 Septembris anni 1714. Constitut., cujus est initium: *Quum occasione Missalis.* Male ergo se gessit recens Parochus, nec præcepto de Divini Officii recitatione ad Sancti Pii V. Constitutionem satisfecit. V. Notas Patris Merati ad Gavantum Romanæ editionis folio 1404, num. 468 et Spiridionem Talu secundæ Venetæ editionis fol. 107. num. 629.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Cato, ne a latronibus occideretur, eis intra triduum se daturum promisit decem aureos, ea mente et animo restitutionis hujus apud judicem repetendæ, ac urgendæ: Fuitne mentitus, fidem suam latronibus obligando?

Resp. Catonem non esse mentitum, licet latronibus decem aureos spoponderit animo restitutionis eorumdem apud judicem repetendæ. Non enim promisit, se nolle urgere apud judicem, ut hæc pecunia ab ipsis restituatur; qua sane in hypothesi revera mentitus esset, quia promisisset sine animo promittendi, quod est verum mendacium; sicuti verum perjurium est, uti affirmant Doctores, jurare sine animo jurandi. Modo ergo, quum promisit, se eos aureos daturum, vere hic ei fuisset animus, qui quidem optime consistere potest etiam cum deliberata intentione ac voluntate eosdem postea judicis ope recuperandi: hic enim non excluditur nisi per expressam contrariam promissionem; non est reapse mentitus. Id expresse docetur ab Angelico Præceptore in 4, dist. 39, quæst. unica, art. 2, ad 4, hisce verbis: *Constans non cogitur ad mentiendum, quia tunc vult dare, sed tamen postea vult petere restitutionem, vel saltem judici pronuntiare, si se promisit non petiturum restitutionem.* Quod si petas, an teneatur ad ea aurea latronibus reapse solvenda, sicque standum promissis; quum hæc promissio non accesserit, nisi ex metu gravi cadente in virum constantem, ob mortem scilicet, quam Catoni minabantur latrones, dicam non teneri, uti docet Angelicus 2, 2, quæst. 89, art. 7, ad 3. *Talis enim obli-*

gatio, sunt S. Doctoris verba, *tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur:* idque est, quod Alexander III. Episcopo Brannoviensi *in cap. Abbas: de his, quæ vi metusque causa fiunt*, rescripserat: *Quæ metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Est communis.

CAS. II. — Contendentes duo Parochi inter sese, an puer sub hac forma ab obstetrice baptizatus, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, si moriatur, sepeliendus sit in Ecclesia, necne; rem ad Archipresbyterum deferunt solvendam: Qualis erit Archipresbyteri solutio?

Resp. Archipresbyterum debere respondere, non esse infantem illum in Ecclesia sepeliendum. Etenim in Rituali Romano tit. de Exequiis, v. *Quibus non licet dare Ecclesiasticam sepulturam*, expresse præcipitur, ne detur infantibus mortuis absque baptismo. Porro infans, de quo in casu, vere decessit sine baptismate, quum baptisma collatum iis dumtaxat verbis, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, non fuerit validum ac verum ob formæ defectum, ad cujus essentiam pertinet, ut baptizantis actio, et baptizati persona exprimatur iis saltem verbis, *Te baptizo*, uti expressissime docet Alexander III, in cap. *Si quis, de Baptismo, et ejus effectu*, lib. 3, decret, tit. 43, cap. 1, hisce verbis: *Si quis puerum in aqua ter merserit, dicendo: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et non dixerit, Ego te baptizo*, non est puer baptizatus. Etenim uti ex hac ipsa Decretali argumentatur Angelicus in 4, dist. 3, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 3, in corpore, « oportet, » quod per formam, virtus Trinitatis invocatæ ad materiam propositam determinetur, quod fit expressione » actus, scilicet dicendo, *baptizo;* similiter etiam ex» pressio personæ baptizatæ, quæ fit per dictionem il» lam *Te*, est de substantia formæ, quia per eam deter» minatur actus ad hunc baptismum, et ideo si subtra» hatur, non erit baptismus. » Hactenus Angelicus. Quum ergo in exposito baptismo utrumque defuerit, non fuit

valide puer baptizatus; quamobrem si moriatur absque alio baptismo, non poterit in Ecclesia sepeliri. Neque dicas, quod si in utero matris decedat, est una cum matre Ecclesiastica Sepultura donandus. Siquidem in hac hypothesi unum facit cum ipsa matre; cujus veluti pars adhuc censetur, quum in ipsius visceribus hactenus retineatur. Quare nil mirum, si eadem cum matre sepultura eidem sit concedenda. Ita cum Clericato de Baptismo decis. 9, communissime Theologi.

CAS. III. — Quum cantatur Missa sine Ministris, quidam Parochus, canente Clero Symbolum, scilicet *Credo*, suam Missam submissa voce prosequitur usque ad Præfationem: Ritene id præstat?

Resp. neg. Expresse siquidem idipsum prohibitum fuit a Sacra Rituum Congregatione in una Januensi die 17 Decembris 1695, hisce verbis: *Sacerdos, qui celebrat Missam conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non potest eam prosequi eo tempore quo a Choro cantatur Symbolum.* Hoc ipsum jam decreverat in Beneventana die 13 Septembris anni 1650. Vide Patrem Merati in notis ad Gavantum, tomo primo part. 2, num. 510, et Spiridionem Talu pag. 114, sec. edit. Venetæ num. 664.

MENSE JULII.

CAS. I. — Berta, contractis sponsalibus cum Cajo, quem putabat satis timoratum, bonisve moribus instructum, subinde nosciteumdem assuetum esse blasphemiis, ac pro qualibet vel minima re iram concipere, et indignationem: Teneturne stare sponsalibus?

Resp. Quum, ut jam in resolutione primi casus Mensis Martii probavimus, illa eadem causa, quæ sponsalibus jam contractis superveniens par est iisdem dissolvendis, valeat etiam ac sufficiat eorumdem dissolutioni, si, quamvis ipsa præcesserit sponsalia, non fuit tamen ab alterutro ex contrahentibus cognita, nisi iisdem jam contractis, quod nempe *in jure aliquid supervenire, et*

aliquid de novo apparere, censeatur idem, *ut non esse, et non apparere*; proculdubio Berta poterit tuta conscientia a sponsalibus resilire, quæ cum Cajo contraxit, quem subinde non timoratum, uti putabat, sed noscit blasphemiis assuetum, ac facillime pro qualibet vili re irascentem. Quis enim neget hocce animi vitium, quod dignoscitur, contractis sponsalibus, si vere post sponsalia enasceretur, sufficiens esse ipsis reapse dirimendis? Siquidem nonne sufficeret ad petendam ipsius matrimonii jam contracti separationem quoad cohabitationem et thorum, si ad sævitiam tenderet iracundia Caji, quod non raro accidit? Multo magis ergo par erit dissolvendis sponsalibus, ne contracto matrimonio miserrime vitam ducere cogatur Berta, ut ferme semper evenit, inter jurgia ac dissentiones. Et quidem si notabilis deformitas corporis, quæ superveniat, est justa causa solutionis sponsalium, cur tam immane animi vitium, si emergat, non sufficiet ad refragandum eorumdem consensui jam contracto? Par ergo etiam erit, tametsi antequam sponsalia inirentur jam fuisset, dummodo solum iis contractis cognitum sit. Quamobrem opposite Sylvius in supp. 3, p. sum. S. Thom. quæst. 45, variis legitimis causis dirimendorum sponsalium hanc decimam accenset hisce verbis: *Decimus*, (casus) *quando magnum vitium alterutrius innotescit, prius ignotum.* Hæc autem omnia satis aperte constare videntur ex Decretali Innocentii III, in cap. *Veniens*, relata lib. 4. Decret. 6. *Qui Clerici vel voventes.* In ea enim Summus Pontifex absolvit quidem a voto castitatis simplicis mulierem, quæ illud ficte ac simulate emiserat, ne cogeretur nubere viro, cui absenti fide data se nupturam promiserat, sed postmodum plura de ipsius severitate audiens, noluit ei nubere; et quidem de fide mentita et voto violato congruam satisfactionem ab ea præstandam decernit; at de sponsalibus ab ea initis, quibus stare noluit ob viri severitatem, quæ ipsi postmodum innotuit, ne verbum quidem habet. Merito igitur ob eam causam poterat, ipso approbante Summo Pontifice, ab iis resilire. Nec ergo in nostro casu iisdem stare tenetur Berta, uti satis communiter docent Theologi cum Cardinali Toleto in Instruct. Sacerd. lib.

7, cap. 21. Navarro in Manu. cap. 22, num. 27, et apud eum Panormitano in cap. *Veniens*, pluribusque aliis.

CAS. II. — Almachius graviter a Patre correptus, atque, ut ipse censet, absque ulla rationabili causa, vehementi ira contra Patrem ipsum abreptus, in hoc ipso iræ impetu votum Religionis emisit, ut se tandem ab hujusmodi objurgationibus eximeret. Estne validum hoc Votum ?

Resp. Quamquam auctor Glossæ in cap. *Dudum* Greg. IV, lib. 3. Decret. tit. 32, cap. 20, de conversione conjugatorum, versu *Calore iracundiæ*, quem sequuntur Ludovicus Romanus, Felinus, Jason, et alii quidam, censeat votum hujusmodi nullum esse, nisi qui iracundiæ suæ impotenti motu abreptus vovit, compressa tandem iracundia illud idem ratum habeat, quod quidem confirmari luculenter putat ex quadam Decretali Innoc. III, relata lib. 3, decr. tit. 3, de Regularibus in cap. *Sicut tenor* 15, in qua apertissime Summus Pontifex declarat, positum extra mentem consentire non posse, *nisi*, sunt ejusdem verba, *postquam mentis suæ factus est compos, spontanea voluntate professionem fecerit Monachalem.* Attamen, nisi, ut Joannes Andreas in dictum caput *Dudum*, Panormitanus et alii plurimi non infimæ notæ Canonistæ contendunt et explicant; *talis* ob iracundiam fiat *turbatio, et tanta, quod sapiat quamdam mentis alienationem ex multo furore;* seu, ut addit Navarrus in Can. *Divortium de Pœnit.* dist. 1, n. 12, in fine, iracundiæ motus eo usque sit impotens, ut voventis mentem ab omni tum rationis usu, tum judicio alienet, ab ea Glossæ opinione recedendum omnino est. Etenim iracundia, quæ talis non fit, quæ nempe mentem ab usu rationis non revocat, non tollit, aut impedit, experientia ipsa magistra, quin ira hujusmodi correptus advertat, ac reapse velit quod promittit et vovet; quod quidem sufficit, ut votum emissum validum sit ac firmum, ex communi omnium Doctorum sententia. Et revera Urbanus III, in cap. *Sicut* 15, lib. 2. Decret. tit. 24, de jurejurando, apertissime declarat quemdam Monachum,

qui *iracundiæ calore succensus* jurerando affirmaverat se nolle amplius in Monasterio ,quo se vinculo Professionis adstrinxerat, morari, ne vivere cogeretur cum quodam Religioso, a quo aversus erat, obligandum quidem esse ad perpetuam moram in eo Monasterio habendam : sed ob juramentum temerarium , quo sese obstrinxerat, gravem ei pœnitentiam , quæ alium quemlibet ab hujusmodi ausu deterreat, injungendam esse. Ratum ergo habuit Summus Pontifex hoc juramentum, tametsi temerarium et injustum ex iracundia factum. Quidni igitur votum ex simili iracundiæ motu emissum coram Deo non valebit ? Addo ad majorem hujusce quæstionis solutionem , quod affirmat de Sacra Pœnitentiaria loco jam adducto Navarrus, qui, quum Canonistæ munere in eo Summo Tribunali fungeretur, ejusdem etiam mentem ac praxim optime noverat. Ait itaque : *Prætorium Sacræ pœnitentiariæ omnia vota per iracundiam, vel aliam passionem et perturbationem facta, judicat esse valida, nisi tanta fuerit iracundia, tantaque passio et turbatio , quæ voventem extra mentem ad insaniam trahat.* Atque in hoc sensu intellige Decretales cum Gregorii IX, tum Innocentii ab auctore Glossæ pro sua opinione productas. De illo siquidem iræ impetu, ut eas legenti facile constabit, procedunt, qui omnem prorsus rationis usum ac judicium adimat, ita ut homo , ut inquit Innoc. *positus extra mentem* sit; qua sane in hypothesi, quum non habeatur ea sufficiens cognitio ac deliberatio, quæ ad voti obligationem inducendam exigitur, et nos fatemur irritum esse ac nullum , quidquid vovetur aut promittitur, nisi compressa ira illud ipsum ratum habeatur. Nisi ergo hujus generis fuerit Almachii ira, qua abreptus votum Religionis emiserat, ad Religionem ingrediendam dubio procul ex hoc voto tenetur.

CAS. III.— Parochus, quum sermonem habet ad Populum intra Missarum solemnia, eumdem dicit post Calicis oblationem, de quo ab alio Parocho reprehenditur, quod nempe sermo iste habendus necessario sit statim post Evangelium : Verumne censet Parochus iste ?

Resp. verum sentire Parochum affirmantem , sermo-

nem habendum inter Missarum solemnia, statim post Evangelium dicendum esse. Tametsi enim, ut ait Gavantus, ad Missalis rubricas de Epistola, Graduali, et aliis usque ad Offertorium, antiquiores concionem hanc haberent post Symbolum, uti deducitur ex lib. 8, Constit. Apostolic. c. 4, hodie tamen servanda est Missalis rubrica, quæ hoc ipsum præscribit n. 6 : *Si autem sit prædicandum, concionator, finito Evangelio, prædicet, et sermone seu concione expleta, dicatur Credo, vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium* : et merito quidem *eo loco ac tempore* subdit Gavantus, teste Merati in ejusdem notis tom. 1, p. 2, tit. 6, de Epistola etc. *concionandum est ex Ordine Romano, ut concionator sit quasi sancti Evangelii interpres.*

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Syncope correpto Parocho die festo, nullove ibi existente Sacerdote præter Petronium, hic enixe rogatur a Parocho viciniore, ut Sacrum facere dignetur, ne Populus Ecclesiasticum de audienda Missa præceptum omittere cogatur: obstinate tamen celebrare recusat: Tenebaturne Petronius in ea facti circumstantia Sacrum facere?

Resp. affirmat. Tametsi enim, ut in institutione 6. Tomi quinti advertit, num. 18, gloriosissimæ recordationis Prosper olim Cardinalis Lambertinus, mox vero Benedictus XIV, disputent Theologi, an Sacerdos, qui neque animarum cura, neque ullo beneficii titulo insignitus sit, neque ullum accepit stipendium, Sacrum tamen facere debeat singulis diebus festis, an solum, quum solemniores dies celebrantur, aliis id affirmantibus, aliis vero negantibus; unanimes tamen asserunt, hujus generis Sacerdotem rem divinam operari debere, quum necessitas id postulaverit, veluti si die festo aliqua Parochia Sacrificio careret. Et merito quidem; etenim Sacerdos etiam simplex, quicumque sit, ratione ipsius ordinis sacerdotalis est constitutus publicus populi Minister ad offerendum Sacrificium, uti habetur

Hebræorum 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in is, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Ratione ergo suscepti muneris ad Sacrum Deo offerendum tenetur, quoties ad id tenetur Populus, et alii deficiunt Sacerdotes, qui id præstent. In hac enim hypothesi obligatio hæc communis ad ipsum devolvitur. Jam vero populus tenetur suo modo Sacrificium Deo offerre, quum eidem ex Ecclesiæ præscripto interesse debet : omnes enim, qui adstant Sacrificio Missæ, sunt totidem veluti offerentes. Tunc ergo deficientibus aliis, qui id præstent, Sacrum ipsi operandum est; quod ni faciat, graviter deficit muneri suo. Tenebatur ergo in exposita facti circumstantia Petronius ad Missam celebrandam. Vide Passerinum in 3, p. D. Th. quæst. 82, art. 10, et Pasqualigum tom. 2. de obligatione offerendi Sacrificium quæst. 842.

CAS. II. — Lucia ardentissimo desiderio flagrans Sacrarum Reliquiarum, ac nullum non movens lapidem in iis sibi comparandis, noscens Paulum sacerdotem apud se retinere quoddam frustulum ex ossibus Sanctæ Luciæ, cujus ipsa nomen habet, enixe eumdem deprecatur, ut illud ipsum ei dono elargiatur. Votis ipsius non annuit Paulus, nisi sub impia conditione copulæ, quam a Lucia consequitur. Hæc circumstantia in Sacramentali Confessione estne necessario aperienda ?

Resp. omni dubio procul, appositam circumstantiam, ob quam Lucia sui corporis Sacerdoti copiam fecit, nempe, sacræ illius Reliquiæ traditionem, esse necessario in Confessione aperiendam, siquidem uti docet Tridentina Synodus sess. 14, cap. 5, *illæ etiam circumstantiæ sunt in Confessione necessario aperiendæ, quæ speciem peccati mutant, alienumque a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis inventas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in Fratrem.* Jam vero quis non videat expositam circumstantiam, novam sacrilegii malitiam ac speciem addere Luciæ peccato? Etenim an non venereus ille actus, quem impius Sacerdos exegit, veluti pretium

censeri debet illius, quam ardenter exoptabat Lucia, sacræ Reliquiæ? Renuit enim ejusdem votis annuere nisi sub hac impia copulæ conditione. Porro nemo inficias eat, id simoniaca labe infectum esse. Si enim simoniacum est Sacras Reliquias (pecuniæ pretio æstimari, aut vendi, quum aliquid in omnium sententia rei sacræ sint) quod quidem strictissime prohibuit quarta generalis Lateranensis Synodus, cui præsidebat Innocentius III, eo Decreto, quod in corpore Decretalium habetur, scilicet lib. 3, tit. 45, *de Reliquiis et Venerat.* § cap. *Quum ex eo*; quodque plurimis etiam sæculis ante illius Concilii celebrationem districte inhibuerunt Imperatores Honorius ac Theodosius lege, *Nemo*, 2. Codice de Sacrosanctis Ecclesiis, quæ sic se habet: *Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur*, id est, ut ibidem Glossa notat: *Nemo Sanctorum Reliquias mercetur*; cui tum Canonicæ, tum civili decisioni omnes consentiunt tum Theologi, tum Canonistæ: quinam simoniacum non erit Sacram Reliquiam non tradere, nisi ob turpem conditionem ac pactum venerei sacrilegique actus, quod longius absonum est ac indecorum? Simonia siquidem, ut communiter docent Auctores, est quæcumque studiosa voluntas tradendi spirituale, vel spirituali adnexum, pro re temporali, ut pretio. Quicumque ergo contractus, quo res aliqua spiritualis, ut talis pro temporali commutatur, simoniaca labe inficitur, sive temporale illud sit res aliqua, vel pecunia, sive aliud simile, quod rei aut pecuniæ comparetur, consequenter etiam contractus, ut aiunt, innominati, *do ut des*, *do ut facias*, simoniaci esse possunt: docente S. Antonino, 2 part. t. 1, cap. 5, § 1, *emptionis, aut venditionis nomine quicumque contractus comprehenditur, qui non sit gratuitus.* Copula igitur a Lucia cum eo Sacerdote habita sacrilego simoniæ crimine infecta est, ac tres veluti malitias ac species peccatorum induit, sacrilegii nempe ob fornicationem habitam cum Sacerdote, persona scilicet voto castitatis Deo obstricta; luxuriæ, quæ in eo ipso actu consistit; ac tandem simoniæ ob illud, quod intercessit, pactum de illa sacra Reliquia tradenda: quæ quidem simonia, etsi sacrilegium sit non minus quam ipsa co-

pula cum Sacerdote habita, ab ea tamen specie differt, quum diversa ratione Religionem ac sanctitatem, cui utrumque opponitur, respiciat. Copula enim personam ipsam, quæ est formaliter ac simpliciter sancta et religiosa, ac ipsius sanctitatis subjectam : simonia vero rem spiritualem, quæ ad sanctitatem per quamdam habitudinem ordinatur. Quemadmodum igitur aperienda Luciæ est circumstantia Sacerdotis, vel personæ Deo per castitatis votum obstrictæ ac sacræ, cum qua rem habuit; ita et necessario altera de tradenda ob eam ipsam copulam Sacra Reliquia, erit ipsi manifestanda. Ita communiter Doctores.

CAS. III.—Æstivo tempore accedens quidam Sacerdos ad altare celebraturus, super Calicem ponit sudariolum, quo libere uti possit in ipsa Missæ celebratione ad sudorem, quem facile emittit, tergendum, ne ejusdem guttæ decidant super Corporale : Ritene id præstat ?

Resp. negat. Siquidem, uti docet Pater Merati in suis observationibus ac notis ad commentarium Patris Gavanti in Rubricam secundam de ingressu Sacerdotis ad altare tom. 1, p. 1, super ea verba rubricæ, *Accipit manu sinistra Calicem*, nil super Calicem ponendum est, præter ea, quæ a Rubrica præscribuntur. Hinc subdit, *non sudariolum, seu manutergium ad emundandas nares.* Quod idem sane dices et de sudariolo ad tergendum sudorem, quum nulla sit, vel esse possit de isto potior ratio. Si enim eo quis opus habet in Missæ celebratione, poterit illud deferre sub planeta pendens a dextera parte cinguli, uti tradunt Gavantus ipse, Bissus, a Portu, aliive castigatiores Rubricistæ. Merito propterea Sacra Rituum Congregatio die 1 Septembris anni 1703, in una Pisaurensi hoc ipsum decrevit hisce verbis : *Sacerdotes non debent deferre manutergium super Calicem, tam eundo, quam redeundo ab altari.* Ex his facile deduces, improbandum esse quorumdam Sacerdotum abusum deferentium super Calicem, aut perspicilia ipsis ad legendum necessaria, aut Sacrarii, seu Capsulæ, in qua servantur Sacræ Particulæ pro communicantibus, clavem, aut quid aliud simile. Nil enim horum

a Rubrica præscribitur. Erunt ergo et ista Ministro tradenda, ut cum Merati loco adducto docent alii Sacrorum Rituum ac Rubricarum periti.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Parochus sese conferens ad ministrandam Infirmo jamjam morituro Extremam Unctionem, in itinere, apud se tenens Olei sacri vasculum, tentatione victus rem habuit cum muliere : facti pœnitens suum peccatum in Sacramentali Confessione sincere exponit, sed eam circumstantiam reticet : Integrane est, ut oportet, hæc Confessio?

Resp. negat. Ea siquidem circumstantia erat necessario in Confessione aperienda ; utpote quæ non solum præcise aggravans est, verum et aliam malitiæ speciem inducens, irreverentiam nempe in ipsam Religionem. Tametsi enim aliqui non desint, qui cum Sanchesio in l. 2. Mor. cap. 40 num. 28, post Azorium doceant, irreverentiam, quæ infertur in hac facti circumstantia Religioni, talem non esse, ut par sit culpæ gravi ac lethali per se constituendæ, adeo ut sit necessario explicanda, quod forte inquit Dicastillus de Sacram. tom. 2, tract. 8, disp. 9, dub. 8. num. 718, non inficiaretur, si sermo esset de exercente actum turpem et inhonestum sive cum muliere, sive cum seipso, et secum eo tempore gestaret, haberetque aliquam Sacram Reliquiam : quod ne quidem negat Cardinalis de Lugo de Pœnit. disput. 16, sect. 12, et si frustulum excipias Sanctæ Crucis, aliarumve rerum, quæ physico Christi Domini contactu sacræ sunt, nec ego dissentirem : attamen, quum hic sermo sit de Sacramento ; Oleum enim sacrum deferebat pro ministranda infirmo Extrema Unctione, et Sacramentum quodlibet majori decentia ac honore prosequendum nobis sit qualibet cujusque Sancti sacra Reliquia, negari non potest, irreverentiam hanc adeo crescere, ut fiat reapse gravis ac lethalis, quamobrem novam veluti

speciem malitiæ contra Religionem induit diversam a luxuriæ specie, quæ per illum actum committitur; consequenter pro integritate Sacramentalis Confessionis necessario explicandam. Et sane, si quum aliquis Deum vocaliter orat, ipsum mortaliter offenderet alicui rei pravæ voluntate consentiendo, hanc circumstantiam, novum peccatum a suo pravo consilio diversum, quod nempe opponitur Religioni, qua Deo sincere ac pie debitum honorem reddere tenemur, includeret, ac propterea esset in Confessione necessario aperienda, uti ex SS. Ambrosio et Chrysostomo probat et docet Angelicus in 4, sen. dist. 16, quæst. 3, art. 2. et 1. quæst. 18, art. 10, cur exposita in nostro casu circumstantia sacri Olei, quod Parochus secum gestabat, quum copulam habuit, novum non includet peccatum, et quidem grave ab eo pravo actu diversum, contra scilicet religionem, qua tenemur sancta sancte peragere, summaque veneratione ac reverentia prosequi, quæ tot ritibus ac cæremoniis ab Ecclesia Deo sacrantur ac pro materia Sacramentorum instituuntur, ut est sanctum Infirmorum Oleum? Quum ergo Parochus, qui Oleum sacrum ad ministrandam Infirmo Extremam Unctionem deferens, rem cum ea muliere habuit, hanc circumstantiam reticuerit, ejusdem Confessio integra non fuit. Ita Dicastillus loco adducto, et Cardinalis de Lugo cum Philiarco de Officio Sacerdotis tom. 1. p. 2, lib. 3, cap. 9, ad finem.

CAS. II.—Tiburtius, initis cum Cæcilia sponsalibus validis, post sex menses ad summum per Matrimonium complendis, per integrum annum, nec Cæciliam invisit, nec de ea, aut voce, aut scripto unquam sciscitatus est: quamobrem indignata Cæcilia nova sponsalia contraxit cum Valeriano: Licite ne?

Resp. Cæciliam licite nova sponsalia cum Valeriano contraxisse, idque satis aperte deducitur ex Innocentii III. Decreto in cap. *Sicut* 22, *de Spons. et Matrim.* lib. 4, Decretalium tit. 1. In eo siquidem Summus Pontifex declarat, quod quum certus terminus ad contrahendum præfigitur, nec per alterum stetit, quin statuto tempore matrimonium contraheretur, etiamsi sponsalia jura-

mento firmata fuerint, qui frustra expectavit, liber omnino sit a primis resilire sponsalibus, et alteri dare suam fidem; secus, ut addit Glossa in citatum caput *Sicut*, V. *terminum : appositio termini nihil operaretur.* Enim vero in sponsalibus a Cæcilia cum Tiburtio initis sex illi menses appositi fuere, veluti certus ac determinatus terminus ad contrahendum, et Cæcilia per integrum annum patienter tulit expectavitque, nec quicquam Tiburtius toto eo tempore egit, quo ostenderet se in data fide perseverare velle; quin, quum nec litteris, nec voce, nec alia ratione, ut in casu exponitur, de ipsa sit scisitatus, vehemens ac efficax conjectura est, alium illi esse animum, eamque veluti spernere, ac proinde facto sponsionem suam ipsi remittere. Liberum itaque fuit Cæciliæ, vel alia sponsalia inire, vel primis stare sponsalibus. Licite ergo Valeriano desponsavit. Ita Sylvius in Suppl. S. Thom. quæst. 43 art. 3, Dominicus Sotus in 4, dist. 17, quæst, 2, art. 5, casu, 5, etalii communiter, nec obscure deducitur ex S. Antonino 3 p. Summæ Theol. tract. 1, cap. 18. § 1.

CAS. III. — Contendentibus inter sese duobus Parochis, an ipsa celebratione matrimonii possit legi Missa propria *de Sponso et Sponsa,* tametsi ob Officium duplicis ritus omnes prohibeantur Missæ votivæ, aut *de requiem*, ut aiunt, Archipresbyter litem dirimit affirmans, id nedum licere, sed et rectius fieri : Verum ne censet?

Resp. Archipresbyterum litem expositam injuste diremisse : quod ut ostendatur, præmittendum est, quod uti certum affirmant ac docent Gavantus, Meratus, et Cavalierus, Missam de Sponso et Sponsa inter Missas votivas enumerandam esse. Nec sane aliter ac votiva esse potest, ut per se patet, et reapse inter Missas votivas in ipso Missali describitur. Jam vero, uti optime docetur in instructione, quæ ad Calendarii calcem hujus anni 1765, habetur impressa de Missis votivis, aliqui dies excipiendi sunt, quibus hæ Missæ celebrari non possunt : nam singulis diebus Dominicis, diebus infra Oc-

tavas Nativitatis Domini, et Corporis Christi, et quandocumque occurrit Officium duplex, aut dies duplicia excludens, nempe dies infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes, feria quarta Cinerum, dies Hebdomadæ Majoris, et Vigiliæ Epiphaniæ, Pentecostes, ac Natalis Domini, vetantur Missæ votivæ. Hisce ergo diebus nec poterit dici Missa de Sponso et Sponsa, sed si benedictio nuptiarum aliquo ex iis diebus facienda sit, Missa dicenda erit de die cum commemoratione Missæ de Sponso et Sponsa, ac reliquis, quæ pro Communione et complemento benedictionis in eo habentur. Hæc præscribuntur ab ipsa Rubrica Missalis, quæ præmittitur dictæ Missæ de Sponso et Sponsa. Unum addo, quod advertit Cavalierus in Rit. cap. 15. Commemorationem hanc de Sponso et Sponsa ne faciendam quidem esse, quum occurrit officium primæ, vel secundæ Classis, et quum fit, semper postponendam Orationibus præscriptis, et nunquam sub unica concliusone cum prima Oratione, quod, teste Cavalero, soli Missæ solemni convenit. Quæ quum ita sint, Archipresbyter verum in ea lite dirimenda non censuit.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Parochus recenter promotus, quum propriæ Ecclesiæ bona omni ferme ex parte inculta ac sylvestria repererit, sacrasque Supellectiles, vel laceras omnino, vel parum certe sacris functionibus ea, qua par est, decentia ac honestate peragendis idoneas, censet, se non teneri ad ea bona restauranda, reficiendasque supellectiles, quod nempe ejusmodi detrimenta ex alterius Parochi, qui per plures annos nullam habuit suæ Ecclesiæ curam, oscitantia ac negligentia, promanaverint: Estne rectum hujus Parochi judicium?

Resp., falsum esse et erroneum recentis Parochi judicium; quod ut ostendam, suppono Ecclesiam Parochialem, de qua sermo est in præsentia, nullos peculiares proventus habere, qui levandis ipsius incommodis ac detrimentis impendi debeant, uti fas esset, juxta Cano-

nem 30. Causæ 12, quæst. 2, qua sane in hypothesi iidem proventus forent primario conferendi, tum reparandæ sacræ supellectili, tum etiam ejusdem Ecclesiæ bonis instaurandis; neque ullum esse statutum vel consuetudinem, qua privatæ aliquæ familiæ propriis sumptibus, quum oportuerit, ad id obligentur. In hac autem suppositione quis neget, Parochum ipsum iis faciendis expensis omnino subjici, non quidem fructus ex patrimonio suo desumendo, sed illos, quos ex proprio Parochiali beneficio percipit, sibique plerumque supersunt? Sic enim apertissime decernitur in cap. *De his* 4, quod habetur lib. 3, Decret. *De Ecclesiis ædifican., tit.* 48, in quo Innocentius III Lexoviensi Episcopo ita respondet: *De his qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem, et institutionem Ecclesiarum cogi debent, quum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, conferre.* Supersint, inquam, quod maxime notandum est, non quidem alendis consanguineis, aut proprii generis conditioni servandæ, sed ipsius Parochi sustentationi et alimento. Ut enim advertit Barbosa in cap. 7, Trid. Syn. sess. 21, de Reform. n. 9 et 10. *Beneficiorum fructus non ad crescendos, aut erigendos, seu fovendos mundanos titulos, sed ad pauperes alendos, ac Divinum cultum restituendum sunt concessi;* quod quidem a fortiori dicendum est, quum non de instauranda ipsa Ecclesia, aut de novo ædificanda, sed tantum conservandis ejusdem bonis, instaurandisque, ac sacris supellectilibus reficiendis agitur. Manutentio enim ac reparatio harum rerum, in facta hypothesi, est quoddam veluti debitum ejusdem Parochi reale, hypothecam habens supra ipsos Ecclesiæ redditus, qui non tantum ad Parochi sustentationem, sed etiam ad cætera Ecclesiæ onera ferenda conceduntur. Nemini enim ignotum esse potest in tres partes omnes Ecclesiasticos proventus a jure Pontificio distribui, quarum prima beneficio conservando, secunda juvandis egenis, tertia restaurandæ Ecclesiæ tribuitur: *et quamvis hodie*, inquit Peckius in suo de reparandis Ecclesiis tractatu cap. 14, *distributio hæc in omnibus non servetur, illud tamen, et jure, et consuetu-*

dine receptum est, ut hoc onus in prædictis redditibus, proventibus, et decimis annexum, eum sequatur, qui eorum usum, fruitionem, perceptionem, et commoditatem habet. Hoc itaque onere et hypotheca gravati redditus ipsi ad Parochum recenter promotum transiere, translato in ipsum prædecessoris Parochi debito, eosque Parochus recens, quum libere acceptaverit, iisque fruatur, tenetur eorumdem veluti pensum solvere, et eas expensas, quæ restaurandis Ecclesiæ bonis, reficiendisque sacris suppellectilibus, ut ea, qua par est, decentia et honestate sacræ functiones celebrentur, necessariæ sunt, facere, uti Ventriglia de Rebus Ecclesiast. annot. 18, n. 73, cum pluribus aliis sapienter exponit. Poterit tamen expensas omnes, quas pro hac necessaria refectione fecerit, ab anterioris Parochi hæredibus jure repetere. Nec enim illis jus aliquod esse potest ex oscitantia negligentiaque defuncti Parochi in rebus Ecclesiæ curandis fructum et utilitatem referre. Ita statutum legimus pro hac nostra Diœcesi in Institutione duodecima, tom. V, a gloriosissimæ recordationis Benedicto XIV, tunc Prospero Cardinali Lambertino, die 12 Novembris 1739.

CAS. II. — Quum Sempronius Sponsalia contraxerit cum Apuleja, ambo postea rem habuere, primus cum Caja, secunda cum Sergio, ac utrique alterius delictum innotescit : Potestne Sempronius a Sponsalibus resilire ?

Resp. Quamquam, ut apertissime deducitur ex cap. *Quemadmodum* Innoc. III, ad Genuensem Archiepiscopum, quod habet libro 2. Decr. tit. 24, de Jurejurando c. 25, possit vir sponsam suam dimittere post fornicationem, quam ipsa, peractis Sponsalibus, perpetrasset, quamquam ei jurasset, quando contraxit, quod eam semper pro legitima uxore teneret : attamen disputant Theologi et Canonistæ, an idipsum possit vir, tametsi et ipse ejusdem sit post Sponsalia delicti reus, idque et mulieri innotuerit : et quidem magis forte communiter, teste Giribaldo tract. 10, cap. 2, dubio 8, id affirmant Theologi, ea ducti ratione, quod longe ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere, atque

ex sponsæ fornicatione longe gravius imminet damnum sponso propter incertitudinem prolis, quæ nascetur. Quare delicta non videntur paria, nec invicem, ut aiunt, compensari tam facile possunt. Liberum ergo adhuc erit Sempronio a Sponsalibus cum Apuleja contractis resilire, tametsi ejusdem cum ipsa delicti sit reus. Ego tamen probabilius censeo oppositum cum Paludano in 4, dist. 27, quæst. 5, art. 3, n. 17, Rosignolio de Sponsalibus lib. 2, prænot. 9, n. 14 et aliis. Etenim Sempronius ex æquo ejusdem reus infidelitatis cum Apuleja, quid ei objicere potest, quod et illa nequeat contra ipsum opponere? Vel ergo liberum erit utrique resilire, quod quidem dicerem probabilius, quum Sponsalia in omnium sententia dissolvantur per notabilem mutationem, quæ vel ex parte alterius, vel ex parte utriusque superveniat; et si uterque frangat fidem, uterque videtur sese invicem a data fide solvere, præsertim quum ambo causam dederint dissolvendorum Sponsalium: vel neuter potest ea repellere. Et sane, an non eadem est sponsi et sponsæ, ac viri et uxoris ratio quoad fidem sibi invicem servandam? Jam vero quis nesciat, non posse virum de adulterio conjugem impetere, aut conjugale debitum eidem negare, vel ab ea discedere, si et ipse adulterium commisisse convincatur? Id siquidem decernit expressissime Innocentius Tertius, Tullensi Episcopo rescribens in cap. *Intelleximus* 6, lib. v. Decret., tit. 16. *De adulteriis*, cujus quidem Decreti Summus Pontifex hanc adducit rationem, quod nempe *Matrimonii jus in utroque læsum consistat, et paria delicta mutua compensatione tollantur.* Nec ergo sponso ob eamdem omnino rationem liberum erit a contractis Sponsalibus resilire ob fornicationem a sponsa patratam, si et ipse crimen istud commisisse convincatur. Neque reponas, quod est potissimum adversæ opinionis fundamentum, in hominum æstimatione gravius esse sponsæ crimen crimine sponsi, et ob dubietatem ac incertitudinem prolis, majoris illud detrimenti quam istud. Nam hoc ipsum etiam dicendum est de adulterio mulieris. Nec propterea dices, posse virum adulterum adulteram dimittere. Quidquid enim homines opinentur, et major etiam infamia adhæ-

reat sponsæ delicto, quam sponsi, reapse et coram Deo æque reus est sponsus ac sponsa, et uterque a fide data æqualiter defecit; consequenter nullum sponso jus esse potest revocandæ datæ jam fidei, quod totum confirmo hac juris regula 73, de Regulis juris in 6. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, quum fidem a se præstitam servare recusat.* Stare igitur tenetur Sempronius contractis Sponsalibus, si Apuleja id velit.

CAS. III. — Parochus aquam publice in propria Ecclesia, in qua non adest fons baptismalis, die Sabbati Sancti solemni ritu benedicit, putans id sibi licere, quod nempe hæc benedictio fiat absque infusione Olei Sancti: Verumne censet?

Resp. neg. Id enim expresse prohibitum fuit a S. R. Congregatione die 13 Julii anni 1697, in una Januen. hisce verbis: *Benedictio aquæ in Sabbato Sancto etiam sine effusione Olei Sancti, fieri non potest in Ecclesiis non habentibus fontem baptismalem, quamvis usus sit in hujusmodi Ecclesiis talem benedictionem fieri.* Neque opponatur, Benedictum XIII jussisse in omnibus Parochialibus celebrandas omnes solemnes functiones, etiamsi numerus haberi non possit, vel Ministrorum, vel Cantorum, qui ob id solemniter præstandum requireretur, ac parvum Cæremoniale evulgari mandasse pro minoribus Ecclesiis anno 1725, quod etiam servandum præcepit diebus Purificationis B. M. V., feria IV Cinerum, Dominica Palmarum, feria V in Cœna Domini, feria VI in Parasceve, et Sabbato Sancto. Siquidem, si de iis Ecclesiis loquamur, in quibus non extat fons baptismalis, Summi ipsius Pontificis mens ea est, ut Sabbato Sancto benedictio fiat ignis, et legantur Prophetiæ, et reliqua quæ ad Missam pertinent, celebrentur; non vero quod publice aqua benedicatur, quum nullibi prædicto Decreto abrogaverit, quod legitur apud Merati in Notis ad Gavantum, t. 1, p. 2, n. 516 et apud Spiridionem Talu n. 672 et 1307. Quin etiam, si sermo sit de ea benedictione, quæ a Rituali eo die lectis Prophetiis præscribitur, expresse eadem Sacra Rituum Congregatio etiam post allatum Benedicti

XIII statutum, die scilicet 12 Aprilis 1755, in una Lucana prohibuit, ne fieret nisi ab iis, qui ejusdem facultatem haberent. En ejus verba: *Qui vero facultatem non habent, ab ejus benedictione se abstinere debent.* V. Talu n. 1305 et 1307.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Pompejus aliquo quidem morbo laborans, sed nullo mortis periculo imminente, supremas tabulas exarare, seu testamentum suum condere desiderans coram suo Parocho ac duobus testibus, consulit Archipresbyterum, an testamentum hoc pacto confectum vim sit habiturum, ex quo pluries audierit, hoc privilegium ab Alexandro III, in ea Decretali, *Quum esses*, iis tantum esse concessum, qui in extrema fuerit voluntate: Quodnam erit Archipresbyteri consilium?

Resp. Archipresbyteri consilium esse debere testamentum coram Parocho duobusque testibus factum juxta Alexandri III Decret. in cap. *Quum esses* 10, *de Testamentis*, lib. 3, Decret. tit. 26, validum esse et ratum, licet Pompejus Testator gravi morbo non laboret, quod quidem pro hac nostra Diœcesi certo certius affirmandum est, quum id ipsum definierit in sua institutione 17, t. V, quam de hoc ipso argumento edidit, ut regulas legesque constitueret, quæ inviolabiliter servarentur in hisce testamentis conscribendis Prosper Cardinalis Lambertinus, mox vero Benedictus XIV, felicissimæ record., quam quidem institutionem, sicut et alias ab ipso sapientissime editas ac confirmavit, et extante observari jussit Eminentissimus noster et Reverendissimus Vincentius Cardinalis Malvetius, quem diu Deus incolumen nobis servet, Institutione ab ipso edita die 10 Julii anni 1753. Expresse siquidem in laudata Institutione sapientissimus Pontifex, Prosperi Fagnani auctoritate ductus, rite valideque testamentum coram Parocho, vel consueto Confessario ac duobus testibus condi decrevit, licet testator gravi morbo non teneatur: *Nam Alexander Tertius*, sunt ipsius Pontificis verba de vernaculo in latinum idioma translata, *in Decretali, Quum esses*,

morbi quidem implicite meminit, quum dixerit: In extrema fecerint voluntate: sed rem tum solum exponebat, pro qua consilium ab ipso petebatur, sententiam vero Pontificis morbo nequaquam inniti Cardinalis de Luca sapienter ostendit, in suo disc. 25, de testam., n. 20, Consulatur etiam Prosper Fagnanus in lib. Decret. de Test. cap. *Quum esses*, n. 32 et seq.

CAS. II. — Bertæ Cajo desponsatæ vim intulit Sejus, ipsa tamen totis viribus reluctante: id resciens Cajus nollet Sponsalibus stare, suumque propterea Parochum consulit: Quid Parocho respondendum est?

Resp. esse a Parocho respondendum, jus esse Cajo a contractis cum Berta Sponsalibus resilire. Et quidem si vis, quam ipsa a Sejo passa est, publica sit: communis est omnium Doctorum sententia, quæ expresse definitur in Canone *Raptor* 35, caus. 27, quæst. 2, a Capitularibus Caroli Magni deprompto. In eo siquidem sponso permittitur, sponsam etiam sine culpa raptam vel ducere, vel dimittere, prout ipsi libuerit. En Canonis verba: *Raptor pœnitentia publica mulctetur..., Raptæ vero, si eam sponsus recipere noluerit, et ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alteri non negetur;* quod rursus decernitur in Canone *Statutum* 34. eadem causa et quæstione. Liberum ergo erit Cajo Bertæ vel nubere, vel nuptias negare, si vis eidem a Sejo illata innotescat, et publica sit, de qua potissimum agunt adducti canones, quum pœnitentia publica Raptori imponatur, quæ sane, quemadmodum hisce temporibus ita et antiquitus nonnisi ob publicum crimen imponi poterat. Quod disputant Theologi et Canonistæ est, an idipsum eidem liceat, quamvis violentia hujusmodi sit prorsus occulta, soliique sponso innotescat. Id negat Hostiensis apud D. Antoninum 3, p. Sum. Theol. tit. 1, cap. 18, § 1, qui quum docuerit, posse sponsum sponsam repellere, et e contrario, si eorum alter fuerit fornicatus post Sponsalia, ut habetur, *Extra de jurejurando* cap. *Quemadmodum*, hanc statim addit ex Cardinali Hostiensi exceptionem: *Pro fornicatione vero non voluntarie commissa, puta si sponsa violenter ab alio coy-*

nita fuit, secundum Hostiensem non debet repelli sponsa. Navarrus vero in Man. cap. 22, n. 27 et apud eum Panormitanus in cap. *Veniens* 5. *Qui Clerici vel voventes*, Sylvester V. *Sponsalia* quæst. 7, et alii longe communius affirmant, et quidem meo judicio probabilius. Etenim, ut omnes concedunt, dum sponsæ violatio cognita est, potest sponsus suum ejurare consensum, et negare celebrandas nuptias, quia, ut ait Glossa ibidem, et cap. *Quemadmodum* 25, de jurejurando, id in maximum verteret ipsius dedecus, quum in hominum existimatione probro sit viro mulierem ducere vi ab alio corruptam. Nec ergo ob eamdem rationem cogendus est ad eam ducendam, tametsi violentia hæc sit penitus occulta, præsertim quum merito semper pertimescere possit, ne hæc ipsa sponsæ violatio tandem detegatur. Quamobrem Sanctus Antoninus Hostiensis opinionem veluti corrigens post allata verba subdit : *Vir etiam cogi non debet ducere talem.* Et sane, si quælibet notabilis mutatio, quæ adveniat sponsæ, puta pulchritudinis defectus, qua prædita erat tempore contractus, dissolvendis Sponsalibus par est; quidni sufficiet, ut liberum sit sponso negare nuptias, violentia, quæ ab altero sponsæ illata sit, quod longe indecorum est ac vilius, majoremque ingerit infamiæ notam ? Neque vero quis opponat eam Bonifacii VIII Regulam n. 25, de Regulis juris in 6, qua dicitur, *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*; puniretur autem Berta, si Cajus a data nuptiarum fide recederet ob eam violentiam, quam passa est sine culpa. Primo enim dico, quod si ob id deseratur, id non culpæ, sed suo infortunio vertere debet, non secus ac si vel deformis evasisset, vel gravem aliquam infirmitatem contraxisset. Nec enim, inquit Angelicus in Suppl. quæst. 43, art. 3, ad 3, in hoc casu *pro pœna punitur, sed ex pœna damnum reportat, quod non est inconveniens.* Deinde, si ea regula vim haberet in hac nostra hypothesi, teneretur sponsus sponsam ducere, etsi publice violata fuerit; quod non dices, utpote contra præcitatum Canonem *Raptor.* Quod si reponas, viro nefas esse a propria uxore discedere, quod hæc per vim ab alio cognita fuerit, id ultro concedam. At quis nesciat, longe

minus requiri ad rescindenda Sponsalia, quam ad separationem quoad thorum? An non enim ex dictis rescindendis Sponsalibus quælibet sensibilis in sponsa mutatio, aut pulchritudinis, aut dotis, vel etiam honoris, ac famæ par est? Quis tamen eamdem affirmabit parem, inducendæ cohabitationis, vel thori separationi? Responsum ergo Parochi sit, posse Cajum a contractis Sponsalibus resilire.

CAS. III. — Capellanus cujusdam Confraternitatis in oppido erectæ, ad excitandam fovendamque in dies devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam, post Missæ celebrationem instituere solet intra suam Ecclesiam supplicationem, vulgo, *processionem*, canente alternatim populo Litanias B. V. aliasque Preces : Licitene id præstat?

Resp. negat. Quum in hac nostra Diœcesi absolute prohibitum id sit. Qua de re audiatur olim Prosper Cardin. Lambertinus, mox vero Benedictus XIV. glorios. semper recordationis in sua Institutione 17, t. V. En ejus verba : *De Processionibus.... Cardinalis Columna cap.* 12, *suæ Diœcesanæ Synodi ita statuit : Processiones nullas faciant, sive intra, sive extra Oratorium, seu Ecclesiam, nisi juxta cujuscumque Confraternitatis statuta, quibus semper intersit Sacerdos sine Stola de ipsius Parochi consensu.... His congruit Synodus Card. Boncompagni*, p. 2, cap. 11. *Processiones nullas instituant, nisi illas, quæ per approbata statuta conceduntur, comitante semper Sacerdote de licentia Parochi. Quare præcipimus, ut hæc penitus in nostra Civitate, ac Diœcesi serventur.* Non licuit ergo Capellano eam instituere supplicationem, nisi ea fuerit juxta Confraternitatis rite approbatæ institutum, et consenserit Parochus. Excitandæ ergo fovendæque in dies erga Beatissimam Virginem Mariam fidelium pietati ac devotioni, ad Ordinarium pro obtinenda legitima facultate in hac nostra Diœcesi recurrendum illi erat, quod quidem ulterius confirmat Decretum a S. R. C. latum in una Melitensi die 4 Martii anni 1606, apud Talu, n. 50, apud Merati in indice Decret. in fine, t. 2, p. 2, quod

ita se habet : *Capellanus Confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia Episcopi processiones facere.*

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Pamphilus extra Urbis ambitum, quem Cerchiam appellant, habitans, in viginti dies Baptismum protraxit puellæ sibi recenter natæ, ut eamdem ad Metropolitanam Ecclesiam salutaribus undis abluendam deferret, optime noscens, non nisi iis, qui in Urbe baptizantur, quædam privilegia ac beneficia conferri : nec enim prius eam poterat ad Urbem ob impervias vias, et aeris intemperiem deferre : Fasne id ei fuit ?

Resp. negat. Siquidem Cardinalis Jacobus Boncompagnus in sua Diœcesana Synodo lib. 2, cap. 2, ita sanxit : *Nefas sit ultra nonum diem Baptismum infantibus differri, memores excommunicationis pœna infantium parentes affici, si terminum nonæ diei præterierint.* Hanc vero Synodalem legem innovavit confirmavitque die 18 Decembris anni 1739, Prosper olim Cardinalis Lambertinus, mox Benedictus XIV, Sapientissimus Pontifex et Optimus Maximus, in sua institutione 10, t. v, Parochis insuper præcipiens, ut populum de hoc gravissimo negotio diligenter imbuant semel saltem per anni cursum, quum sacras ad Altare conciones de more suscipiunt. Quod tam salubre Synodale Decretum, ac Institutionis præscriptum approbavit, et observari præcepit Eminentissimus ac Reverendissimus noster Archiepiscopus, Vincentius Card. Malvetius in Institutione alibi jam laudata. Et merito quidem. Nemo enim non videt, quam improbandi sint illi, qui post multos dies infantes ad Ecclesiam deferunt, ut baptismum accipiant. Siquidem Eugenius IV, in Constit. 22, § 13, t. 1. Bullarii Rom. decrevit, ut tam salubre ac necessarium Sacramentum conferatur *quam primum commode* fieri potest ; quod iisdem ferme verbis sancit Rituale Romanum, tit. 9. Neque obesse potest temporale illud lucrum, quod ex baptismo infantibus in hac Ecclesia Me-

tropolitana collato speratur. Etenim ob spem lucri temporalis violandæ non sunt Ecclesiæ leges, præsertim quum agitur de Baptismo Infantibus conferendo, quibus, ut ait Catechismus Romanus jubente Sacra Synodo Tridentina editus, de Sacram. Baptism. p. 2, n. 34, *propter ætatis imbecillitatem infinita pæne pericula impendent, nec alia ipsi, salutis comparandæ ratio, nisi eis baptismus præbeatur, relicta sit.* Pamphilo igitur fas non fuit puellæ illius baptismum in viginti dies protrahere.

CAS. II. — Expositis a Tullio pluribus peccatis lethalibus in suo sacramentali Confessione cuidam Confessario, hic eidem pro sacramentali satisfactione non imposuit, nisi recitationem tertiæ partis Rosarii Beatissimæ Virginis : quamobrem dubitat Tullius, an Confessarius ea peccata reapse audierit : Stante hoc dubio teneturne denuo eadem peccata confiteri?

Resp. stante eo dubio Tullium adstringi ad repetendam Sacramentalem illorum peccatorum Confessionem. Siquidem ex una parte, quum præceptum est certum, dubia autem et incerta ejusdem executio, docent communiter Doctores, possessionem esse, ut aiunt, pro præcepto, non ejusdem executione, consequenter præceptum denuo adimplendum; ex alia parte quis non videat in exposito casu certum esse præceptum de Confessione instituenda : Oportet *a Pœnitentibus*, inquit Trid. Synodus sess. 14, cap. 5, *omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri* : ne scilicet, ut ipsa Sacra Synodus addit, Sacerdotes, quos Christus sui ipsius vicarios reliquit ac judices, judicium hoc incognita causa exercere cogantur, æquitatemque in pœnis injungendis servare haud possint? An vero dubium non est, et quidem prudens ac rationabile, de hujusce præcepti satisfactione? Etenim quum teneantur Confessarii, eadem Sacra Synodo docente cap. 8, jam laudatæ sessionis, *Quantum spiritus ac prudentia suggesserit*, sunt Trid. Verba, *pro qualitate criminum, ac pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injun-*

gere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur: an non merito suspicatur Tullius, Confessarium suum tam levem ipsi pœnitentiam, qualis est recitatio unius ex tribus Rosarii, ut inquiunt, partibus, pro tot lethalibus culpis, quarum ipse sese accusaverat, præscribens hasce culpas haudquaquam audivisse? num dices, aut judicabis, Confessarium etiam iisdem culpis ea, qua par est, attentione intellectis, tanta indulgentia uti voluisse, et sacrilega conniventia ac temeritate eorumdem peccatorum voluisse participem se ipsum constituere? Non equidem. Nemo enim præsumendus est malus, nisi probetur, et cuilibet Confessario illud alta mente repositum esse credendum est, nisi aliter constet, quod legitur 2. Paralip. cap. 10, vers. 6. *Videte . . . . quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* Si ergo tam levem pro iis gravibus culpis pœnitentiam imposuit, merito Tullius dubitat, eumdem alio distractum easdem non audivisse: alterutrum enim ex his necessario consequitur. Quamobrem, quum hoc secundum dici haud possit, vel suspicari, primum dicamus oportet. Repetenda igitur Tullio est Sacramentalis eorumdem peccatorum Confessio, cujus adhuc viget præceptum jure divino omnibus post Baptismum lapsis ad salutem necessarium, cui satisfieri haud potest per dubiam Confessionem, qualis profecto ea est, in qua prudenter ipse pœnitens dubitat, ne sua crimina Confessarius audierit. Ita cum Salmanticensibus tom. 12, p. 2, tract. 24. dub. 6, § 1, num. 170, communiter Theologi.

CAS.— III. Parochus ruralis, quum hyemali tempore soleat Populus statim post Missam ab Ecclesia discedere, ut hic eas preces recitet, quæ fuere ab Ordinario præscriptæ ad impetrandam serenitatem, easdem statim post Evangelium dicit: Estne laudandus?

Resp. non esse laudandum. Siquidem ea precum, etsi ab Ordinario præscriptarum, recitatio, statim post Evan-

gelium expresse prohibetur a S. R. C. Siquidem die undecima Junii anni 1603. in una Oscen. ita statuit : *Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam :* quod dici etiam debet ob eamdem rationem, ut quisquis facile intelliget, de iis, quæ vel serenitati obtinendæ, vel ob aliam causam præscribuntur, *non sunt recitandæ inter Missarum solemnia, ne Missæ Sacrificium interrumpatur.* Neque opponas, concionem plerumque fieri post Evangelium, nec tamen dices per eam Sacrificium interrumpi. Siquidem Concio, quum sit ipsius Evangelii explicatio, quid unum cum ipso videtur constituere, et quamdam ad ipsum Sacrificium relationem habere. Quamobrem non nisi materialiter illud ipsum interrumpit, quod profecto affirmari non potest de iis precibus, quæ nullum cum Sacrificio ordinem servant. Ut ergo sit laude dignus Parochus noster, Populum admoneat de istarum precum recitatione, completo Sacrificio Missæ perficienda, eumque hortetur, ne discedat, nisi ea peracta, vel saltem easdem ante Missam recitet. Adductum Decretum excerpsimus ex Merato in Indice Decret. tom. 1, 2, p. sub n. 40., et ex Spiridione Talu inter ejus Decreta authentica n. 42, secundæ edit. Ven.

ANNO MDCCLXIV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Poterat Titius satis commode adimplere legatum pium sibi a Patre impositum statim ab ipsius Patris morte, et adita ejusdem hæreditate; attamen illud solvere distulit ad semestre : Peccavitne ?

Resp. Quæcumque legata, quorum nomine nil aliud intelligimus in præsentiarum præter donationem alteri a Defuncto relictam, et ab hærede faciendam, ut colligitur ex § 1. *Institut. de Legatis*, quamprimum esse in foro conscientiæ, sive ab hæredibus, sive ab executoribus, executioni mandanda, adeo ut graviter peccent, si diu

ex negligentia differant ultimam exequi defuncti voluntatem, communis est sive Theologorum, sive Canonistarum opinio, innixa capitulo *Si Hæredes* 6, *de Testamentis*, et leg. *Cum res* 47, *de leg.* 1, ubi expresse præcipitur, ut legata sine mora præstentur. Tametsi enim hæredibus, atque executoribus concedatur semestre ad legata pia solvenda, *Novella* 131. Versu, *Si autem legatum*, et annus ad implenda profana ex cap. *Nos quidem* 3, de Testam., et l. *Nulla cod. de Episcop.* et *Clericis*, omnes tamen, teste Card. de Lugo *de Justitia, et Jure* tomo 2, disp. 24, n. 296., conveniunt, eum terminum non assignari, ut auferatur obligatio legati implendi quum primum poterit, sed ut innuatur incurrendas esse pœnas ab hæredibus et executoribus, si eo tempore elapso, ultimam defuncti voluntatem implere neglexerint, ut optime advertit Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 26, n. 786. Peccavit igitur Titius differens ad semestre legati pii sibi a Patre impositi solutionem, quum illud ipsum statim ab ejusdem morte, et adita hæreditate, satis commode, ut in casu affirmatur, adimplere potuisset. Suppono siquidem, nullum certum tempus a Testatore designatum fuisse pro eo legato adimplendo, qua quidem in hypothesi tametsi posset tempus illud præveniri, quod non esset contra Testatoris voluntatem, nulla tamen necessitas, vel lex ad id hæredem cogeret, sed sufficeret, si legatum tempore designato impleretur : voluntas enim Testatoris, ut habetur *Novella* 22, *cap.* 2., pro lege tenenda est. Porro assertum hoc probant, quæ jam adduximus ex jure sive canonico, sive civili, testimonia, quibus addo tum legem *Nulli cod. de Episcop. et Cler.* qua præcipitur, ut absque ulla cunctatione legata impleantur; tum etiam legem *Si dominus*, quæ ita se habet : *Si pecunia legata sit, solvi debet intra breve tempus, et executores, quam primum potuerint, tenentur mandare executioni voluntatem defuncti;* tum etiam Can. *Qui oblationes* 1 et 2, 13, quæst. 2., in quo interfectores animarum appellantur, qui legata pia detinent, ac propterea ab Ecclesia abjiciendi, id est excommunicandi dicuntur. Et profecto nonne legatarius rei sibi legatæ dominium verum acquirit, statim ac hæres propriam

adiit hæreditatem ; ut habetur *lege Si tibi homo* 86, § 2, *dig. de legat.* 1, *et leg. Si nemo* 181, *dig. de regul. juris*, et communiter docent Auctores? Imo an non ab ipsa die mortis Testatoris dominium, ut aiunt, fictum in legatum ipsum legatario competit, ita ut quando post aditam ab hærede hæreditatem legatarius acceptat legatum, fictione juris ejusdem dominium ad diem mortis retrotrahitur : quamobrem, si res legata fructus aliquos aut incrementum habuerit a die mortis Testatoris, ipsi legatario debentur ex *l. Titia ff. de furtis*, et l. *Quum Servus* 86, § 2, *ff. de legatis*, et expressius l. *Si post diem* 5 § 1, *ff. Quando dies legati cedit*, his verbis : *Itaque si pure legatum est ex die mortis, die ejus cedit*, id est, debetur : *Cedere* enim *diem*, inquit lex *Cedere* 215 *ff. de Verbor. significat, significat incipere debere pecuniam.* Differens ergo Titius ad longum tempus, quale semestre, illius legati solutionem, quum eamdem statim ab adita hæreditate commode præstare possit, retinet alienum injuste, privatque legatarium usu rei sibi legatæ. Peccat ergo, et quidem graviter contra justitiam, respectu illius, cui legatum debetur; quumque sermo sit de legato pio, peccat etiam contra Charitatem respectu Defuncti, in cujus animæ commodum, sicuti vergit prompta ipsius legati solutio, ita et eidem nocet negligens ac irrationabilis dilatio : non quod, uti falso opinantur vulgares homines, ac mulierculæ, Animæ detineantur in Purgatorio igne, donec debita ac legata solvantur ; sed quod iis diligenter non exhibentur ea suffragia, et expiationes, quæ ipsis debentur, quibusve exhibitis citius ab illis pœnis liberari possent. Vide Reiffenstuel lib. 3, decret. tit. 26., Gomez Variar. resolut. tom. 1, cap. 12, Card. de Lugo de justit. et jure tom. 2, disp. 24., aliosve communiter.

CAS. II. Paulus ex testamento obstrictus ad solvendam dotem cuidam determinatæ Puellæ pauperi, nonnisi elapsis duobus annis eamdem impertitus est, tametsi intra annum eam commode impertiri potuisset: Incidit-ne in casum reservatum ?

Resp. Ut tuto propositæ difficultati respondeamus, præmit-

timus, ad incurrendam in hac nostra Diœcesi reservationem hisce terminis expressam: *Dilatio culpabilis post annum in legatis piis solvendis*, quatuor necessario requiri; 1. scilicet, legatum vere pium, nempe factum ex amore Dei, et ad animæ salutem ex parte legantis, sive legata res immediate respiciat cultum Dei, sive etiam ad sublevandam dumtaxat paupertatem et indigentiam proximi, quæ pietas legatarium ipsum respicit. 2. Protractionem solutionis post annum. 3. Protractionem hanc reapse culpabilem. 4. Personam ipsi reservationi obnoxiam. His præmissis, distinguendum censemus. Vel enim puella ab ipso Testatore determinata, a die mortis ejusdem jam nubilis erat, eique statim nubendi occasio oblata fuerat; vel nubilis dumtaxat post biennium facta est, aut quamvis talis jam esset, attamen, nonnisi transacto biennio, oblata eidem fuit occasio nubendi. Si primum dicatur, omni dubio procul Paulum in casum reservatum incidisse ob eam dilationem affirmamus; si secundum, id ipsum æque negamus. Probatur autem primum. Si puella jam nubilis erat a die mortis Testatoris, eique statim, ut nuberet, occasio oblata fuerat, ea omnia habentur, quæ ad eam reservationem incurrendam necessaria esse præmisimus. Primo scilicet, legatum vere pium, quale sane est dos puellæ pauperi relicta, quum fuerit pietas tum ex parte legantis, nempe amor Dei, propriæque animæ salus, tum ex parte legatariæ, paupèrtatis scilicet levamen, et honestatis ejusdem puellæ subsidium, quod quidem omnium Doctorum sententia ad legatum pium constituendum dumtaxat desideratur: secundo dilatio ultra annum, nempe ad biennium usque, quod, ut supponimus, non fuerat a Testatore designatum: tertio dilatio lethaliter culpabilis. Ut enim in antecedenti resolutione probavimus, quodcumque legatum pium statim ab adita hæreditate solvendum est, si commode solvi possit, ut reapse poterat Paulus, sicuti affirmatur in casu, intra annum: deinde agitur de materia gravi, qualis est dos puellæ pauperi danda, et de notabili tempore, quale est biennium. Quarto tandem Paulus reservationi, de qua agimus, vere subjacet: comprehendit enim eos omnes, ad quos

legatorum piorum solutio attinet, utpote verbis indefinitis concepta. Porro concurrentibus prædictis quatuor requisitis, ac urgente nubili ætate puellæ, oblataque eidem statim occasione ut nuberet, quis inficiabitur Paulum ad eam dotem illi puellæ statim tradendam omnino teneri : quum ergo ad libitum hanc eidem elargiri distulerit, elapsis jam duobus annis, certo certius affirmandum est, ipsum in reservationem incidisse. Probatur secundum. Si puella illa ante biennium nubilis non erat, aut si nubilis, elapsis dumtaxat duobus illis annis, oblata eidem fuit, ut nuberet, occasio, dilatio solutionis illius dotis, quæ legata ei fuerat, nullo modo culpæ esset redarguenda, quum inutile omnino fuisset ac vanum, eamdem ante illud tempus puellæ illi impertiri. Nisi enim aliud Testator expresse disposuisset, quod non supponitur in casu, quisquis adstringitur ad dotem solvendam, ad id non adstringitur, nisi Matrimonii tempore, præsertim quum ob illam dilationem nullum omnino incommodum sentiat puella, quæcumque sit, cui dos ex legato tradenda est. Siquidem in hac hypothesi legatum hujusmodi inter ea numerandum est, quæ, attentis circumstantiis, etiam ultra tempus a lege præscriptum dilationem patiuntur. Quum ergo non peccaverit Paulus in hac suppositione ad biennium usque differens illius dotis solutionem, nec in reservationem certo incidit. Sola enim peccata, et quidem atrociora, reservantur, ut omnes norunt.

CAS. III. — Parochus ruralis tali morbo in indice laborat, ut ipso uti non possit pro Sacro celebrando : Possetne saltem diebus festis altero digito adhibito Missam celebrare, ut Populus Ecclesiasticum de audiendo Sacro præceptum adimpleat ?

Resp. Quamvis Leander, Toletus, et alii doceant, posse Parochum eo morbo in indice laborantem, altero etiam digito adhibito Missam celebrare festis saltem diebus, ut Populus Ecclesiasticum de audiendo Sacro præceptum adimpleat, quod nempe non solum index et pollex sunt consecrati, sed tota manus sacro Chrismate in Ordinatione inungitur et consecratur : quamobrem, urgente

rationabili causa, qualis profecto est auditio Sacri die festo, indice per morbum impedito, nil vetat, quin et aliis digitis uti possit Sacerdos, ut Sacrum faciat. Necessitas enim, ut communiter dicitur, reddit per accidens licitum, quod secus illicitum foret. Attamen longe magis placet id negare cum Bonacina de Sacramentis disp. 4, quæst. 5, puncto 2, n. 10. Diana p. 10, tract. 16, Miscell. v. 80. Possevino de Officio Sacerd. cap. 5, num. 49, aliisque communius. Etenim tametsi tota manus sacro Chrismate inuncta sit et consecrata, attamen ex ritu Ecclesiæ solus index et pollex ad hoc ministerium deputantur, quod et consuetudine firmatur, quæ fert, ut in celebratione aliis digitis non utatur Sacerdos, sicuti et in aliis Sacramentis non absolute necessariis administrandis, a qua quidem consuetudine nefas sit recedere, nisi ad summum ex urgentissima causa, qualis esset ad Sacrum Viaticum infirmo administrandum, ut inquit Diana, non autem ut populus Sacrum audiat etiam die festo. Legitimus enim Ecclesiæ ordo sub peccato obligat. Præterea, ex cap. 1, et ult. de Corpore vitiatis a sacerdotio repelluntur, et irregulares declarantur pollice vel indice carentes aut habentes digitos hujusmodi adeo infirmos, ut sacram Hostiam frangere nequeant. Repellendi igitur sunt post Ordinationem ab Ordinis exercitio, qui tali morbo laborant. Siquidem, ut ait Ligorius lib. 6, tract. 3, cap. 2, art. 2, num. 244, regula generalis est, ut quidquid impedit, ne Ordo suscipiatur, prohibeat etiam, ne susceptus ordo ministretur et exerceatur. Neque dicas, urgere tunc præceptum de Sacro audiendo. Hoc enim non urget, quando Sacrum fieri haud potest juxta ritum Ecclesiæ, ac laudabilem consuetudinem, Sacris Canonibus præsertim innixam.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I.—Femina prope Confessionale existens peccata, quorum Sacramentali Confessione se accusabat, alter pœnitens, fortuito audivit : Tenetur ne ad Sacramentale sigillum ?

Resp. Feminam, prout exponitur in casu, ad servandum inviolabili lege secretum ipso naturali jure teneri, extra omnem controversiam est. Siquidem quisquis naturali jure adstringitur ad reticenda ea omnia, quæ ex sese occulta ut sint ac secreta, expostulant, sive casu ac fortuito ei innotescant, sive etiam per injuriam propriave malitia eadem cognoscat, quod nempe ex tali relatione manifestationeque magna irrogaretur proximo injuria, et ejusdem bona sive famæ, sive fortunæ, vel etiam vitæ, ad quæ servanda suapte natura quilibet jus habet, graviter læderentur. Porro peccata, quæ fortuito etiam audiuntur, quum quis eadem Sacramentali Confessione exponit, potissimum si gravia sint, de iis esse, quæ naturaliter ut occulta maneant ac ignota exigunt, quum graviter, si manifesta fierent, ipsius pœnitentis fama violaretur, nemo ignorat. Quod in præsentia discutiendum proponitur est, an ad id teneatur jure Sacramentalis sigilli proprie dicti. Negant Sotus in 4, sent. dist. 18, quæst. 14, art. 5. Vasquesius quæst. 93, art. 4, dub. 2. Tannerus, et alii, quod nempe Sacramentalis sigilli lex solum afficit Confessarium, utpote qui solus proprie est Sacramenti Pœnitentiæ Minister, non vero alios quoscumque, qui forte ex qualibet causa ipsa peccata etiam in hac circumstantia audierint, quum non propterea ipsum Sacramentum administrent. Verum contrarium probabilius censeo cum Angel. Doctore in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, Scoto ibidem quæst. 2. Rosignolio de Pœnit. p. 1, quæst. 7, art. 22, sect. 2. Reiffenstuel Theolog. Mor. tract. 14, dist. 9, quæst. 3, num. 36, et aliis satis communiter. Etenim cognitio peccatorum, quam illa femina in ea circumstantia acquisivit, ab ipsa Sacramentali Confessione provenit, atque ad Sacramentalem Confessionem ordinem servat, ac relationem, quum tunc peccata a pœnitente non accusentur, nisi in ordine ad ipsam. Illud ipsum ergo onus secum defert, quod ex Christi institutione, ac præcepto, ex usu et traditione Ecclesiæ Sacramentali Confessioni annexum est. Res enim quæcumque sit, ad omnes æque transit cum eo onere, quod ipsi de jure inest, ut patet in pignore, cujus obligatio transit in possessorem, quisquis ille sit. Quum

igitur peccatorum notitia in ea circumstantia annexum habeat ex Christi institutione usuque Ecclesiæ Sacramentale sigillum (etenim Pœnitens cum solo Confessario alloqui intendit, eique soli sub Sacramentali sigillo sua peccata revelare), etiam cum hoc onere ad illam feminam transit. Tenetur ergo, quæcumque peccata audivit, alto silentio servare in corde suo, et quidem sub Sacramentali sigillo stricte ac rigorose sumpto; hæcque communis est fidelium persuasio, et maxime id conducit ad Sacramenti ipsius reverentiam servandam, levandumque ejusdem onus. Quum enim Sacramentalis Confessio homini instituenda, facile possit ab aliis audiri, qui adsunt, grave nimis et odiosum esset, ipsique etiam Sacramento injuriosum, si qui aut fortuito, aut ex propria malitia alterius peccata in Confessione audierint, eadem lege ad ea reticenda non adstringerentur, qua tenetur Confessarius ipse; quum eadem præsertim urgeat ratio, idemque titulus, Sacramenti nimirum reverentia, et cognitio ex Sacramentali Confessione proveniens, quamvis Sacramentum a solo Confessario administretur, ex quo solutum habes tum Soti, tum Vasquesii argumentum.

CAS. II. — Solet quidam Sacerdos Missam, quam celebrat absolvere vix, ac ne vix quidem intra horæ quadrantem : Estne immunis a peccato ?

Resp. Quamquam inter sese non conveniant auctores in assignando temporis spatio, quod in Sacro rite peragendo insumere debeat Sacerdos, tum nempe, quod una liturgia est alia longior, tum quod unus Sacerdos, sive verborum pronunciatione, sive corporis agilitate est altero expeditior; illud tamen certum est, tantum temporis impendendum esse, quantum et cæremoniis, quæ in Missæ celebratione præscribuntur, rite ac decenter perficiendis, et verbis, quæ vel submissa, vel elata voce proferenda sunt, distincte et apposite pronunciandis par sit, ea etiam servata corporis gravitate et compositione, quæ tantum deceat Mysterium, quo nihil sanctius, nihil divinius in Ecclesia excogitari potest, quæque fideles ad devotionem et fidem erga hoc ipsum Sacrificium excitet.

Ad hoc enim *pia Mater Ecclesia*, inquit Trid. Syn. sess. 22, de reform. cap. 5, *eas Cæremonias ex Apostolica disciplina et traditione* in celebratione Missæ *adhibuit, ut et Majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Hac posita ineluctabili doctrina, quis non videat, difficulter admodum a culpa excusari posse Sacerdotem, qui solet Missam, in qua quælibet *irreverentia*, ut inquit Trid. Syn. *ab impietate vix sejuncta esse potest*, ita celeriter absolvere, ut vix, ac ne vix quidem horæ quadrantem in ea absolvenda insumat? Quis enim sibi suadeat, intra breve adeo temporis spatium satis attente ac decenter percurrere posse Sacerdotem, et agere universa, quæ in Rubricis continentur ac præcipiuntur. Hæc enim absolvere haud poterit, quin plurima vel prorsus omittat, vel ad minus mutilet, quin verba cum cæremoniis complicet atque confundat, aut ipsa contra Rubricarum præscriptum anticipet, vel postponat, quin tandem, ut alia innumera omittam, indecenter ac indecore se moveat ac convertat; adeo ut ei aptissime convenire posset, ut inquit glor. record. Bened. XIV, lib. 3, de Sacros. Missæ Sacrif. cap. 24. et in sua Eccles. et Pastorali Instit. 14, t. 2, quod olim Tertullianus, quum diversam rem pertractaret, postulavit : *Sacrificat, an insultat?* Quod si fingas, quempiam ita lingua et motu celerem esse et expeditum, ut eo brevissimo tempore omnibus rite satisfacere possit Missalis verbis ac Cæremoniis, nunquam tamen mihi suadere poteris, hunc ipsum tanta celeritate celebrare posse, quin ex una parte plurimum detrahat reverentiæ erga Sacramentum adeo sanctum ab ipso præstandæ, et ex alia ipse sit causa, cur adstantes in ea veneratione, quam eidem Sacrificio debent, maxime deficiant, eosque, ut apposite docet Concilium Turonense, anno 1583, *a devotione potius revocet, quam ad Sacrorum et tremendorum mysteriorum meditationem*, quam etiam Tridentina Synodus præcipit, *invitet :* quamobrem eorum plurimi graviter animo commoventur, et grave scandalum inde percipiunt. Nequit ergo a culpa ex-

cusari, nec minus reprehendendus est, ac, referente Christiano Lupo, t. 9, p. 313, ultimæ editionis Venetæ, reprehensus fuit a Constantiensibus Patribus Joannes XII, cui inter alia, quæ contra ipsum prolata fuerant, hoc quoque objiciebatur, quod *Missam raro, currenter ac sine devotione celebraret.* Ne vero quidpiam præterire videamur, neque illos Sacerdotes laudandos esse ducimus, qui quum Sacrum faciunt, adeo immoderata tarditate utuntur, tum in verborum pronunciatione, tum in Cæremoniis perficiendis, ut vel integram horam, vel tres ad minus horæ partes, ut nonnulli contendunt, insumant, quod nempe in aliud extremum et ipsi dilabuntur : siquidem, quum ea pietas ac devotionis fervor, qui primis Ecclesiæ temporibus viguerat, in plerisque fidelibus jam admodum tepuerit, facile ob eam nimiam prolixitatem tædio afficiuntur, et ab audiendo Sacro ferialibus saltem diebus ac profestis experientia ipsa magistra retrahuntur. Merito propterea in Missalis Rubrica p. 1, t. 16, n. 2, hæc præscribuntur : *Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat.* Deinde quis nesciat, tantum temporis in recta integraque verborum pronunciatione, et in precibus, cæterisque rebus, quæ a Sacris Ritibus in hac tam sancta ac sublimi actione præscribuntur, attente decenterque absolvendis non requiri, nisi aut quidpiam interim mente revolvas quod tametsi bonum ac sanctum videatur, a propria tamen ac litterali verborum significatione alienum sit, aut, quod gravius esset, contra Rubricæ præscriptum aliquid addere velis; aut demum affectatione quadam in cæremoniis perficiendis utaris, quod sane ab ea exteriori corporis gravitate, et compositione, quæ tanto Mysterio convenit, longissime abhorret. Quæ quum ita sint, affirmare non dubitamus ex communi Scriptorum opinione, tempus, quo Sacrum rite perficiatur, ad tertiam saltem horæ partem pertingere debere, nec ullatenus horæ dimidium excedere : Siquidem ex una parte spatium hujusmodi iis omnibus, quæ hactenus explicavimus, decenter absol-

vendis par esse videtur, et ex alia nullum populo fastidium afferre debet, nisi omni prorsus pietate sit destitutus. Hanc opinionem docet locis jam adductis felicissimæ record. Bened. XIV. eamque tuentur Quartus in Comm. ad Rubricas Miss. Roman. p. 1, tit. 16, dub. 6. Bissinus, Cotonus, Clericatus, Roncaglia aliique apud ipsos penes innumeri.

CAS. III. — Parochus, quum celebratur cujusdam Defuncti Officium, deficientibus, ob multiplicitatem Sacerdotum, qui ad celebrandum accedunt, Planetis nigri coloris, eisdem pro celebrandis privatis Missis *de Requiem* Planetas tradit coloris Violacei. Ritene?

Resp. Quum Rubrica Missalis de coloribus Paramentorum præscribat, ut in omnibus Officiis ac Missis Defunctorum nigro colore, utpote qui, ut Innocent. III, lib. 1, de Myst. Missæ cap. 65, inquit, *apud omnes est mortis propriissimus*, utamur, qui quidem ritus ex lib. 1. Collectan. Theodori Lectoris Acatii tempore, erat in usu; quumque in Instructione pro Oratoriis hujus nostræ Diœcesis vetitum omnino sit uti in Missis Defunctorum Planeta violacei coloris, nisi necessitate urgente, hujusce coloris planetas Sacerdotibus celebrantibus Missam *de Requiem* tradidisset Parochus, improbandus sane esset ac reprehendendus. Verum, quum, ut in ipso casu affirmatur, ad id quodammodo fuerit adstrictus, ob multiplicitatem Sacerdotum, et defectum Planetarum nigri coloris, nec reprehendendus est, nec improbandus. Quamvis enim Ecclesia, quæ olim indistincte usa est tam pro defunctis, quam in diebus afflictionis et luctus nigro colore, postmodum, tamquam superni Regis Sponsa, miris colorum circumamicta varietatibus, distinguendum utrumque, veluti utrique proprium, esse putaverit, rite defunctis nigrum assignans, violaceum vero diebus afflictionis; tamen et violaceum quandoque et pro defunctis, et pro diebus afflictionis rationabili causa urgente adhiberi posse decrevit anno scilicet 1670, die 21 Junii in Oritana, uti videre est in sequenti Decreto S. R. C., quod referunt Cavalierus de Missis defunctorum quotidianis cap. 27, decreto 1; et Meratus in suis

notis et additionibus in Rubricas Missalis Patris Gavanti in indice Decretorum, n. 444, aliique passim Rubricistæ : *Missæ defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo.* Veluti ergo subsidiarius color, et aliquali necessitate urgente, ut hæc dictio *saltem* exprimit apertissime, permittitur usus violacei coloris pro mortuorum Missis absolvendis. Recte ergo in ea circumstantia, in qua rationabilis causa aderat, illius coloris planetis usus est Parochus.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Parochus ruralis, urgente Paschali præcepto, quo tempore eidem ab Eminentissimo ac Reverendissimo nostro Cardinali Archiepiscopo data est facultas absolvendi a quibusdam casibus sibi reservatis, inabsolutum dimisit quemdam suum Parochianum pœnitentem, quippe qui erat indispositus : hic elapso mense ad eumdem emendatus rediit. Quæritur, si reservatum exponat, ad quod Parochi facultas tunc extendebatur, potestne illum ab eo reservato directe absolvere?

Resp. Affirmandum omnino censeo, uti communiter docent Theologi a Card. de Lugo relati de Sacram. Pœnit. disput. 19, sect. 11, n. 14. Etenim jurisdictio tum ad Confessiones excipiendas, tum ad absolvendum a reservatis viget ac durat, quousque res, pro qua collata eadem fuerat, non est amplius integra, sed jam cœpta est, et nondum perfecta, ut expresse habetur in cap. *Relatum*, et cap. *Gratum de Officio delegati.* Jam vero Parochus noster, quum inabsolutum dimisit suum Parochianum pœnitentem, jam illius cœperat Confessionem audire. Quinam enim eumdem indispositum potuisset judicare, nisi jam hic suam inchoasset Confessionem, aliquorumque peccatorum sese jam accusasset? Res ergo jam cœpta erat, nec amplius integra. Quumque inabsolutum dimiserit pœnitentem, nondum Judicis officio ac munere perfunctus est, quod, non nisi absoluto judicio, ac lata

sententia perficitur; quamobrem nec hactenus absoluta fuerat, ac perfecta. Eadem igitur ipsi inest jurisdictio ac facultas, quæ, urgente Paschali præcepto, pro eo tempore ab Eminentissimo ac Reverendissimo nostro Cardinali Archiepiscopo data eidem fuerat, ac concessa. Rediens ergo pœnitens præscripto tempore jam emendatus ac dispositus, poterit etiam a reservato illo casu, ad quod tunc Parochi facultas extendebatur, directe absolvi. Et sane ob hanc ipsam rationem, si Jubilei tempore absolutio pœnitenti indisposito differatur, an non hic etiam elapso hoc tempore, ut communiter docent Theologi apud Bossium de triplici Jubileo, sect. 1, cap. 39, n. 1, ab iis reservatis absolvi potest, a quibus virtute Bullæ Jubilei tunc absolvi poterat, si iisdem fuisset innodatus? Cur igitur non poterit in casu nostro? Dices forte, Jubilei tempore quum absolutio differtur, differri etiam ipsius Jubilei lucrum : quamobrem nil mirum, si etiam facultas in reservata ipsi Jubileo lucrando concessa extendatur. Sed numquid, quum Paschali tempore inabsolutus quispiam dimittitur, eidem adimplementum non differtur illius præcepti, quod habetur in cap. *Omnis utriusque sexus;* cui facilius observando ruralibus Parochis facultas conceditur absolvendi a quibusdam casibus reservatis? Nec enim alium finem excogitare potest, ob quem illo tempore facultas hæc concedatur. Quemadmodum ergo dilato Jubileo, et ultra tempus a Bulla præfixum extenso, extenditur etiam facultas in reservata; ita dilatione concessa ad Paschale præceptum adimplendum, extensa etiam intelligitur facultas Parochis concessa, ac propterea poterat Parochus directe suum Parochianum jam emendatum, eo tempore transacto, pro communione Paschali ad ipsum accedentem, ab illo reservato absolvere.

CAS. II.— Si idem pœnitens ad Parochum pro obtinenda absolutione rediens novum peccatum lethale commisisset. Poteritne adhuc illum absolvere?

Resp. Ut propositæ quæstioni sit locus, supponendum est novum lethale, quod pœnitens ad Parochum rediens pro absolutione obtinenda commisit, unum esse ex re-

servatis, et quidem iis, ad quæ absolvenda data est Parochis, urgente Paschali præcepto, facultas. Siquidem, si reservatum non foret, certo esset affirmandum, quemadmodum eadem certitudine negare id deberes, si concessam excederet facultatem, ut ex se patet. In facta autem hypothesi, quamquam non desint, qui negent, posse Parochum pœnitentem illum directe absolvere, mihi tamen magis aridet eorum opinio, qui id affirmant, quod nempe jam expositæ doctrinæ, quam et negantes Auctores communiter tradunt et amplectuntur, magis congruere et consentanea esse videatur. Si enim, ut et contrarii Doctores docent ac tuentur, poterat directe absolvi Parochianus pœnitens ab omnibus reservatis, quorum reus erat, quum inabsolutus dimissus est, transacto Paschali tempore emendatus rediens, vi facultatis ab Eminentissimo ac Reverendissimo nostro Cardinali Archiepiscopo Parochis Paschali præcepto urgente concessæ, quod nempe quum pœnitens inabsolutus dimittitur, dilatio ipsi conceditur ad implendum Paschale præceptum, quemadmodum dilata absolutione tempore Jubilei, differtur etiam ipsius Jubilei lucrum: prorogato vero præcepto Paschali, etiam facultas intelligitur prorogata ad absolvendum ab iis reservatis Pœnitentem, sicut intelligitur prorogata facultas in reservatis, prorogato Jubilei lucro, quod nempe sicuti hæc conceditur, ut quis Jubileum facilius consequatur, ita et illam impertitur Archiepiscopus, ut commodius præceptum Paschale adimpleatur; præsertim quum utraque sit favor ac beneficium Principis, et animæ favorabilis, consequenter juxta vulgatissimam 15 regulam juris in 6, cap. *Odia*, amplianda sit, nisi Princeps ipse secus expresserit: *Favores convenit ampliari*, et cap. Olim 16, de verborum significat. *Beneficia Principum sunt interpretanda largissime;* cur ergo non poterit vi ejusdem facultatis etiam directe absolvi pœnitens a reservato, quod recenter commisit, quum jam emendatus ad Parochum redit pro obtinenda absolutione ad Paschale præceptum adimplendum, quæ eidem ab ipso dilata fuerat ob indispositionem, ac prorogata? An non enim adhuc urget relate ad eumdem Paschale præceptum, cui

commodius adimplendo facultatem in reservata impertitus est Eminentissimus Princeps Parochis ruralibus? An non hoc ipsum recens peccatum in hac hypothesi ita se habet, ac ea, quæ ante tempus Paschale fuerant ab ipso commissa? An non tandem in hac ipsa circumstantia favor adhuc est ac beneficium Eminentissimi Principis concessa in illa reservata potestas ac jurisdictio? Nil ergo prohibet quin Parochus directe possit eumdem absolvere. Vide Bossium loco adducto.

CAS. III. — Sepulturæ tradito ad vesperas cujusdam defuncti cadavere, quod servari insepultum non poterat ob graveolentiam in sequentem usque diem, celebrato summo mane pro ejusdem anima solemni officio, et facto sacro, ad tumulum, super quem apposita erat capsula, quæ continere poterat ipsum cadaver, a cantoribus recitatum fuit Responsorium illud, *Subvenite, Sancti Dei.* Ritene?

Resp. Responsorium illud *Subvenite, Sancti Dei*, quod antiquitatis laude non carere testatur Gavantus tom. 2, sect. 9, cap. 4, num. 6. quum in Antiphonario S. Gregorii legatur, olim dicebatur, quum infirmus in ultimo agone constitutus jamjam expiraturus erat: unde S. Guillelmum Aquitaniæ Ducem, et S. Dominicum FF. Prædicatorum inclyti Ordinis Institutorem, quum Responsorium hocce recitaretur, spiritum Deo reddidisse legimus; et apposite quidem, ac juxta illius temporis circumstantias: siquidem laudato Responsorio Angeli invocantur, ut egredienti e corpore animæ occurrant et adsistant, eamque offerant, ac Deo præsentent. Hisce tamen temporibus, Rituali Romano sic præscribente, recitandum est sive statim ac anima e corpore egressa est, ut nempe in ejusdem exitu, a quo pendet æternitas, utilioribus precibus ab ipso Rituali præscriptis Deo commendetur; sive quum cadaver Ecclesiam ingreditur, ad quam pro sepultura defertur: in quo quidem ritu advertas vellem, eamdem quidem ab Ecclesia repeti precem, non eamdem tamen esse invocationem. Primo siquidem Angeli Custodes et tutelares loci, in quo quis moritur, in illius animæ subsidium ac juvamen vocan-

tur: Secundo vero Angeli Custodes ac Titulares Ecclesiæ, in qua cadaver est sepulturæ mandandum. Jam vero, quum nullo alio tempore dictum Responsorium recitandum præscribatur, qui nimo Rituale Romanum titulo de exequiis expresse jubeat, cantandum esse a Clero vix Ecclesiam ingresso: ait enim, *deinde Ecclesiam ingressi cantant, Subvenite, Sancti Dei*, et aperte doceat post solemne Officium et Sacrum factum pro anima Defuncti super tumulum, vel etiam cadaver, si adsit, decantandum statim esse Responsorium, *Libera me, Domine*, nulla mentione facta de alio, *Subvenite, Sancti Dei*, quod quidem, ut ait Cavalerius cap. 15, de Exequiis adultorum Decreto 59, cap. in ord. 171, canendum est, dum apportatur feretrum ad Ecclesiæ medium, et ibi deponitur, non autem super tumulum, vel cadaver jam in medio depositum, manifestissime sequitur, rite non sese gessisse cantores, præcinendo eo tempore hoc ipsum Responsorium, etiam si cadaver præsens esset, sed absente cadavere ab iis illico recitandum fuisset, *Libera me, Domine*, præsente vero, absoluta a Sacerdote super illud ea Oratione, *Non intres in judicium.*

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Tempore Paschali, quo annuæ Paschalisve Communionis præceptum urgebat, exposuit Cajus proprio Parocho quoddam reservatum, a quo non quidem ex defectu potestatis in Parocho, qui eam habebat, sed ex defectu dispositionis in Pœnitente non fuit absolutus. Elapsis aliquot diebus vere dispositus et emendatus aliam Cajus instituit Confessionem coram Capellano, cui affirmavit, se reservatum illud dicto tempore proprio Parocho sincere exposuisse: hoc audito, Capellanus directe illum absolvit. Validene?

Resp. Certum est invalidam prorsus esse ac irritam absolutionem ab eo Sacerdote collatam, qui jurisdictione in pœnitentem prorsus destituitur, ut aperte declaratur in Tridentina Synodo sess. XIV, cap. 7, hisce verbis: *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut*

sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Eadem certitudine constat, jurisdictionem hanc posse ab Episcopis limitari ad hos, et non ad illos casus, omni partium studio seposito, prout in Domino expedire judicaverint, imo, ut ait loco jam adducto ipsa Tridentina Synodus, id Sanctis PP. nostris visum est ad disciplinam summopere necessarium. *ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur* extra mortis articulum, seu periculum; quo *ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, sunt ejusdem Concilii verba, *in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio.* Porro reservatio hæc ac restrictio in omnium sententia non solum illicitam, sed et invalidam reddit absolutionem, utpote quæ ab eo confertur, qui in ea peccata extra periculum mortis penitus jurisdictione destituitur. *Extra quem articulum*, scilicet mortis, sunt Trid. verba loco laudato, *Sacerdotes, quum nihil possint, in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores ac legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Nulla igitur ac prorsus irrita fuit absolutio, quam Capellanus Cajo impertitus est, prout casus exponit. Supponimus enim Capellanum in illud reservatum, quod Cajus exposuit in sua Sacramentali Confessione, nullam potestatem habuisse ac jurisdictionem, secus nulla esset, ut patet, vel levis dubitandi ratio. Neque vero vel minimum juvat, jam illud peccatum fuisse a Cajo Sacramentaliter expositum Parocho Paschali tempore, quo poterat hic illud ipsum absolvere. Etenim per hanc Confessionem, in qua ob ejusdem indispositionem inabsolutus fuit a Parocho dimissus, ablata non est reservatio, quæ sane non tollitur, nisi reservatum habenti in ipsum jurisdictionem ac potestatem, saltem subdelegatam, Sacramentaliter exponatur, et quodammodo absolvatur. Eo siquidem spectat et ordinatur reservatio, ut nempe crimina reservata illi aperiantur,

qui in illa jurisdictionem aliquam habet, quique judicet et cognoscat de illis, ac salutari imposita pœnitentia eadem absolvat. Hæc mens est Superioris reservantis, hic finis reservationis, idque potissimum in casu nostro, in quo non est sermo de ordinariam potestatem habente, qui utique etiam non audita Sacramentali Confessione, delinquentem exposito crimine reservato remittere potest ad inferiorem Confessarium, ut ab illo absolvatur in Sacramentali Confessione, quum hæc Superioris ad Inferiorem missio sit quædam veluti tacita facultatis concessio, aut ipsius reservationis ablatio; sed de Confessario, cui delegata tantum competit in reservata potestas, qui, quum subdelegare suapte natura non possit, reservationem auferre nequit, nisi præmissa Sacramentali Confessione absolutionem ad minus invalidam impertiatur. Nec enim aliter satisfieri potest menti Superioris reservantis, qui vult reservata crimina subjicienda Ecclesiæ clavibus, et per Sacramentalem absolutionem delenda. Dixi ad minus *invalidam:* nolo enim in præsentia gravem illam, quæ inter Theologos agitur, controversiam ingredi: qua disceptatur, an per Confessionem nullam et irritam factam habenti jurisdictionem in reservata auferatur reservatio, necne, de qua quidem re non est præsentis nostri instituti sententiam nostram proferre. Quum igitur, ut redeamus ad difficultatem propositam, Cajus nec valide, nec invalide a suo Parocho Paschali tempore, quo jurisdictio, ac potestas ipsi inerat in reservata, absolutus fuerit, sed dimissus ut emendatus rediret, non poterat directe absolvi, quum jam dispositus rediit a Capellano, sed aut ad ipsum Parochum pro absolutione obtinenda, ut in prima resolutione mensis Martii jam probavimus, redeundum illi erat, aut ad Superiorem, vel Confessarium privilegiatum. Ita communissime Doctores de reservatione.

CAS. II. — Ædituus Parochialis Ecclesiæ, in qua plerumque unicum Sacrum celebratur, Consecrationis tempore ad pulsandas campanas, quæ ex consuetudine tunc temporis pulsari solent, divertit: Satisfacitne Ecclesiastico de Missa audienda diebus festis præcepto?

Resp. Affirmandum censeo cum Card. de Lugo de Euch. disp. 22, sect. 1, num. 4. Layman lib. 4, tract. 7, cap. 3, num. 3. Concina lib. 1, de Eccl. præc. Dissert. 3, de audienda Missa, aliisque communissime. Etenim, ut quis præcepto de audiendo Sacro diebus festis satisfaciat, sufficit ut eam mentis attentionem habeat, qua Missa durante ad ea advertere possit, et applicare, quæ in Altari peraguntur a Sacerdote, eamque corporalem ac religiosam præsentiam servet, ut saltem moraliter sacrificanti Sacerdoti præsens censeri debeat ac possit cultu sacro ac religioso. Jam vero Ædituus noster, tametsi Consecrationis tempore ad pulsandas campanas vel in Sacrarium, vel ad fores Ecclesiæ divertat, adhuc tamen attendit et attendere potest, nisi voluntarie se distrahat, ad ipsum Sacrificium, eaque omnia, quæ a Sacerdote perficiuntur, nec eam corporalem præsentiam, quæ huic adimplendo præcepto par sit, amittit, præsertim quum hic ipse recessus, quicumque sit, ad ipsam Missam ordinetur ejusque majorem solemnioremque celebritatem et cultum. Recedit enim, ut elevationis Corporis et Sanguinis Christi Domini det signum, admoneatque adstantes et alios, ut eam, quæ ipsi debetur, venerationem ac reverentiam, ea qua par est animi humilitate præstent atque exhibeant; quod quidem ut exacte perficiat, attente ad ipsum Sacrum advertat oportet. Quum igitur hæc actio non modo non opponatur attentioni necessariæ, sed illam maxime adjuvet, neque corporalem, et quidem religiosam præsentiam ipsi Sacro tollat, in dubium revocari non potest, quin Ædituus in exposito casu Ecclesiastico de audienda diebus festis Missa præcepto satisfaciat. Hac ipsa ratione ipse Pater Concina docet, musicos, tympanistas, tibicines, chelystas, ac hujus generis alios huic satisfacere præcepto, etiam cum sua hæc munera præstant, modo ad id, quod in ara geritur, attendant. Istorum enim actiones in Dei cultum referuntur, et quidem in ordine ad ipsum Sacrificium, quod celebratur, ejusque servitium et solemnitatem.

CAS. III. — In Ecclesia Parochiali, Deo in honorem sancti Pancratii Martyris dicata, in Litaniis omnium

Sanctorum, quæ, celebrata Missa, cantari solent, additur a Cantoribus nomen Titularis Ecclesiæ. Estne toleranda hujusmodi consuetudo?

Resp. Quamquam olim fas esset in gravioribus saltem quibusdam populorum necessitatibus in Litaniis Sanctorum, quas a D. Hieronymi temporibus jam apud Romanos in usu fuisse sentit Walafridus de rebus Eccles. cap. 28, præsertim quum non dicuntur ex præscripto Breviarii Romani, sed alias ob causas, quasdam fieri additiones, sive precum et petitionum, sive etiam Sanctorum, quemadmodum in ipso Rituali Romano adduntur varia, puta, *a peste, fame, et bello*, et ejusmodi ob varios casus: neque videbatur additio hæc, modo ex rationabili causa fieret, a Paulo V, in Rituali Romano prohibita. Nunc tamen id omnino vetitum est a Sacra Rituum Congregatione, quæ die 22 Martii anno 1631, Canonicis Cathedralis Regiensis, qui facultatem ab ea petierant, addendi Litaniis hisce Sanctos Titulares, et Patronos Civitatis, respondit sequenti decreto, relato a Patre Bartholomæo Gavanti sect. 9, cap. 4, de Psalmis pœnit. num. 10, et a Patre Cajetano Merati in suo indice decret. n. 256, *Non possunt in Litaniis inseri alii Sancti præter ibi descriptos, neque tempore pestis addendi sunt Titulares, et Patroni Civitatis sine speciali concessione.* Jam vero, si neque in adeo gravi urgentique necessitate, qualis est quum grassatur pestis, nulli Sancti addendi sunt, uti decrevere PP. qui sacræ huic Congregationi præsunt, multo minus extra tale tempus id cuiquam fas erit: fit enim illatio a majori ad minus. Nequit ergo permitti proposita illius Parochialis Ecclesiæ consuetudo.

MENSE MAII.

CAS. I. — Uxor quædam optime sciens, per copulam habitam cum consanguineo viri sui in primo vel secundo gradu jus amitti debiti petendi, quadam die a viri sui fratre per vim cognita, dubitat, an absque dispensatione possit licite debitum conjugale petere: quam ob rem

suum consulit Parochum. Quale erit Parochi consilium?

Resp. Ut rite Parochus et apposite respondeat, diligenter ipsi inquirendum est, an uxor, quæ vim passa est a fratre viri sui, extortæ ab illo copulæ in ipso actu consenserit, an vero ita restiterit, ut nullum in tali concubitu peccatum commiserit, quod tamen vix, ac ne vix quidem videtur accidere posse. Si hoc secundum dicatur, planum omnino est, illam ex hujusmodi affinitate jure non excidisse petendi debiti a viro suo, nullaque propterea dispensatione indigere : etenim ex regula 25, juris in 6. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Jam vero si in eum actum nullatenus, ut modo supponimus, uxor consensit, nullamve culpam commisit, incestus ille materialis dumtaxat fuit, nec ullatenus potest, aut debet in peccatum eidem imputari, uti expresse docet S. Augustinus lib. *de Sancta Virginitate* cap. 8, relatus *in can. de Pudicitia* 6, caus. 32, quæst. 5, hisce verbis : *Nemo impudico utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia;* quibus consentiunt hæc alia Origenis lib. 2, ad cap. 2, Epist. ad Rom. *Neque enim fieri potest, ut, si ante quis non mœchetur in corde, mœchari possit in corpore.* Nulla igitur pœna ob illum incestum punienda est : quamobrem nec jure sibi jam ob legitimum Matrimonium acquisito privanda. Hanc ipsam difficultatem in proposita suppositione expresse jam definivit Innocentius Tertius in sua Decretali ad Præpositum Magdeburgensem scripta de viro, qui nuptam a se conjugem parenti suo ad mœchandum tradiderat; et habetur cap. *Discretionem* 6, *de eo, qui cognovit Consanguineam uxoris suæ* lib. 4, tit. 13, eamdemque, quam attulimus, rationem affert. En ejus verba : *Sed nec affinitas, quæ post contractum legitime Matrimonium inter virum et uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari.* Sed quid, si fœmina illi crimini, licet metu et quidem gravi correpta, consenserit? Amittitne jus petendi debitum? Negant Bonacina, Rebellus, et alii,

quos citant, et sequuntur Salmanticenses num. 28. Quis enim, inquiunt, sibi suadeat, Ecclesiam velle tam gravi pœna eos mulctare, qui gravi metu coacti suam legem non servant? An non ob hoc ipsum ab incurrendis censuris ii excusantur, qui ob gravem metum aliquam Ecclesiasticam legem, et quidem libere et voluntarie, quod simpliciter non tollit metus gravis, sed dumtaxat secundum quid, ut aiunt, transgrediuntur? Probabilius tamen, ut ego sentio, affirmant Pontius lib. 10, cap. 17. Sanchez lib. 9, disp. 3, et alii. Etenim quantocumque timore correpta fuerit femina hæc, illi crimini absque reatu peccati mortalis assentiri non potuit, quia, ut ait S. Augustinus lib. *de Sancta Virginitate* relatus in *Can. Ita ne* 3, *causa* 35, *quæst.* 5, *quum pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem, potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire*, quisquis vere pudicus est, *decernat* oportet. Verum igitur incestum tum materialem tum formalem commisit, veramque ex lege Ecclesiæ affinitatem contraxit. Jure ergo petendi a suo viro debitum excidit. Neque Bonacinæ, aliorumque argumentatio satis firma videtur et efficax. Ecclesia siquidem non punit hac pœna eos, qui propriam legem violant ac transgrediuntur, sed qui legi divinæ refragatur, verum scilicet incestum adulterium cum affine in primo vel secundo gradu committit. Neque dicas, in nostra hac hypothesi incestui huic adnexam non esse privationem conjugalis debiti petendi : hæc enim privatio est Ecclesiastici dumtaxat juris, quod, nemine contradicente, gravi aliquo malo imminente non obligat. Id enim ultra concedimus, quando Ecclesiastica lex quidpiam sub aliqua pœna prohibet, quod alias lege naturali, vel divina vetitum non sit. At fornicatio ipso naturali jure prohibetur, eique, statim at cum affine in primo vel secundo gradu scienter a viro vel conjuge vere committitur, adjecta est illa Ecclesiastica privationis dicti juris pœna. Quum ergo scienter, tametsi ex gravi metu, hoc grande scelus perpetraverit femina, proculdubio tali jure excidisse dicenda est. Et sane nonne consentiens, quamquam gravi metu correpta, incestuoso illi actui, hujusmodi iniquitatis particeps ipsa fuit? An

non reapse gravem culpam commisit? Suo igitur jure privari debet. Et quidem ex ea ipsi a Innocentii Tertii Decretali, quam jam produximus. Etenim ei tantum, inquit Summus Pontifex, affinitatem post matrimonium inique contractam inter virum et uxorem non officere, qui *hujusmodi iniquitatis particeps non existit, quum suo jure sine culpa privari non debeat.* Quisquis ergo huic crimini quoquomodo vere consensit, ita ut illi in peccatum imputari debeat, hocce jure, ipso Innocentio Tertio definiente, privandus est. Quum igitur, ut modo supponimus, femina, ex gravi quidem metu, consensum vere incestui illi præstiterit, exigendi a suo viro debiti jure excidit. Quamobrem eamdem in hac hypothesi absque dispensatione illud ipsum petere non posse, a suo Parocho erit respondendum.

CAS. II. — Titius cognovit affinem in primo gradu, putans eamdem esse in tertio gradu consanguineam. Inciditne in casum reservatum?

Resp. Inter eas luxuriæ species, quæ quarto casu in tabella reservatorum pro hac nostra Diœcesi exponuntur, enumeratur etiam incestus in primo gradu affinitatis. Quum autem dubitari possit, an hic incestus tum formalis, tum materialis esse debeat, ut legi reservationis subjaceat, an vero sufficiat, si talis sit aut formaliter, aut materialiter tantum; merito quæritur, an Titius affinem cognoscens in primo gradu, quam tamen esse in tertio gradu consanguineam falso putaverat, consequenter materialem quidem incestum in primo affinitatis gradu commiserat, non autem formalem, in hunc casum reapse inciderit. Ego quidem pro certo tenendum censeo, in reservationem non incidisse. Etenim omnis reservatio utpote quæ est jurisdictionis ac potestatis in Confessario restrictio et coarctatio, odiosa est: debet igitur restringi, nec ultra proprium ac naturalem verborum, quibus exprimitur, sensum extendi, juxta illam adeo notam Bonifacii VII Regulam n. 15, *de Regulis juris in* 6, *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* De vero ergo incestu, et absoluto, et consummato, qui talis sit, nedum materialiter, sed etiam for-

maliter, nempe, cum cognitione saltem accedendi ad affinem, intelligenda est. Dixi *cum cognitione saltem accedendi ad affinem:* ultro enim fateor ipsius gradus notitiam non requiri, secus raro admodum laici in hanc reservationem incurrerent, quum, etsi affinitatem facile cognoscant, graduum tamen supputationes ut plurimum ignorent. Jam vero cognoscens Titius affinem in primo gradu, reapse materialem incestum in primo gradu affinitatis commisit; at eamdem putans esse in tertio dumtaxat gradu consanguineam, formaliter incestuosus in primo affinitatis gradu non fuit: legi igitur reservationis non subjacet. Incestus enim consanguinitatis in tertio gradu, quem ipse putative et ex errore committere intenderat, in nostra hac Diœcesi non reservatur. Dices forsan: accedens Titius ad Consanguineam etiam dumtaxat putative talem, gravius peccavit: in reservationem ergo incidit. Ast inprimis non ita facile definirem, copulam cum consanguinea in tertio gradu, atrociorem esse gravioremque ea, quæ habetur cum affine in primo gradu. Sed hoc etiam, si placet, concesso, non propterea posset inferri: ergo reservationi est obnoxia. Quamquam enim reservatio ad coercenda *atrociora quædam et graviora crimina*, ut ait Trid. Synodus, ab Ecclesia instituta fuerit, et ad Christianam disciplinam retinendam, continendosque fideles, tamen quum *hæc potestas in ædificationem, non in destructionem*, sicuti dicit Apostolus, *data sit Pastoribus Ecclesiæ, et in favorem populi Christiani, pro salute, non pro quæstu, aut simili commodo consequendo*, sunt verba Gersonis Parisiensis Cancellarii in Epist. ad quemdam Episcopum de moderatione casuum reservandorum; *constet autem certissime, quod reservatio stricta quorumdam casuum, præsertim in gravioribus et occultis speciebus peccati carnalis, retrahit innumeros a confessione, sicuti sunt pueri et puellæ, et mulieres verecundissimæ, et rurales idiotæ, a quibus vix potest extrahi talium peccatorum confessio, quantocumque Confessor sit sollicitus, humilis, morosus, ac discretus. . . . Expertum sit autem ex alia parte*, prosequitur laudatus Auctor, *quod hic terror reservationis nul-*

los, aut paucissimos cohibet sic peccare, non a majori graviorique criminum atrocitate desumenda est a Pastoribus ratio, cur quædam peccata sibi remittenda reservent; sed, uti præscripsit S. Congr. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum anno 1601, quod id populo sibi commisso utilius ac salubrius esse, communive bono magis expedire in Domino judicaverint. Quamobrem non raro leviora crimina summa prudentia et æquitate reservantur, nec nisi a Superiore, aut Confessario privilegiato absolvi possunt, quum atrociora quilibet simplex Confessarius Sacramentaliter remittere ac solvere possit. Quamquam igitur Titius gravius peccasset, ex errore existimans se rem habere cum consanguinea in tertio consanguinitatis gradu, quam hoc ipsum scelus perpetrans cum affine in primo gradu, non tamen in reservationem propterea incidit. Est communissima.

CAS. III. — Sepulto cadavere jamjam putrescente ad vesperas, die sequenti, tametsi officium occurreret duplicis majoris, celebravit Parochus Missam solemnem Defunctorum, ut in die obitus. Ritene?

Resp. Quum sacra Rituum Congregatio anno 1654, die 19 Septembris in una Papiensi aperte decreverit, Missas *exequiales Defunctorum in die depositionis Defunctorum*, (sunt ipsius Decreti verba, prout refertur, tum a Merati in suis novis observationibus et additionibus in P. Gavanti Commentaria in Rubricas Missalis, part. 1, tit. 5, n. 2, tum a Cavalieri cap. 3, decreto 5, in ord. 25), *posse solemniter celebrari diebus, in quibus cadit, festum duplex alicujus Sancti, dummodo non sit de præcepto juxta Rubricas Breviarii Romani*, nulla ratione improbandum est, quod Parochus peregit in casu proposito. Quum enim etiam in festis de præcepto, dummodo non sint primæ Classis, quemadmodum advertit Congregationis sanctionem explicans Meratus loco adducto, Missa solemnis defunctorum, cadavere præsente, possit celebrari, ut pluries ipsa Sacra Rituum Congregatio, et præsertim die 25 Maii 1613, et die 2 Septembris 1741, expresse decrevit; evidens est, supradictum

decretum de Missa solemni Defunctorum, corpore jam sepulto, et non præsente, canenda, intelligendum esse. Si ergo non fuerit festum de præcepto, quum eam solemnem Missam Defunctorum Parochus celebravit, tametsi occurreret Officium duplicis majoris, et jam sepulturæ traditum fuerit corpus, rite se gessit: quod adhuc fortius confirmatur ex eo, quod die 2 Septembris anno 1741 Patres S. R. C. Præfecti decreverunt. En Decretum: *Quum juxta Rubricas Missalis Romani absque Missa, quantum fieri potest, Defunctorum corpora non sint sepelienda, poterit, præsenti in Ecclesia cadavere, unica Missa solemnis de Requiem celebrari feria secunda Paschæ, aut Pentecostes: hæc tamen Missa non decantabitur in duplici primæ classis, etiam non festivo de præcepto, si corpus præsens in Ecclesia non fuerit, aut si fuerit pridie sepultum.* Quotiescumque ergo non sit duplex primæ classis etiam non festivum, non præsente, et jam sepulto corpore, solemne Sacrum de *Requiem* celebrari poterit. Exceptio enim, quam in hoc decreto addunt PP., firmat regulam, ut communiter dicitur, in contrarium. Neque vero facessit, quod Missam celebraverit, *ut in die obitus*, quæ vel solo die, quo quis decedit, vel eo, quo sepulturæ mandatur, videtur celebranda. Hæc enim, non alia, ipsi tunc celebranda erat, tum quod ea solemnitas ad ipsum obitus, vel depositionis diem, quem pro eodem accipere consuevit Ecclesia, refertur, et hic ipse dies tunc veluti commemoratur, et ea propter hæc eadem Missa præcipitur dicenda in die 3, 7 et 30, sola variata Oratione, ab ipsa Rubrica Missalis, tum quod hoc idem videtur declaratum ab ipsa S. R. C. die 4 Maii anno 1686, in una Canonicorum Regul. Lateran. hisce verbis: *Quum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicujus, potest cantari Missa de Requiem, ut in die obitus, pro ejus anima in festo duplici majori vel minori, non tamen de præcepto, ut citius suffragetur animæ Defuncti.* Decretum hoc refertur a Cavalieri laudato cap. dec. 6, in ord. 24, et a Merati in Ind. Decr. Miss. n. 484. Rite ergo se gessit Parochus, sive Sacrum solemne *de Requiem*, etiam sepulto corpore, ea die, tametsi officium occurreret du-

plicis majoris, non tamen festivum de præcepto, faciendo, sive Missam, ut *in die obitus*, celebrando.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Sempronius, obtenta facultate pro dispensatione a voto simplici castitatis animo ducendi in uxorem Petronillam, antequam Confessarius eamdem facultatem exequeretur, mutato animo, vult Bertæ nubere : Si hunc animum factamque mutationem Confessario manifestet, poteritne iste obtentam exequi facultatem ?

Resp. Quælibet dispensatio, quum sit juris communis quædam veluti relaxatio, ut justa sit et valida, atque ab eo, cui committitur, executioni mandari possit, fieri debet cum causæ cognitione ab eo, qui jus habet dispensandi, uti communiter docent Doctores cum Glossa in cap. *Requiritis* 5, caus. 1, quæst. 7, V *Ut plerisque*, et in cap. *Ut constitueretur* 5, dist. 50, V *Detrahentium*. Quamobrem, nisi ea causa subsistat, ob quam dispensatio potissimum a Superiore conceditur, quæque principaliter ab ipso concedente consideratur, et in eam veluti in scopum ejusdem mens dirigitur, ut ait Barbosa in Vot. Canonic. lib. 2, vot. 69, n. 6, estque dispensationis ipsius Pontificis inductiva, quum ejusdem defectus omnino tollat voluntarium, ut ait Barbosa loco addc voto 17, n. 78, gratia et dispensatio irrita prorsus ac nulla redditur, præsertim si nulla alia in supplicatione Pontifici porrecta, pro dispensatione obtinenda, allegetur. Quum enim præsumi haud possit, Pontificem absque ulla causa dispensationem concessisse, quæ exprimitur, ea est ob quam dispensare intendit, et qua propterea cessante, cesset ipsa dispensatio oportet, ut habetur c. *Cap. Si pauper* 30, *de Præb. et Dignit. in* 6, ad discrimen alterius causæ, quæ quandoque adducitur, ob quam Pontifex facilius quidem petita concedit, ita tamen, ut etiam sine ipsa, secundum causæ merita, et secundum rectam rationem, esset nihilominus concessurus; quamobrem aptius et magis proprie motivum quoddam ad magis adjuvandum animum conce-

dentis diceretur, quam causa; qua deficiente, quidquid sentiat Pyrrhus Corradus in praxi Disp. Apostol. lib. 1, cap. 1, n. 10, non propterea statim irrita ac nulla redderetur dispensatio, uti cum aliis satis communiter Pater Leo docet in praxi Sacræ Pœnitentiariæ part. 1, Ubi de transgressione Votorum Versic. *Collige igitur*, et Vincentius de Justis, lib. 3, cap. 1, n. 46, et seq., quod nempe forma non inducitur ex omnibus verbis legis, seu rescripti, sed tantum ex iis, quæ respiciunt substantiam, ut ait Cencius tract. de Censuris quæst. 66, n. 10. Sola autem causa finalis substantiam legis, seu gratiæ videtur attingere, impulsiva vero sola ejusdem accidentia.

Hac præmissa doctrina, facilis est ad propositum quæsitum responsio. Vel enim ad obtinendam a simplici castitatis voto dispensationem Sempronius causam adduxit, quæ bonum utilitatemque respiciat personæ, cum qua Matrimonium contrahere intendebat, puta, quod virginem defloraverit, quæ propterea innupta remaneret, nisi ipse eamdem duceret, et scandala inde aut rixæ inter familias orirentur: vel prolata ab eo causa se tenet dumtaxat ex parte ipsius Sempronii, qui dispensationem petierat, quod, nempe, stimulis carnis exagitatus se diutius continere vehementer dubitet, nisi ex apostolica benignitate et indulgentia matrimonium contrahat. Si primum, nisi Sempronius eam virginem, quam defloraverat, sibi in uxorem ducat, non poterit proculdubio Confessarius obtentam exequi dispensationem: etenim in hac hypothesi dispensatio esset restricta ac limitata ad matrimonium ineundum cum illa dumtaxat determinata puella, quam defloravit: hæc ipsa fuisset vera finalis causa, ob quam Summus Pontifex, ut Sempronius, non obstante simplici castitatis voto a se emisso, matrimonium contrahere posset, indulsisset. Hæc ipsam dispensationis substantiam vere attingeret, et ab ea veluti penderet; potissimum enim, ut illius puellæ honori, salutique, ac bono consuleret, iisque scandalis ac rixis evitandis eam Sempronio gratiam contulisset. Quare hac causa cessante, mutata nempe Sempronii voluntate, irrita prorsus et nulla redderetur ipsa dispensatio, nec

eamdem Confessarius executioni mandare posset. Executor enim ac delegatus nequit dispensationem exequi, nisi ad mentem Summi Pontificis, et verificatis iis, quæ in dispensationis litteris, tamquam substantialibus, exprimuntur, suæque commissionis formam servare tenetur, secus nulla in quocumque foro esset ejusdem executio, cap. *Cum dilecta, de rescriptis.* Id autem verum est, sive puellæ nomen cognomenque in supplici libello ac dispensatoriis litteris expressum sit, sive etiam sola mente retentum, modo ad matrimonium cum puella a se deflorata contrahendum a suo voto dispensationem petiisset Sempronius, eamque ob hanc potissimum causam obtinuisset: siquidem et in hoc circumstantia restricta esset, ac limitata ad hoc dumtaxat matrimonium cum hac determinata muliere ineundum dispensatio. Si secundum dicas, etiamsi Sempronius, quum illam dispensationem petiit, animum habuisset ducendæ in uxorem Petronillæ, et obtenta facultate animum hunc mutaverit, alterive nubere vellet, adhuc poterit omni dubio procul Confessarius dispensationis litteras executioni mandare: siquidem in hac hypothesi nil prorsus ad dispensationem attinet ea persona, tametsi expressa fuisset in ipsa dispensatione, cum qua est contrahendum, nec illa ullatenus Summum Pontificem, ut Sempronio indulgeret, ut non obstante illo voto a se emisso matrimonium contrahere posset, movisset, nisi forte in ipso supplici libello, expressa muliere, additum esset, secum invicem hactenus in concubinatu eosdem versatos fuisse, quo in casu ad solum matrimonium inter illos ineundum dispensatum censeretur, cum ea omnia occurrerent, quæ pro prima hypothesi jam produximus, et utramque causam æque Pontificem ad eam gratiam concedendam adduxisse existimandum foret. At nisi hoc additum esset, illa nominis, ac puellæ expressio, esset quid mere accidentale, et ad summum faciliorem reddere potuisset ad dispensationem concedendam Summum Pontificem, qui tamen eamdem etiam sine ipso nihilominus concessisset. Causa enim, ob quam potissimum in hac hypothesi dispensasset, esset, ut evitandæ incontinentiæ salubre remedium Sempronio præberet,

ejusque saluti consuleret. Porro remedium hocce indifferenter se habet ad quodcumque matrimonium, propriæve saluti satis consulet Petronius, sive Petronillam, sive Bertam, sive aliam quamcumque in uxorem ducat. Quamobrem in hac suppositione poterit Confessarius mandatum suum exequi, et Sempronio permittere ut etiam Bertæ nubat, modo tamen iis carnis stimulis vere divexetur, ob quos dispensationem petiit. Ita communiter Doctores.

CAS. II. — Capellanus resciens, famulam jam a suo domino dimissam, crastina die e Parœcia discessuram, ut paternam domum alterius Parœciæ petat, eam carnaliter cognoscit: Inciditne in casum reservatum?

Resp. Ut ex recenti Casuum in hac nostra Diœcesi Eminentissimo, ac Reverendissimo nostro Card. Archiepiscopo reservatorum tabella apertissime constat, Capellanus habitualiter Parocho inserviens, scilicet ut in declaratione Casuum libello adjecta habetur, ab ipso Parocho in sui adjutorem electus, pro ovium suarum cura gerenda, administrandis potissimum Eucharistiæ et Extremæ Unctionis Sacramentis, aliisve sacris Parochialibus functionibus ac muneribus exercendis, qui etiam incomplete carnaliter cognoscere præsumat Parochianam, in casum reservatum n. 4, expositum incidere certum est. Ut autem propositæ difficultati sit locus, duo præsupponas oportet, 1, scilicet Capellanum, qui resciens famulam jam a suo domino dimissam crastina die e Parœcia discessuram, ut in aliam Parœciam, in qua degunt ejusdem parentes, se transferat, carnaliter eamdem cognovit, vereet habitualiter, prout expositum est, Parocho suo deservire, ac stricti propriive nominis ejusdem Capellanum esse. 2. Famulam, tametsi in aliena Parœcia domicilium paternum, maternum, vel fraternum habeat, ac propterea juxta Ecclesiasticam Institutionem gloriosiss. record. Bened. XIV, n. 15, 2, vol. Italicæ, et 55, edit. Latinæ ab Eminentissimo ac Reverendissimo nostro Cardinali Archiepiscopo confirmatam, quoad matrimonium ineundum, non Parochum habeat, cujus ditioni cooptatur domus, in qua deservit, sed

eum, cui domicilium paternum, etc., subjicitur, vere tamen esse Parochianam primi Parochi, tum quoad Paschale præceptum adimplendum, tum quoad Viaticum et Extremam Unctionem suscipiendam, tum etiam quoad incurrendam eam ipsam reservationem, de qua agimus in præsentia, ut declaravit in Institutione 88, editionis Latinæ, et 21, 4, voluminis Italicæ edit. ipse Bened. XIV. Hisce præsuppositis, dubitari nulla ratione potest, quin Capellanus, prout exponitur, in casum reservatum reapse inciderit. Siquidem famula illa, quamquam a suo domino jam esset dimissa, adhuc tamen, quum eam carnaliter cognovit, domi morabatur subjectæ ditioni Parochi, cui habitualiter, ut supposuimus, pro gerenda Pastorali cura, administrandisque Viatico et Extrema Unctione, et aliis Parochialibus muneribus exercendis, Capellanus iste deservit. Adhuc igitur eidem Parocho subjecta erat, ut relate ad paschale præceptum, Extremamque Unctionem, tum in ordine ad hanc ipsam reservationem. Nondum enim, quod sibi comparaverat illi domino serviens quasi domicilium, quod quidem sufficit, ut quis juxta præscriptum laudatæ Institutionis, quoad ea, quæ præmisimus, Parocho subjiciatur, mutaverat; nec vaga dici ulla ratione poterat, quod in alia Paræcia, et quidem ejusdem Diœcesis domum paternam, aut maternam habere affirmatur. Neque vero vel minimum nos movet, quod jam a domino dimissa fuerit, aut animus illi jam esset, ad aliam Paræciam crastina etiam die accedendi. Equidem nec dimissio famulatus sufficit, ut a ditione reapse subtrahatur illius Parochi, in cujus Paræcia sita est domus, in qua adhuc moratur, et quasi domicilium consecuta est, neque animus sese mox recipiendi in paternam domum intra fines alterius Paræciæ sitam, par est, ut absolute dicatur, et reapse fiat huic Parocho subjecta; secus dimissa domo aliqua, et alia conducta, statim desineret quisquis esse subditus Parochi primæ domus, et secundæ subjiceretur; quod nemo dixerit, quum quotidianæ experientiæ refragetur, qua, nemine contradicente, ipsum factum, actualis nempe et completus a prima Paræcia discessus, et actualis jamque absoluta habitatio in altera omnino requira-

tur. Et profecto, an non ex omnium Doctorum sententia, referente Sanchesio lib. 3, disp. 23, §. *Non tamen* n. 2, ut quis domicilium, vel quasi domicilium acquirat, non sufficit animus illud comparandi, sed et factum exigitur, scilicet, quod ibi habitare quis incipiat animo permanendi, juxta legem *Domicilium* Diges. ad munic. ibi : *Domicilium re et facto transfertur*, ubi Glossa V, *Domicilium* addit *facto*, *subintellige*, *et animo; nam hæc duo sunt necessaria?* Ergo et ad domicilium, vel quasi domicilium deperdendum, et animo et re, seu facto opus est. Siquidem, ut habetur cap. 1, de regulis juris, *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem et dissolvitur.* Quum igitur, etsi animum ea famula domicilii mutandi habuerit, illud tamen hactenus, quum rem etsi incompletam habuit cum Capellano, non mutaverit, et ex alia parte vaga non sit, nec in ordine ad Eucharistiæ et Extremæ Unctionis Sacramenta, aut ad reservationem in casu 4, comprehensam, subjecta dici possit Parocho suæ paternæ domus; adhuc vere, relate ad hæc ipsa, subdita censenda est, et Parochiana illius Parochi, intra cujus ditionem famulatum exercebat, et in qua adhuc commoratur. Indubie ergo Capellanus in reservationem incidisse dicendus est.

CAS. III. — Exposito solemniter in Altari Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, non collocatur imago Sanctissimi Crucifixi, prout fieri solet tempore divini Sacrificii. Ritene?

Resp. Quod proponitur, jam resolvit in sua Constitutione, quæ habetur in secundo tomo Bullarii, n. 18, gloriosiss. semper recordat. Benedictus XIV, edita die 18 Julii anno 1756, ejusdem Pontificatus 6, quæ incipit, *Accepimus.* En ipsius Constit. verba. « Quarto loco disputa» tur, utrum Crucifixus intra candelabra collocandus » videatur, quum Sacrum peragitur in eo Altari, ubi » divina Eucharistia non includitur Tabernaculo, sed » publice fidelium venerationi exponitur. Id necessa» rium esse putavit Sacrorum Rituum Congreg. die 14 » Maii anno 1707. Hoc enim petitum fuerat : *An super* » *Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum exposi-*

» *tum est, Crux de more collocari debeat.* Sic autem » responsum est : *Nunquam omittendam Crucis cum* » *imagine Crucifixi apposita collocationem.* » Verum quum varia etiam tunc fuerint, addit Sapientissimus Pontifex « ac discrepantia in illa sententia ferenda PP. » suffragia, cautum fuit, ne ipsa sententia in lucem ederetur. Iterum propterea res, prosequitur Supremus » Pastor, deducta est in examen initio Pontificatus nostri » *die* 2 *Septembris anno* 1741, in eadem Congregatione » Sacr. Rituum, quæ postquam omnia diligenter accurateque perpendit, decrevit ut quælibet Ecclesia morem et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. » Et sapienter quidem addit « a Sacr. Rit. Congreg. decretum id fuit, quum in varias semper et oppositas abierint sententias Sacrorum » Rituum interpretes ac scriptores, ob varia, et quidem non contemnenda momenta, quæ pro utraque » consuetudine tuenda proferri possunt. » Si igitur in ea Ecclesia, de qua sermo est, jam viget consuetudo, ut, exposita solemniter in Altari Sanctissima Eucharistia, non collocetur inter candelabra tempore divini Sacrificii Crux cum imagine Crucifixi apposita, ritus iste inviolabiliter servetur, neque nova disciplina ullatenus excitanda est; quemadmodum, si usus invaluit ut apponatur, hoc ipsum religiose ab omnibus erit observandum.

MENSE JULII.

CAS. I. — Obtentis a Titio et Berta proprii utriusque status liberi probationibus, quæ pro matrimonio inter ipsos incundo requirebantur, quum interrogarentur, quisnam eorum esset Parochus, responderunt, Sanctæ Mariæ, immemores jam uno abhinc mense ab ea Parœcia discessisse. Hac habita responsione, ad Parochum Sanctæ Mariæ, veluti ad proprium ipsorum Parochum directa fuit facultas, ut eorumdem matrimonio adsisteret, quod Parochus reapse executus est. Fuitne validum hoc Matrimonium?

Resp. Quamquam olim nonnulli, Cardinalis de Luca disc. 1, n. 4, et seq. de Matrim., et disc. 26, n. 25, in annotat.

Concil. auctoritate permoti, ut ait feliciss. record. Benedictus XIV, in sua Ecclesiastica Institutione 21. Tomi 4, nostræ Italicæ editionis, celebrato matrimonio ab eo Parocho, quem Episcopus designaverat, quod falso eidem alterum contrahentium subjectum esse existimabat, illud irritum censuerint; tamen Sac. Congr. Conc. referente Fagnano in cap. *Quod nobis* n. 55, de Clandest. Despons. contrariam opinionem approbavit, ad quam hic casus a Sacra Pœnitentiaria, cui fuerat propositus, fuit pro decisione remissus. Quam rursus eadem Sacra Congregatio amplexata est die 9 Septembris anno 1684, quam resolutionem integram in adducta Institutione refert laudatus Sapientissimus Pontifex. Et merito quidem: tametsi enim celebratum fuerit matrimonium, de quo agimus præsente Parocho, cui neuter ex contrahentibus vere subjiciebatur: attamen Parochus ille, qui præsens aderat, de licentia interfuit ipsius Episcopi: valet igitur quod contractum est, ipso præsente, matrimonium. Neque enim Tridentina Synodus jubet, matrimonium omnino contrahi coram Parocho cujus ditioni subsunt Sponsi; sed id solum præscribit, ut Parochus adhibeatur, vel alius Sacerdos, modo tamen ipsius Parochi, aut Episcopi facultas intercedat. En ejus verba cap. 1, sess. 24, de Reformat. Matrim: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de licentia ipsius Parochi, vel Ordinarii, ac duobus, vel tribus testibus.* Quum ergo huic matrimonio interfuerit alius quidem, sed de consensu proprii Episcopi, qui sane, expedita ad ipsum licentia, ut illo matrimonio adsisteret, eumdem veluti deputavit, acsi reapse fuisset proprius Parochus. Valet igitur matrimonium in ejusdem præsentia celebratum. Vide laudatam Institutionem.

CAS. II. — Quum Titius furti cujusdam accusaretur, Fabio testi aliud furtum sibi ab eo clam commissum objecit: Idne fas eidem fuerat?

Resp. Ut detur locus quæstioni, primo supponendum est, furtum, cujus accusatus est Titius, falso et per calumniam ipsi fuisse a Fabio teste impositum. Si enim reapse illius criminis reus esset, procul dubio nefas eidem foret,

ipsi opponere furtum aliud sibi ab ipso clam commissum. Siquidem nullum illi jus esset ad se defendendum, quum reapse illius criminis, cujus accusatus fuerat, reus sit. Nemini enim jus competit, sese defendendi contra veritatem. Quamobrem illius occulti furti sibi a Fabio facti manifestatione uteretur, ut falsum probaret in judicio, nempe tale furtum a se non fuisse commissum; quod certe, nemine dissentiente, maximum peccatum esset. Supponendum secundo est, revera Fabium furtum illud quod Titius eidem objecit, patrasse. Siquidem imponere falsum crimen testi etiam calumnianti ad propriam tuendam famam, seque etiam defendendum, nefas omnino est, et contraria opinio proscripta fuit ab Ecclesia, præsertim in iis propositionibus n. 43, et 44, ab Innoc. II, die 2 Martii feria 5, anno 1679 damnatis, quæ sic exponebantur: *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Et: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Hisce præsuppositis, affirmandum censeo, fas utique fuisse Titio verum furtum a Fabio teste sibi clam patratum eidem opponere. Etenim uti docet Angelicus 2, 2, quæst. 73, art. 2, in corpore: *Et, si quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis non est peccatum, nec potest dici detractio:* quam doctrinam repetit ad primum argumentum, ubi asserit, licitum esse delinquentis crimina ob illius emendationem revelare, illud ad Judicem denuntiando. Jam vero Titius in data hypothesi revelasset Fabii furtum propter bonum aliquod necessarium, ad se nimirum tuendum contra falsum ejusdem testimonium. Revelavit enim, quum sese sentiret opprimi ex falso ipsius testimonio, atque in evidens periculum adduci, subeundi damnatorii judicii, ex quo sibi, licet insonti, probrosum latronis nomen incurrendum erat. Poterat ergo absque ne minima quidem culpa ejusdem delictum manifestare, eumque ut testem ejurare, contra quem causa rejectionis adeo justa

sibi succurrebat. Ex una enim parte testis habens tale crimen, licet occultum, ineptus est ad testificandum, et calumniator, reum impetendo in judicio, juri suo cedit, conceditque reo jus sese defendendi : ex altera vero, nemo tenetur alterius famæ honorive parcere, cum propriam vitam propriive nominis honorem tueri alia ratione non potest. Quamobrem ipse Angelicus quæst. 62, art. 3, *tenemur*, inquit, *habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit : quandoque vero oportet, ut contumeliam illatam repellamus.* Hoc tamen dictum nolumus, nisi positis duabus potissimum conditionibus : Prior est, quod Titio alia non adsit ratio criminationi repellendæ ; etenim si posset alia ratione eamdem a se ipso removere, nulla jam eum necessitas urgeret, istius falsi testis occultum furtum opponere, et palam facere. Altera est, quod vitium detegas, quod possit esse argumento, accusatorem tuum revera esse falsum testem, nullamve fidem mereri : si namque crimen foret ejusmodi, quod dicto ab eo falso testimonio impertinens omnino foret, nec quidquam juvaret Titium ad sese defendendum, illud sane nulla omnino ratione indicare posset absque peccato, nec nisi contracta obligatione reparandi damni, quod ei absque ullo jure, vel necessitate attulisset, secluso tamen casu, quod ea de re verbis interrogatus fuisset a Judice. Merito propterea inquit Sylvius in 2, 2, quæst. 62, art. 2, quæsito 10 : *Si autem detectio criminis alieni non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem ; sive quia potes aliter eam tueri, ut juramento, vel testibus ; sive quia tale crimen alienum detegere, est ad tuam defensionem impertinens : peccas contra justitiam illud detegendo, et ad restitutionem obligaris.* Quum ergo Titius, ut supponimus, non potuisset alia ratione, tum vitam, tum honorem sibi vindicare, nisi opposuisset Fabio testi furtum sibi ab eo clam commissum, hocque crimen eidem oppositum plurimum valeat infringendæ apud judicem ejusdem fidei, ut per se patet ; fas utique Titio fuerat, hoc ipsum revelare.

CAS. III. — Parochus pauper cereo jam benedicto

partem aliam, loco alterius jam consumptæ, addidit, illudque iterum benedicit. Ritene?

Resp. Quod præstat Parochus ob Ecclesiæ suæ paupertatem, utque sumptibus propriis parcat in Cerei Paschalis Benedictione, non esse improbandum, affirmant Quartus de Bened. tit. 2, sect. 6, dub. 2, Pittonus de Oct. lib. 1, num. 289, atque Meratus p. 4, tit. 10, de Sabbato Sancto in suis ad Gavantum notis, et observat. n. 27., si quoad majorem partem fuerit refectus; negant vero si solum quoad minorem. Etenim, quum, ut communiter dicitur, major pars trahat ad se minorem, major pars addita Cereo non benedicta, ad se traheret minorem partem jam benedictam. Quamobrem quodammodo amitteretur per hanc additionem prior benedictio, nec jam Cereus benedictus iterum benediceretur, quod fieri non potest absque peccato saltem veniali, sed Cereus carens benedictione, et absolute Cereus novus, qualis benedici debet ex ipsarum Rubricarum Missalis vi, et ex vi Benedictionis, seu præconii, quæ Cereum novum esse debere supponit. Contra vero, si in minori tantum parte reficiatur, ob oppositam rationem totus jam est benedictus: non potest ergo iterum benedici, quum hæc secunda benedictio suo frustraretur effectu contra reverentiam ei debitam. Non desunt tamen, ne quidpiam dissimulem, qui Ecclesiarum praxi et paupertati plus donandum esse censentes, affirmant, quod, licet Cereus in minori parte refectus, ita forsitan benedictus judicari possit, ut nova benedictione non egeat; nil tamen vetat, quin de novo benedicatur benedictione directa ad eam partem, quæ reapse benedicta non est: siquidem proloquium illud, Major pars trahit ad se minorem, valet quidem, inquiunt, si sermo sit de rebus fluidis, quæ inter sese miscentur et confunduntur. Unde, si minor pars non benedicta majori addatur jam benedictæ, totum sit benedictum, ut de aqua et de oleo affirmant Canonistæ; secus vero, si de rebus solidis loquamur, quæ minime miscentur. Unde etiam Alex. VII. die 6 Febr. 1657, decrevit, quod, si in Coronis benedictis loco granorum deperditorum alia addantur non benedicta, haudquaquam obtinentur Indulgentiæ, quod sane non eveniret, si grana non benedicta

per additionem ad benedicta, benedicta fierent. Hanc opinionem amplectitur Cavalierus cap. 21, de Sabb. Sancto Decreto IV cap. in ord. 345. Quidquid sit de hac sententia, a prima nullatenus recedendum esse censeo. Quamobrem approbandus est Parochus, si Cereus fuit in majori parte ab ipso refectus, reprobandus ac corrigendus, si in minori parte.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Invenerat filius in quadam capsula proprii Genitoris jam defuncti testamentum suis munitum et obsignatum sigillis. Sed quum extimesceret, ne plura pia legata fuissent in eo a Patre instituta, ipsum penitus dilaceravit, ac igni tradidit, ut combureretur. Inciditne in casum reservatum?

Resp. Filium in casum reservatum, ea testamenti sui Genitoris laceratione incidisse pro certo affirmandum censemus. Etenim in recenti Casuum reservatorum tabella num. 8, legitur: *Dolosa occultatio tabellarum testamentariarum, sive notarii, sive hæredis industria.* De hoc autem casu procedit propositum quæsitum. Quisquis ergo quoquomodo culpabiliter ac dolose testamentum aliquod occultat, dummodo hæres sit, vel notarius, in casum hunc reservatum reapse incidit. At numquid non filius per eam lacerationem ac combustionem, testamentum Patris occultavit, et quidem culpabiliter et ex industria? An non enim testamenti suis muniti et obsignati sigillis laceratio et combustio, si finem ac scopum attendas reservationis, ipsam occultationem includit, quin et ipsi occultationi quid majus est ac fortius? Quod enim occultatur, forte poterit aliquando inveniri: at quod flammis traditur ac prorsus dilaceratur, quis unquam reperiet? Quum ergo finis ac scopus hujusce reservationis sit, ne mens testatorum defraudetur, quæque ab ipsis statuuntur, ab hæredibus impediantur, vel denegentur, seu accurate executioni mandentur, ut per se patet, idque æque, imo et a fortiori per laserationem, vel combustionem, ac simplicem occultationem habeatur, procul dubio in adductum casum incidit filius,

cui, quum onus certe incumbat Patris ultimam voluntatem in testamento expressam aperire, ut eam exequatur, secus nullum esset jus a lege genitori concessum, quidpiam testamento suo legare, vel disponere, si liberum esset filio id ipsum executioni mandare, aut prorsus negligere : mutuam enim invicem relationem dicit Patris jus ad condendum testamentum, et obligatio filii ad illud aperiendum, ut quæ in ipso a Patre præscribuntur, perficiat, unumque ex alio infertur ; quumque filius dedita opera testamentum laceravit atque combusserit, ne, scilicet, ad implenda ea legata, sibi forte a Patre in ipso imposita, congeretur : *Sed quum extimesceret*, inquit propositus casus, *ne plura pia legata fuissent in eo a Patre instituta*, culpabilis sane fuit et dolosa laceratio et combustio, quam ipse audacter perfecit. Dices forsan, quum sermo sit de reservatione, quæ odiosa est, nequit extendi ultra naturalem ipsorum verborum, quibus exprimitur, significationem ac sonum : porro solam occultationem exprimunt reservantis verba. *Dolosa*, inquit, *occultatio :* laceratio autem vel combustio non est occultatio. Verum, etsi lex Reservationis verbis solam occultationem exprimentibus utatur, attamen ob finem et rationem, quæ dicitur legis anima cap. *Ratio nulla de præbendis et lege Quam Pater* § *dulcissimis ff. de legibus* 2, neque verbis utitur, nisi tamquam instrumentalibus signis, et combustionem et lacerationem comprehendit. Ut enim ait Baldus in legem *Scire leges ff. de legibus* magis attendenda sunt, quæ ex mente comprehenduntur, quam ea, quæ comprehenduntur ex verbis ; et a verbis est recedendum, quando aliter apparet de mente disponentis *l. non aliter cum materia ff. de legibus* : Quamobrem merito in cap. *Humanæ aures* 22, quæst. 5, hæc. habentur : *Non debet aliquis verba considerare, sed intentionem ac voluntatem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* Jam vero, quis neget in nostro casu, mentem ac voluntatem reservantis esse, et combustionem et lacerationem comprehendere, utpote quæ non minus fini legis, qui est impedire, ne Testatorum ultimas voluntates, defraudare quis audeat, opponantur ? Reapse ergo

reservationi subjicitur, et in hanc legem committit, ut habetur, *Non dubium C. de legibus*, quia tametsi *verba legis sit amplexus, contra legis nititur voluntatem.*

CAS. II. — Sergius plurimorum reservatorum reus accedit ad Confessarium privilegiatum suam Sacramentali Confessione conscientiam expiaturus: sed voluntarie sacrilegam Confessionem instituit: Consulitne satis propriæ conscientiæ, si eamdem Confessionem debitis dispositionibus fretus repetat simplici Confessario?

Resp. Quamquam plures ex Theol. affirmare non dubitent, Sergium voluntarie sacrilegam illam Confessionem apud Confessarium privilegiatum instituentem, modo omnia, quæ commisit, peccata reservata confiteatur, posse eamdem Confessionem debitis fretum dispositionibus simplici Confessario repetere, et ab eo directe absolvi, quod nempe per expositionem reservatorum factam privilegiato abunde fini reservantis satisfactum sit: hic enim alius non est, nisi, ut quædam graviora peccata judicio subdantur peritioris Confessarii, ab hoc debita pœnitenti remedia applicentur, et congrua pœnitentia, quæ ab ipso acceptetur, imponatur; quæ omnia etiam in Confessione voluntarie sacrilega, in qua omnia reservata privilegiato Confessario exposita fuerint, ad amussim perfici posse quis neget? Attamen longe probabilius existimo, id esse omnino negandum. Etenim Confessarius privilegiatus nullam habet in reservata jurisdictionem, aut potestatem extra pœnitentiæ Sacramentum. Nec enim potest uti Superior et Ordinarius, alteri facultatem suam in reservata delegare, aut pœnitenti concedere, ut ad quemcumque Confessarium accedat, ut ab eo etiam a reservatis sibi jam delatis directe absolvatur: Superior autem reservationem non tollit, nisi, aut Sacramentaliter absolvendo, aut delinquentem remittendo ad inferiorem Sacerdotem, cui suam delegat jurisdictionem. Quum ergo nullum omnino sit Sacramentum, quod Sergius coram eo Confessario privilegiato instituit, et quidem ex propria malitia ac libera voluntate, nullave prorsus fuerit, ac irrita ea Sacramentalis absolutio, adhuc, quæ sacrilege confessus est, crimi-

na sunt æque ac prius reservationi obnoxia, neque ab altero, quam a Confessario privilegiato, aut Superiori, extra necessitatem possunt directe sacramentaliter absolvi. Et sane: præsumine potest, Superiorem, vel delegatum auferre velle reservationem eorum, quæ sacrilega impietate, et in Sacramentum ipsum tam gravi offensa eisdem exponuntur? Commodum ergo ex propria malitia reportabit peccator, et sua ipsum fraus juvabit. Consuetudinem adducunt Salmanticenses: at unde illa cruatur, et quonam fundamento fulciatur ego non video. Neque vero adæquatus reservationis finis est, quod ea peccata, si committantur, aut ipsius Superioris, aut delegati judicio quoquomodo subjiciantur, debitaque pœnitentia mulctentur; sed potissimum, ut recte subjecta sacramentali absolutioni, aut ab ipso Superiore, aut a delegato vere deleantur. Judicium enim hujusmodi, præsertim si de delegato loquamur, est fori sacramentalis, quod non nisi per validam absolutionem perficitur atque completur; quod quum non eveniat, si culpabiliter et sacrilege nulla sit et irrita confessio, adhuc reservatio durat; neque poterit sacrilegus, quam ad meliorem frugem reductus, debitisque dispositionibus fretus, eamdem confessionem coram Confessario simplici repetere, et ab eo directe absolvi. Hoc fatetur ipse Suarez 3, part. tom. 4, dist. 31. sect. 4., si pœnitens sacrilegam confessionem instituens animum non habeat, reservata illa crimina quæ exponit, in posterum evitandi. Cur autem? nisi quia mera reservatorum expositio, tametsi aut Superiori, aut delegato in ipsa Sacramentali confessione fiat, par non est reservationi tollendæ, nisi iis sit donata conditionibus, quæ requiruntur, ut absolutionem sacramentalem mereatur, qualis certe non est, si vero non relabendi proposito destituatur. Suam ergo Sergius repetat confessionem coram privilegiato, suæque tutius consulet saluti, nec ego certe aliter judicarem pro praxi.

CAS. III. — Quum Parochus Sanctissimum Viaticum Infirmo administraverit, plurima in Pyxide fragmenta remansisse observat: Debetne eamdem cum luminibus ad Ecclesiam deferre?

Resp. Non censeo esse, ob ea fragmenta, ad Ecclesiam cum luminibus redeundum. Etenim primo ea fragmenta, facta post administratum Viaticum infirmo, digitorum Sacerdotis vino aut aqua ablutione, poterunt una cum ablutione ipsa infirmo tradi ad sese purificandum: unicam enim cum antecedenti spiritualem refectionem constituunt. Secundo in hac circumstantia, ob sola ea fragmenta cum luminibus Pyxidem deferre ad Ecclesiam, est apertissime contra praxim: statim ac enim infirmus sacra Synaxi refectus est, luminaria extinguuntur, et incunctanter populus domum suam petit, prout etiam præscribit Rituale Romanum hisce verbis: *Quod si ob difficultatem, aut longitudinem viarum, vel quia ea, qua decet, veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, tunc, ea infirmo administrata, Sacerdos una cum aliis, privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissa, latente Pyxide, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur.*

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Clericus ruri commorans, festis diebus, absolutis in Ecclesia Vesperis, aliisve sacris functionibus, cum sociis laicis; recreationis gratia, publicam tabernam petit, quin tamen se inebriet. Inciditne in aliquam pœnam?

Resp. Certum est, Clericis omnibus, ad evitandum in ipsis ebrietatis periculum, jure communi absolute prohiberi, ne edendi vel bibendi causa, tabernas ingredi præsumant, nisi ad id, necessitate itineris, compellantur, ut expresse habetur in cap. *Clericis, de Vita et honestate Cleric.* et in Canon. *Clerici, dist.* 44. Quin Canon. *Nulli*, eadem distinctione, pœna dispositionis eisdem comminatur, si tabernam etiam ingredi non cessaverint; cui Canoni consentit Canon Apostolicus num. 53., in quo hæc leguntur: *Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehensus fuerit, a communione excludatur, excepto tamen eo, qui necessario in itinere in*

commune diverterit hospitium. Diœcesanæ autem nostræ Synodi lege atque statuto lib. 3, de Vita et honestate Cleric. cap. 1, §. 2. Clerici omnes prohibentur, sub gravibus pœnis, inebriari, aut cauponas frequentare, in iisque tempus terere: *Si aliquem ebrium esse constiterit*, en ejus verba, *aut cauponas frequentantem, et in tabernis horas terentem, graviter plectemus, removendo etiam ab audiendis confessionibus, ubi fuerit delinquens Sacerdos, repellendo ab Ordinibus, si Clericus*. Poterit ergo omni dubio procul Clericus, de quo propositum est dubium, tum pœna depositionis, tum remotionis ab aliis Ordinibus puniri. Quamquam enim dumtaxat affirmetur, Clericum hunc tabernam ingredi, animi exhilarandi gratia, quin se inebriet; non deest tamen ex una parte inebriationis periculum, vi cujus sub depositionis pœna, jure communi, Clericis interdicitur tabernas ingredi absque causa; ex alia vero, si festis diebus cum aliis laicis sociis publicam tabernam petit, jam cauponam frequentat, horasque in taberna terit, quod exigit Synodus nostra, ut remotionis ab aliis Ordinibus puniatur. Utraque igitur pœna merito puniri potest.

CAS. II. — Apulejus, quum salvare non possit res suas, aliasve quas apud ipsum deposuerat ejus amicus, et ipsi etiam commodaverat, aliis omissis, totus est, ut proprias servet, sicque reapse accidit: Estne immunis a restitutionis onere?

Resp. Ut ea, qua par est, claritate ad propositæ difficultatis discussionem procedamus, omnique adimendæ æquivocationi tria potissimum accurate distinguenda sunt. Vel enim res depositæ et commodatæ longe pretiosiores erant rebus propriis, vel æqualis, aut etiam inferioris conditionis ac pretii. Si primum dicas, a restitutionis onere excusari non potest Apulejus, qui relictis rebus apud se depositis, sibique etiam commodatis, totus est, ut proprias servet, quod reapse accidit. Etenim, ut ipsa prudentia et æquitas naturalis suadent, depositarius, vel commodatarius, quum res suas, et alias, quas habet apud se depositas, vel sibi commoda-

tas, salvare haud potest, tenetur is has pretiosiores præferre propriis minoris momenti, illasque salvare posthabitis propriis. An non enim suapte natura res pretiosiores exactiori diligentia custodiendæ sunt, aliis vilioris inferiorisve conditionis? An non, si suæ ac propriæ fuissent, tum viles, tum pretiosæ, posthabitis vilibus curasset pretiosas? Defecit ergo ea diligentia ac fides, qua tenebatur erga depositas res. Ut enim ait Gregorius IX. in cap. *Bona fides abesse præsumitur, si, rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti*; et in lege *Quod Nerva* 32. *Dig. Depositi* hæc habentur: *Et si quis, non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, nisi tamen ad suum modum in deposito præstat, fraude non caret: nec enim, salva fide, minorem iis, quam suis rebus, diligentiam præstabit.* Quum ergo majorem diligentiam ipsa hominum natura exigat erga res pretiosiores, quam viles, quumque ipse Apulejus res pretiosiores, in ea facti circumstantia, salvasset, relictis vilioribus, si propriæ omnes fuissent, et ex alia parte non minus depositam rem, quam propriam curare debeat depositarius, fraude non caret, ac propterea ad earum valorem restituendum tenetur; quod quidem a fortiori dicendum est de commodato, utpote quod solius commodatarii gratia fieri solet, qui propterea pro ejusdem custodia exactissima diligentia uti debet, prout habetur expressum in l. 1, §. *is quoque ff. de action.* et oblig. *exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur, nec ei sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, si alius diligentius custodire potuerit.* Hinc commodatarius tenetur etiam de levissima culpa, qualis certe esset, si, servatis rebus suis vilioribus, prætermitteret pretiosas sibi commodatas, utpote quod non præstaret ne vir quidem diligens, quod utcumque expresse decrevit Gregorius IX. in cap. *Quum gratia, unico de commodato, lib. 3, titul. 15*, hisce verbis: *Quum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur, licet casus fortuitus sibi non debeat imputari.* Ex hac autem lege atque ratione inferimus, Apulejum ad restituendas res sibi ab

amico commodatas teneri, tametsi suæ fuissent æque pretiosæ, ac commodatæ. Quamquam enim ultro fateamur cum Abbate in citat. cap. *Bona fides* 2, *de deposito*, unumquemque magis se ipsum diligere posse, quam proximum, sicque cæteris paribus, potius suas, quam alienas res conservare ac curare possit, si loquamur de deposito, quod in solius deponentis gratiam fit, imo et de pignore atque conducto, quod fit in gratiam utriusque, sicque in pari causa, merito quis sibi prospicere possit quam aliis, tamen hoc locum non habet, si de commodato sermo sit, eo quod in pari causa magis conveniat commodatarium, cujus solius favore institutus fuit contractus, ex fortuito casu damnum sustinere, quam commodantem, qui servandus est omnino indemnis. Hinc lege *Sicut certo* §. *quod vero ff. commodati*, dicitur, quod commodatarius ex casu fortuito non teneatur, *nisi forte*, *quum posset res commodatas salvas facere*, *suas prætulit*. Sed quid si res depositæ, vel commodatæ fuissent notabiliter inferioris conditionis ac pretii, ac essent res propriæ? Adhuc ne in ea facti circumstantia ad aliquid restituendum deponenti, aut commodanti est adstringendus? Non equidem. Etenim, ut ait Glossa in add. l. *Sicut certo ff. Commodati Vers. salvas facere*, depositarius, vel commodatarius suas pretiosiores res præferens atque salvans præ alienis depositis ac commodatis vilioribus, quando utrasque salvare nequit, id præstat, quod quilibet diligens reapse faceret circa res suas: atqui sive depositarius, sive commodatarius non tenetur præstare circa res alienas, nisi quod diligentissimus faceret circa proprias. Ad nihil ergo tenetur. Siquidem ne de levissima quidem culpa arguendus est. Id ipsum tradit Abbas in d. cap. 2. *Bona fides de Deposito*, *Angelus* V. *Commodatum* Pirhing., Engel., Lessius, et communiter, tum juristæ, tum Theol.

CAS. III. — Peracta solemni Processione cum Sacra Reliquia sancti Matthæi Apostoli, Parochus cum eadem populum benedicit. Idne licet?

Resp. Ne levissima quidem adest ratio dubitandi. Etenim

ritus benedicendi populum cum reliquiis Sanctorum, ut optime in sua dissertat. de ritu ostensionis Reliquiarum, edita Romæ anno 1721, observat Canonicus Moretus, est conformis praxi variarum Ecclesiarum, imo et Ecclesiæ Romanæ, cæterarum Matri ac Magistræ, quum in ipsa alma Urbe sæpius Clemens XI populo romano, adhibitis sacris reliquiis SS. Crucis ac Sanctæ Veronicæ, sacræque Lanceæ, fuerit benedictionem elargitus, quo quidem munere pluries perfunctum se esse testatur, quum inter Canonicos esset Basilicæ Vaticanæ, quibus solis eas Reliquias attingere licet, in sua Eccles. Inst. 6, tertii Volum. §. 3, n. 26. Bened. XIV. Hanc ipsam consuetudinem a multis jam annis servat Ecclesia Bononiensis, quam in eadem Institut. commendavit, ac servandam censuit ipse Sapientissimus Pontifex hisce verbis: *Quare eumdem ritum nos summopere commendamus, quoties Sacras Reliquias publica auctoritate ac testimonio firmatas circumferri contingat.*

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Sempronius Clericus confingens plurimos habere inimicos, qui sibi insidias moliuntur, sive in Parœcia, sive in ejusdem viciniis, arma gestare solet: Estne alicujus peccati reus?

Resp. Ex justa aliqua causa, puta ad se, vel proximum, propriasve aut alienas res contra injustum invasorem defendendas, Clericis licere arma gestare, docent cum Glossa in cap. 2, *de Vita et honestate Cleric.* V *Clerici arma.* Abbas ibidem num. 8., Barbosa hic, Bellctus p. 1. Disquis. Cleric. §. 17, de Disciplina Cleric. num. 14, et seq., et alii satis comm., quod nempe, ut habetur in cap. *Dilecto* 6, *de Sentent. Excommun. in* 6, *omnes leges, omniaque jura, vim vi repellere, cunctisque se defensare permittunt,* subintellige tamen, si alia via propulsari nequeant injuriæ, tum in ordine ad vitam servandam, tum quoad bona fortunæ: quod sane in Clericis non verificaretur, si ipsis nulla ratione fas

esset arma deferre. Quamobrem Glossa ipsa docente cum Abbate in d. caput, Clericis iter periculosum suscipientibus, ad latronum seu hostium terrorem, arma, tum defensiva, tum offensiva secum habere permittitur, ac etiam ducere familiares armatos *ex Can. Maximianus* 23, *quæst.* 3., usuque jam receptum est, ait Pirhing., ut arma defensiva, quotiescumque iter faciunt, secum habeant. Quod in præsentia in dubium vocatur, est, an æque id liceat Sempronio Clerico, qui confingit se plures habere inimicos. Et absolute id negandum censemus, ac propterea eumdem ea gestantem in hac circumstantia peccati redarguendum. Etenim si Clericis, ut ea probant, quæ jam produximus, momenta, fas est arma deferre, urgente dumtaxat aliqua causa, consequens est, ut ea causa non existente, idipsum nefas illis sit, secus an non omnis Sacrorum via Canonum vim eludendi Clericis expresse pateret? Deinde apertissime armorum delationem in hac nostra Diœcesi interdicit Clericis omnibus per hæc verba ultima Diœcesana Synodus lib. 3, de vita et honestate Cleric. cap. 1, §. 3. *Armorum quodlibet genus, sine nostra facultate in scriptis caveant ne aliquando deferant, aliter carcere, aliisque pœnis arbitrio nostro, seu Vicarii nostri pro modo culpæ, et armorum specie, severe punientur.* Jam vero Sempronio Clerico nulla suppetit ratio, ob quam ea arma deferat, quum pericula, quæ non sunt, ipse confingat, ut affirmatur in casu, *Confingens plurimos habere inimicos.* Nefas igitur illi est, eadem gestare, quum velit hac agendi ratione Deo simul et sæculo deservire, contra id quod præscribitur in Canone, *Quicumque ex Cleric.* 23, *quæst.* 8, *in Canon. Si quis vult. dist.* 33., ubi exemplo Moysi, qui orando vicit Amalecitas, Exodi cap. 17. affirmatur, Clericorum arma et munimenta esse debere orationes. Peccat ergo Sempronius, an autem graviter, vel leviter, constabit ex sequenti resolutione.

CAS. II. — Idem Clericus ea arma, ut in superiori casu fuit propositum, gestans, incurritne in aliquam pœnam?

Resp. Quamquam Clericis aperte prohibitum sit sub

excommunicationis pœna, arma gestare, textu expresso *in cap.* 2, *de vita et honest. Cleric.* hisce verbis : *Clerici arma portantes, et Usurarii excommunicentur;* adeoque, ut infert Abbas ibidem num. 1, graviter reapse peccent, si illa deferant absque vera ac rationabili causa : excommunicatio enim non fertur, nisi pro gravi crimine, quum nulla sit in Ecclesia pœna excommunicatione major, *ex can. Corripiantur* 24, quæst. 3. Attamen statuta hæc a Sacris Canonibus pœna non est latæ sententiæ, sed primum ferendæ per Judicem, si Clerici admoniti arma non deponant, sicque accesserit contumacia. Aperte id eruitur ex ipso citato textu : quum enim dicit, *excommunicentur*, innuit pœnam hanc latam hactenus non esse, sed a judice merito ferri posse ac pronunciari in contumaces, ut etiam observant Abbas in *d. cap.*, Barbosa in Collectan. n. 3, Pirhing. hoc tit. num. 22., et alii communissime. Tametsi ergo graviter peccaverit Sempronius Clericus, ac dignus reapse sit, ut excommunicatione puniatur, et puniri merito possit, nullam actu pœnam incurrit. Etenim præter allatam excommunicationem, quæ etiam infligitur *in Can. Nemo Episcop. et in Can. Nullus Sacerdotum* 11, quæst. 3, nulla alia legitur imposita. Neque vero, quod præscribit Diœcesana Synodus, aut profertur in publicis Edictis, latæ sententiæ est, sed dumtaxat ferendæ, ut legenti facile constabit.

CAS. III. — Parochus in revalidatione, quam perficit, cujusdam Matrimonii nulliter contracti ante faciem Ecclesiæ, iterum Sponsos benedicit. Ritene?

Resp. Quum in cap. *Vir, de secundis Nuptiis* expresse præcipiatur, quod *Vir, aut mulier ad bigamiam transiens, non debet benedici a Presbytero, quia quum alia vice benedicti jam sint, eorum benedictio iterari non debet:* cui Canonico Decreto adhærens Rituale Romanum jussu Pauli V Romani Pontificis editum, capitulo de Sacramento Matrimonii, *caveat*, inquit, *etiam Parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis nuptiis benedicat*, idque intelligendum etiam sit de iis conjugiis, quæ, quum ob

aliquod impedimentum dirimens invalida fuerint in facie Ecclesiæ, exigunt ut revalidentur. Eadem enim militat etiam in hac circumstantia ratio, quæ adducitur, quod nempe quum *alia vice fuerint benedicti*, *eorum benedictio iterari non debet*. Nam etsi Matrimonium fuerit invalidum, fuere tamen contrahentes, ut supponimus, tunc benedicti; quum benedictio non respiciat nuptias, sed personas: consequens est, rite non se gessisse Parochum, qui in revalidatione, quam perfecit, Matrimonii nulliter contracti, Sponsos iterum benedixit. Dixi autem, ut supponimus, *benedicti*. Si enim quum primo contraxerunt, nuptialem benedictionem non accepissent, tota jam corrueret exposita ratio. Quamobrem, si citra omne scandalum, quum revalidatur Matrimonium, eos posset ad præscriptum Ritualis Parochus benedicere, quod tamen fieri haud potest, nisi Missam de Sponso et Sponsa celebret, sicuti definivit die 13 Julii anni 1630 Sacra Congreg. Conc. referente Cavaliero in Decret. indice n. 258., sitque tempus, quo Nuptiarum solemnitas interdicta non sit, non video, cur improbandus esset Parochus, si tunc nuptialem hanc benedictionem impertiretur.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Ireneus debita mercede constitutus Ovium custos, quum domino suo affirmaverit, tres, vel quatuor Oves fortuito, cum pascebant, aufugisse, vel a latronibus fuisse furto surreptas, ab ipso cogitur, aut ad earum pretium solvendum, aut ad probandum, furtum hocce absque sua culpa evenisse: Licitene ad id obligatur?

Resp. Ut sua esset propositæ difficultati responsio, si de foro interno atque conscientiæ quæstio institueretur, discutiendum foret, an ovium fuga vel furtum culpa aliqua saltem levi ipsius custodis evenerint. Siquidem, ut habet lex *Qui mercedem* 40, *ff. locari conducti: Qui mercedem accipit pro custodia alicujus rei, hujus periculum custodiæ præstat*: quod etiam de ipsa re

dumtaxat apud aliquem deposita affirmat Greg. IX. in cap. *Bona fides*, 2, de deposito his verbis: *De culpa quoque teneris . . . . . si aliquid pro custodia recepisses.* Quamobrem restitutionis damnandum procul dubio affirmabis custodem, si illarum curam, quam alii saltem, qui idem rite institutum tenent, ejusdemque sunt conditionis ac status, et diligentes custodes habentur, non gesserit; absolvendum vero, si omnia fecit, quæ saltem *diligens quisque observaturus fuisset*, utar verbis legis *Si merces* 5, eod. tit. Verum, quum in præsentia agatur tantum de foro externo, in quo dominus cogere vult custodem, aut ad earum pretium solvendum, aut ad probandum furtum hocce, aut fugam absque sua culpa evenisse, alia via res est discutienda; idque dumtaxat ad examen vocari potest, nam hoc reapse domino jus in custodem competat. Et quidem affirmandum esse plane non dubito. Etenim, uti habetur lege, *Si Creditor C., de pignorat. action.*, quum depositarius, vel alius hujusmodi asserit rem alienam casu fortuito periisse, tunc ipsi asserenti incumbit probatio. Generale enim est, quod affirmanti probatio incumbat l. 2, ff. *de probationibus*, imo dum agitur, aut de deposito, aut de alia re, cujus custodia alteri mercede conducto commissa fuerat, sat non est asserenti probari amissionem, sed insuper probandum illi est, hoc ipsum absque sua culpa evenisse; alias præsumitur contra eum, uti cum aliis communissime docet Mascardus de Probat. Concl. 87, n. 2. Etenim amissio, sive factum rei præsumitur ex illius culpa, qui ad ejusdem custodiam tenetur, factum l. *Cum duobus* §. *damna ff. pro socio*, donec contrarium ab ipso probetur, nisi de iis casibus fortuitis loquamur, qui, ut plurimum sine culpa contingunt, ut esset irruptio hostium, aut fulmen, et alia hujusmodi. In istis enim, quum præsumatur culpam abesse, ei, qui eam asserit, incumbit onus probandi, uti docet Abbas in add. cap. 2. *Bona fides de deposito.* Fuga autem, aut furtum, quod asseritur, de iis non est, quæ sine culpa custodis, ut plurimum, eveniant. Quamobrem, si ea evenisse dicantur, saltem per conjecturas, habito nimi-

rum respectu ad personæ qualitatem, temporis, aliarumque circumstantiarum, probari hoc debet, inquiunt Abbas cit. cap. 2, n. 8., Pirhing. hoc tit. n. 3. Mascardus dicta Concl. alios satis communiter allegantes, idque etiam ex l. deducitur : *Non omnes § a Barbaris ff. de re militari*, ubi, quod miles captus fuerit ab hostibus, non autem ad eos transfugerit, argumentis seu conjecturis ab ipso probandum esse dicitur. Quum igitur ad ipsum custodem spectet id probare, quod merito id ipsum etiam exigit dominus et custos, ad id etiam a Judice jure poterit adstringi.

CAS. II. — Philoponus, qui pluribus abhinc annis furtum publicum commiserat, nunc ad meliorem frugem redactus, et alter omnino, officium postulat depositarii cujusdam Communitatis ; Molphesius, hujus delicti memor, hoc ipsum manifestat : quamobrem Officium non obtinet Philoponus, quod secus obtinuisset : Teneturne Molphesius ad aliquid Philopono restituendum ?

Resp. Inficiari non potest, Molphesium graviter peccasse contra præceptum, tum naturale, tum divinum charitatis, quo prohibetur, ne quis alteri faciat, quod sibi fieri nollet, omnibusque præcipitur, ut sese tales erga alios gerant, quales alios cuperent erga semetipsos agere ; quæ quidem, tum novæ, tum veteris legis Scripturæ potissimum commendant his verbis, Tobiæ 4, v. 16, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias :* et Lucæ 6, v. 3. *Prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.* Quod quæritur in præsentia est, an peccaverit contra justitiam, ac propterea ad aliquid Philopono restituendum teneatur : quod ut accurate resolvatur, videndum est, an Philoponus fuerit in judicio illius furti convictus, et pœna aliqua in ore omnium mulctatus, quæ dicitur diffamatio juris : an vero nullum subierit ob illud furtum damnatorium judicium, solumve innotuerit ipso facto ; scilicet quod coram multitudine perpetratum fuerit, ut in foro vel in platea publica sub omnium conspectu, quæ dicitur diffamatio facti. Si primum dicas, nulla ratione

Molphesius justitiam læsit; quamobrem nec ulla illi inest alicujus reparationis Philopono præstandæ obligatio. Quoniam publici juris est publici judicii notitia, et ipsa lex potissimum intendit, publicam infamiam in partem venire pœnæ, quæ nocenti debetur, ipsumque famæ beneficio, quod ex delicto jam ipse amiserat, quove ex damnatorio judicio, quod in eum latum est, merito destitutus fuit, omnino privari. Neque refert quod jam ad meliorem frugem reversus sit, et alter omnino factus, ejusdemque delictum ex hominum memoria penitus exciderit; semper enim adhuc remanet hujus diffamationis causa, publica scilicet judicis sententia; et quamvis mutatione vitæ jus acquisierit ad famam relate ad ea quæ inposterum perficiet; jus tamen nullum illi esse potest ad famam, qua ab ipso judice fuit merito privatus, ut ait de Lugo disp. 14, de Just. sect. 6, num. 72. Sed quid si nullum damnatorium judicium in Philoponum fuit latum, solaque facti diffamatione publicum fuit ejusdem furtum? Peccavitne contra justitiam Molphesius, illud manifestando, damnique ob id Philopono illati reparandi onus illi incumbit? Negant Lessius, Dicastillus, Bonacina, et alii, quamplures, in ea tamen hypothesi, quod ad meliorem frugem redactus jam sit, et alter omnino, uti affirmatur in casu. Siquidem, inquiunt, licet diffamatus jus habeat ad famam, quam bene vivendo sibi comparavit; tamen jus nullum illi est, aut esse potest, ut dicatur fuisse probus illo tempore, quo erat diffamatus. Qui ergo refert, olim illum facinorosum fuisse, puta, furtum commisisse, nullam illi irrogat injuriam. Verum probabilius existimamus, in hac etiam suppositione reapse peccasse Molphesium contra justitiam, nullaque ratione vindicari posse ab obligatione reparandi damni, quod ex illius delicti iniqua relatione Philopono attulit: siquidem tametsi ultro concedamus, diffamatum etiam ad meliorem frugem redactum jus nullum acquisivisse, ut dicatur fuisse probus eo tempore, quo delictum perpetravit; jus tamen acquirere potuit, ne apud eos, qui ejusdem criminis jam penitus obliti sunt, cum tam gravi suo damno, ad eorum memoriam revocetur, ipsum ali-

quando improbum extitisse. Et revera, quoties Philoponus emendatis moribus integram ab eo crimine, nempe a furto, ob quod fuerat publice diffamatus, vitam ducit, famaque sua jam potitur apud homines, omni præteriti sui sceleris memoria antiquata, nonne jus habet, ut nulla potissimum urgente causa, hac ipsa fama non privetur? In hac quippe hypothesi illa ipse jam fama fruitur, qua ante illius furti manifestationem gaudebat. Qui ergo in hac circumstantia ad memoriam revocat, quod ipse olim perpetravit furtum, non minus contra justitiam peccat, quam qui primo occultum ejusdem furtum absque ulla causa ac necessitate revelasset. Neque vero excusari potest ex eo, quod nil nisi verum dixerit, secus ex eodem prætextu quibuscumque obtrectationibus aditus aperiretur, et quilibet facile posset ab obligatione absolvi reparandi damni, quod alteri ex immoderata sua loquacitate attulisset; quod profecto nemo cordatus dixerit. Molphesius igitur vere justitiam læsit, et ad resarciendum damnum, quod Philopono, depositarii officium, quod petierat, ob hanc suam manifestationem non obtinenti, attulerat, obligatur. Ita Salmanticenses tract. 15, cap. 4., Molina disp. 33, n. 2., Lugo loco cit. n. 85, aliique satis frequenter ex cordatioribus Theologis, modo tamen, ut merito addunt Salmanticenses, præterita infamia fuerit omnino oblivione delata ac sublata, et reapse emendatus de illo crimine prorsus sit: secus uti docet Angel. Doct. 2. 2, quæst. 73, art. 2., ne minimum quidem justitiam læsisset. Publicum enim esset adhuc in prima suppositione delictum, et in secunda Philoponus adhuc fur jus non haberet ad famam conservandam, etiamsi eam hactenus non amisisset in grave Communitatis detrimentum. En quomodo celeberrimus Theologus Merbesius quæst. 128, p. 2, concl. 2, in fine rem totam absolvit: *Quisquis hominem, alias ob sua crimina infamia notatum, sed sanctiore vita ad meliorem famam postliminio reversum, velut adhuc reum, dedecorat, vel præterita ejus crimina apud inscios commemorat, sæpe lethali flagitio charitatem extinguit; sæpe etiam contra justitiam, ut puta si inde illum in iisdem hærere flagitiis*

suspicio oriatur, et fraudetur lucro ipsi obventuro, vel eidem illi grave damnum emergat.

CAS. III. — Peracta a Parocho solemni supplicatione cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, consecratam Hostiam, quam solemniter in ea supplicatione detulit, divisam in plures partes, communicaturis suo tempore distribuendas, in sacra Pyxide reposuit : Ritene ?

Resp. Quamquam Suaresius 3 p.dist. 85, sect. 2, admittat, ex rationabili causa laico communicaturo dari posse a Sacerdote celebrante partem hostiæ majoris a se consecratæ, idque satius esse affirmet Quartus puncto 2, tit. 7, sect. 1, dub. 2, etiam ad dandum Viaticum, quam Canone jam incœpto admittere et offerre novas particulas consecrandas : quod quidem congruere videtur antiquæ illi disciplinæ, qua olim Hostia in tres partes dividebatur, quarum una in calicem immittebatur, alteram sumebat Sacerdos, tertia in plures frangebatur particulas, adstantibus, vel infirmis communicandis : *Ex can. Triforme de Consecrat. dist.* 2. Qui enim consecrabatur panis, longe major erat et latior, quam quo nunc utimur, cujus certe ritus quædam adhuc vestigia supersunt in Missa solemni Summi Pontificis, qui, sumpta una dumtaxat parte, tertiam in duas dividit particulas communicandis Diacono et Subdiacono ; et in Missa quæ celebratur in consecratione Episcopi, in qua consecrans Episcopus unam dumtaxat sumit partem, et altera Episcopum, qui consecratur, communicat, ut videre est apud Card. Bona Rer. liturg. lib. 1, cap. 11, n. 4, et lib. 2, cap. 15, num. 4, et in Pontific. Rom. de Consec. Episc. Attamen hoc generaliter fieri non debet, uti docet Gavantus in Rubricas Missalis p. 2, tit. 10, de Oratione Dominica litt. I. hisce verbis ; *Per particulas danda est communio* ; *non autem cuicumque de populo dandæ videntur partes illius Hostiæ, quæ forte reservatur post orationem* 40 *horarum :* quod etiam vetuit S. Carolus in Synod. Diœces., quod nempe rudiores rotundam potius volunt particulam, alioquin facile patiuntur scandalum. Quamobrem merito ipse jussit, ut a solo Sacerdote prædicta Hostia sumatur, post Calicis

sumptionem, quod quidem, quum renovandum est SS. Sacramentum, octavo scilicet quoque die, seu semel in Hebdomada, statutum videtur ab ipso Conc. Turon. 4., quod circa annum Domini 798, celebratum est cap. 4, his verbis: *Illa*, scilicet vetus, *a Præsbytero sumatur, et alia, quæ eodem die consecrata est, in ejus locum subrogetur.* Reprobandum igitur est, quod præstare solet Parochus.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Parochus ad ministrandam infirmo Extremam Unctionem accedens, timens ne consuetas corporis partes Sacro Oleo linire possit, infirmum in fronte inunxit dicens: *Per istam Sanctam Unctionem... quidquid deliquisti per Visum, Tactum....* Completa hac Unctione, advertit Infirmum adhuc vivere: Teneturne denuo, servata consueta methodo, eumdum Oleo Sancto inungere?

Resp. Quum Eugenius Quartus, in suo Decreto pro Instructione Armenorum, in hujusce Sacramenti administratione septem unctiones fieri jubeat, quemadmodum fuse exponitur in Rituali Romano, certum est inter Theologos, excepta unctione renum, quæ honestatis et pudoris causa semper omittenda est in feminis, et quandoque etiam in viris quod, propter labefactatas corporis vires, morbique languores, sine gravi in commodo, vel etiam periculo, sæpissime dimoveri non possunt, quod adnotatur etiam a Rituali Rom., atque a Card. Sanctorio in suo Rituali; et illa pedum, quæ teste Benedict. XIV, in suo Opere de Syn. Diœc. lib. 8, cap. 3, apud aliquas Ecclesias non est in usu, nullam earum prætermitti posse absque gravi peccato, quum omnes adhiberi possunt. Quod disputant inter sese est, an omnes adhibendæ sint ex necessitate solius præcepti, an etiam Sacramenti. Atque ex hac gravissima Theologorum controversia, de qua nulla adhuc ab Apostolica Sede prodiit sententia, oritur propositum dubium. Si enim certum esset in unica unctione totam consistere hujus Sa-

cramenti substantiam, eaque sola præcepto S. Jacobi, seu potius præcepto Domini per sanctum Jacobum promulgato, *Ungentes eum Oleo*, satisfieri, sicuti unica ablutione satisfit præcepto Christi *Baptizantes eos:* cui opinioni validissimum præbet argumentum diversa et multiplex Ecclesiarum, quæ tempore Alberti Magni, ut ipse fatetur in 4, dist. 23, art. 16, viguit in unctionum numero disciplina, quod sane cujuscumque Ecclesiæ particularis arbitrio permissum non fuisset, si certus earum numerus ad Sacramenti valorem necessarius judicaretur; quod adhuc fortius evincunt recentiora Ritualia, unicam unctionem fieri permittentia si omnes perfici nequeant, scilicet, vel quum ægrotus prudenter timetur decessurus, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones; vel quum hoc Sacramentum administrandum est peste morboque contagioso laborantibus, ut contagionis periculum evitetur, sicuti jam constitutum esse affirmat idem Bened. XIV, in laudato Opere, eodem libro, eodemque c., et l. 13, c. 28, n. 29, jam decisum esset, peracta a Parocho ea unctione, ut asseritur in casu, etiamsi infirmum adhuc vivere advertat, repetendas non esse in particularibus sensibus unctiones. Nam idem esset, ac ipsum Sacramentum repetere, quod in eadem infirmitate nefas est. Verum, quum sua non careat probabilitate opinio asserentium, singulas unctiones ad substantiam et integritatem Sacramenti, quod ex singulis, tamquam ex suis partibus essentialibus constitui atque integrari opinati sunt, pertinere, quod docuerunt antiquiores Scholastici, S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Sotus, quibus subscripsere Bellarminus de Extrema Unctione lib. unic. cap. 10, Gregorius de Valentia, aliique plurimi, præsertim ex Theologis Moralibus, quibus etiam accensetur S. Thomas, licet ab auctore supplem. 3, p. quæst. 32, art. 2, inducatur dubitanter loquens his verbis: *Illa Unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti.* Idcirco merito dubitatur, an in exposita facti circumstantia, denuo servata consueta methodo, infirmus Oleo sit inungendus. In qua quidem controversia probabilius asserimus, inun-

gendum reapse esse, præsertim si aliud Sacramentum suscipere haud potuerit. Quum enim, ut præmisimus, non conveniant inter sese Doctores, an quinque præscriptæ unctiones essentiales sint, an non, suaque non careat, tum extrinseca, tum intrinseca, probabilitate utraque sententia, ut tutius infirmi saluti prospiciatur, satius est, quum tempus superest, completa universali ea unctione, et particulares alias in propriis sensibus perficere. Siquidem, etsi non agatur de Sacramento necessitatis, sed solius utilitatis, attamen ea, qua possumus, tutiori ratione in iis angustiis saluti prospiciendum nobis est extreme periclitanti, qui forte hujus etiam Sacramenti indigere posset, præsertim quum in tanta auctorum disensione, quam hactenus Ecclesia dirimere non voluit, nulla irreverentia irrogetur Sacramento, et summa ex illius renovatione utilitas infirmo accedere possit. Quum enim ex secundaria ipsius Institutione, etiam ad delenda peccata, conferendamque primam gratiam, fuerit institutum, ut constat ex iis Jacobi verbis: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, et lethalem aliquam culpam, cujus forsan reus esse posset infirmus, supposita congrua ejusdem animi dispositione, delere posset, qua ratione addidimus, *præsertim, si aliud Sacramentum suscipere haud potuerit.* Huic opinioni favere videntur Ritualia ipsa, quæ, non nisi in extrema necessitate et gravissima urgente causa, unicam Unctionem fieri permittunt. Si enim, peracta Unctione generali, infirmus adhuc vivit, deficit hæc extrema et gravissima necessitas: cur ergo reliquæ Unctiones perficiendæ non erunt, præsertim quum admodum probabile sit, *in ultima tantum Unctione*, ut ait Auctor supplem. 3, p. D. Thom. loco adducto ad 3, *gratiam infundi, quæ effectum Sacramenti præbet?* Quamobrem ipse admonet Benedictus XIV, loco jam adducto, serio monendos esse Parochos ab Episcopo, ne pro libito ea libertate abutantur, quæ a Ritualibus, in iis angustiis, ipsis permittitur, cosque doceat, gravis culpæ reatu non excusari, qui extra casum necessitatis, et quidem veræ, vel unam ex quinque unctionibus prætermittit. Recte igitur se geret Parochus, si in ea hypothesi, servata consueta methodo,

infirmum Oleo Sancto inunget, quod expresse docet Rituale Parisiense de orationibus, quæ ob temporis angustias in Unctionibus perficiendis fuerunt forsan prætermissæ, his verbis: *Deinde, si supervivat, dicantur aliæ orationes suo loco prætermissæ*: quod sane a fortiori dices de Unctionibus ipsis, quæ procul dubio, et efficaciores, et magis necessarias esse nemo cordatus inficias eat.

CAS. II. — Rolandus Clericus, beneficium possidens annui liberi redditus Romanorum Scutatorum quatuor, interrogat suum Parochum, an ei satis sit diebus festis Divinum Officium recitare: Qualis erit Parochi responsio?

Resp. Rolandum Clericum suæ non satisfacere obligationi mihi indubium est, quidquid contra doceant nonnulli Theologi. Etenim Sacri Canones et Ecclesiæ leges Clericos omnes, qui Curatum, aut quodvis aliud Ecclesiasticum beneficium obtinent, ad Divini Officii recitationem adstringunt, uti patet ex Can. *Eos qui*, 28, dist. 193, et Can. *Quia fin. de rescrip.* Id ipsum anno 1514, decrevit Leo X, septima sua Bulla *Supernæ* die 5 Maii a Lateran. Con. edita, his verbis: *Quilibet habens beneficium cum sine, vel cum cura*, quod expressius confirmavit S. Pius V, in 153. Bulla, *Ex proximo*, die 20 Septembris anni 1571, hisce verbis: *Declarantes præstimoniales portiones, et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò servitium habentia, cum prædictis pariter convenire*, scilicet, in Decreto Conc. Lateran. sub Leone X. Jam vero laudati Canones, Summique Pontifices nulla ratione distinguunt Clericum, beneficium pingue habentem, ab eo qui tenue ac modicum dumtaxat obtinet; sed *quilibet*, inquit laudatum Lateranense Decretum; *quicumque*, ait S. Pius V, in ea Constitut. adducta *Ex proximo*, *Clerici, qui Curatum, aut quodvis aliud beneficium obtinent*, asserunt antiqui Canones. Hæ sane voces generales sunt, nullamque ex se admittunt exceptionem, aut distinctionem. Singuli ergo Clerici, sive tenue, sive pingue beneficium obtineant, jure Canonico, cui solum, quum de re bene-

ficiaria loquamur, standum est, non arbitrariis Theol. nonnullorum placitis, ad Divinum Officium singulis diebus recitandum omnino tenentur. Quum enim Sacri Canones non distinguunt, nec nobis distinguendum est, juxta illud: *Ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus*, arg. *legis de Pretio ff. de public. in rem. actione*, tit. 1, c. 6. Et sane non aliter ipsi Canonici juris Interpretes celebriores leges hasce intellexerant, quin expresse et tenue beneficium ab ipsis comprehensum voluere. Audiantur inter alios Prosper Fagnanus, et Hostiensis. Primus in caput *Conquerente* Extra, *De Clericis non resid. Sicut non excusatur*, inquit, *a residentia, ex eo quod ex beneficio vitæ necessaria non percipiat: ita nec excusatur ab horis dicendis. Imputet sibi, si beneficium non sit competens; quia nihilominus tenebitur ad horas, ex quo se fecit ad hoc intitulari.* Secundus vero hoc ipsum affirmat in *Can. Clericus* dist. 91, *V. Vigiliis*, post Glossam in dictum caput, quæ eamdem doctrinam affert, comprobans exemplo Viri, qui ita inopem duxit filiam, ut dos ipsi ad victum non suppeteret. *Nam*, inquit, *ut is homo uxorem, licet pauperem, tenetur alere, et necessaria ad usus vitæ suppeditare, quia ducens eam, non obstante ejus paupertate, lubens hoc subivit onus: ita Beneficiarius, qui beneficium, ut modicum accepit, ad onera, quæ cuicumque beneficio incumbunt, tenetur, ex quibus necessaria est recitatio Officii Divini, a qua immunis legitimo modo esse nequit, obtendens sibi ad victum non suppetere ex beneficio, et iniquum videri Ecclesiæ ministrare, quum ministrantem non sustentat.* Et merito quidem celebris hic Canonista hoc addit: Nec enim fructus beneficii est unica causa oneris, quod habet beneficiarius ad Officium; secus quo pinguius esset beneficium, eo pluries in die ad Officium recitandum adstringeretur, aut eo anno quo grandine, aut alio casu, absumpti fuissent beneficii fructus, hoc ipsi onus non incumberet; quod asserere absurdum est. Præcipua igitur ratio, ob quam ad id adstringitur, est quod beneficiarius Dominum elegit in suam partem, et eam lubens subivit sortem, qua Deo et Ecclesiæ ministrare tenetur,

ratione a cæteris fidelibus omnino diversa, quæ juxta consuetudinem jam a primis seculis adeo sancte inductam ab Ecclesia, persolutionem exigit hujus diurni tributi Deo faciendam. Quodsi beneficium ejus victui par non est, non prohibetur, quin illum aliunde sibi comparare possit, non neglecto tamen Divino Officio, uti expresse habetur in Laud. Can. *Clericus* cit. dist. 91. En ejus verba : *Clericus victum et vestimentum sibi artificioso labore, vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, paret*: loquitur autem de iis Clericis, quorum portiones Canonicæ ita tenues sunt, ut iis sustentandis non sufficiant. Neque dicas, beneficium tenue non reputari in jure beneficium Can. *Is cui* 9, *de Præbendis*. Etenim in praxi falsum id est, quum reapse, quoad plures effectus, habeatur ut verum beneficium : qua ratione habenti duo beneficia tenuia, etiam de jure patronatus, ab Ordinario conferri nequit tertium, licet et ipsum tenue, uti decrevit Sacra Congreg. Conc. die 14 Septembris anni 1654, referente Bened. XIV, in sua Eccles. Institut. 3, quinti Voluminis italici : quod sane Decretum non fuisset, si in jure beneficium tenue rationem non haberet veri beneficii Ecclesiastici. Inhæsitanter ergo respondeat Rolando Parochus, ipsum suæ in casu non satisfacere obligationi.

CAS. III. — Eusebius vir nobilis, privilegium habens Oratorii privati, absque ulla restrictione, vel exceptione dierum, Parochum enixe rogat, ut solemni Dominicæ Nativitatis nocte suum Capellanum mittat, ut statim a media nocte Sacrum in eo faciat: Potestne Parochus Eusebii votis indulgere?

Resp. Quum Missæ privatæ in nocte Nativitatis Dominicæ prohibitæ sint pluribus S. R. C. declarationibus, nempe anno 1641, die 20 Aprilis *in Pisauren*, et anno 1688, die 15 Sept. *in Januen.*, etiam quocumque usu in contrarium suffragante, qui prorsus tollendus est, excepta prima solemniter celebranda, nulla ratione potest Parochus Eusebii votis indulgere. Etenim, quum non agatur de generali dumtaxat prohibitione celebrandi in

Oratoriis privatis, aut celebrandi in solemnioribus diebus, sed generaliter celebrandi, etiam in Ecclesiis, una excepta Missa solemni, aut quæ solemnis loco celebretur, ut derogatum intelligeretur huic tam strictæ tamque rigorosæ ac speciali prohibitioni, non sufficit indultum Apostolicum, in quo nulla sit dierum ad Missarum celebrationem inserta limitatio, sed necesse est ut expresse facultas concedatur in ipso indulto, privatæ in hac ipsa nocte celebrationis, quemadmodum, uti docet Gatticus de Orat. priv, cap. 27, n. 17, id ipsum requiritur, ut quis possit Missam celebrare in Oratorio privato in Feria V Cœnæ Domini, aut in Sabbato Sancto. Et sane; numquid quis facile sibi suadeat, majora per hujusmodi generalia indulta velle Romanum Pontificem concedere, circa Missarum celebrationem Oratoriis privatis, quam permittantur in Oratoriis publicis, quin et in ipsis Ecclesiis? At quis nesciat, plurima ex istis, juxta Ecclesiasticas consuetudines, ac Sacræ Rituum Congreg. declarationes, facultate carere celebrandi, tum in sacratissima Nativitatis Dominicæ nocte, tum in die Cœnæ Domini, aut Sabbato Sancto; Ecclesias autem etiam Majores, ut diximus, non nisi unicam habere posse? Nisi igitur in ipso indulto hæc facultas exprimatur, non poterit hac nocte in privato Oratorio Sacrum fieri: *Ita enim privilegia sunt intelligenda*, inquit Gatticus, *ut nihil concessum asseratur, nisi singulariter sit expressum, quod ob singularitatem in iisdem privilegiis concedi deberet:* quod quidem ipse exemplo probat singularis Privilegii, quo a Clemente XII, die 4 Decembris anni 1734, condecorati fuere piissimi conjuges Regii, Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, et Clementina Magnæ Britanniæ Regina, ut nempe, *in privatis ipsorum Oratoriis, in Sacratissima Nocte Nativitatis, et diebus Cœnæ Domini, et Sabbati Sancti celebrari facere libere et licite possent et valerent unicam Missam.* Quum igitur in Eusebii Brevi expressa hæc facultas derogatoria specialis istius prohibitionis non habeatur, non obstante universalitate dierum, absque ulla exceptione, non poterat Parochus, ob specialem singularitatem hujus Missæ, ejusdem votis annuere, quod nec posset, si Missam

Nobilis hic peteret Feria V in Cœna Domini, aut Sabbato Sancto: uti docet Gatticus loco adducto.

ANNO MDCCLXV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius et Berta pauperes, elapso jam anno, matrimonio in facie Ecclesiæ, præmissis præscriptis a Tridentina Synodo denunciationibus, ab ipsis celebrato, monentur a quodam sene, inter eos impedimentum esse Consanguinitatis in quarto gradu: hoc audito, propriæ saluti, uti par est, consulentes, ad Parochum accedunt, eumque enixe deprecantur, ut aliquo remedio ipsis provideat, quum ex una parte ob paupertatem, qua premuntur, impares sint ad dispensationem a Dataria obtinendam, ex alia vero ardenter exoptent, ut matrimonium invalide ex ignorantia ab ipsis initum revalidetur, si fieri id potest: Quomodo se geret Parochus, ut istorum Parochianorum saluti æternæ provideat?

Resp. Vel impedimentum illud, quod senex manifestavit Titio et Bertæ, adhuc est occultum, vel evasit publicum. Si adhuc est occultum, Parochus confugiet ad Sacram Pœnitentiariam, scribendo ad D. Cardinalem Majorem pœnitentiarium, juxta libellum olim Romæ, tum alibi editum pro instruendis Parochis et Confessariis, qui ad Sacram Pœnitentiariam confugere debent; et juxta Institutionem Eminentiss. olim Archiep. Bonon. Prosperi Lambertini, postea Rom. Pontif. Bened. XIV. fel rec. vigesimam tom. IV. editionis Italicæ, Latinæ vero octogesimam septimam, in qua instruuntur Parochi et Confessarii, quemadmodum confugere debeant ad Cardinalem Pœnitentiarium, et executioni mandare, quæ ab illo præcipiuntur, præsertim in difficultatibus ad matrimonium spectantibus. Exponet igitur Parochus in epistola facti veritatem cum omnibus circumstantiis et causis, ob quas dispensatio postulatur; quum idem Cardinalis Major Pœnitentiarius *in tertio et quarto*

gradibus occultis, in contractis (scil. Matrimoniis) *possit dispensare:* ut habetur Const. 95, incip. *Pastor bonus* jam laudati Bened. XIV, tom. 1, ejus Bull., in qua agitur de facultatibus Majoris Pœnitentiarii. Narrabit igitur, si putati conjuges prolem jam susceperint, aut saltem si mulier sit gravida; si periculum immineat gravis scandali, ubi fiat divortium, etc. Præterea magnopere commendabit Parochus ipsis putatis conjugibus et seni, et si quis est alius, qui impedimentum noverit, ut illud nemini unquam revelent, sed semper occultent etiam post obtentam et executioni mandatam dispensationem; quippe quæ pro foro externo nihil valeret, si impedimentum postea fieret publicum. Sed magna in primis diligentia erit adhibenda Parocho, ut interim Titius et Berta separarentur non solum quoad torum, sed etiam, si commode fieri potest, (quod in pauperibus, de quibus agitur, fortasse difficilius est) quoad habitationem: caute tamen, ne ulla eorum vicinis aut consanguineis ingeratur suspicio, aut scandalum præbeatur; suadendo v. g. Titio, ut causam aliquam inveniat arripiendi aliquod iter, aut alibi locandi operam suam, quousque obtineatur dispensatio. Quod si nulla via pateat ad separationem illam, ambos monere vehementer debet, ut interim vivant tanquam frater et soror.

Quod si impedimentum publicum evasit, debet confestim Parochus ea de re Ordinarium certiorem facere; et si id statim non posset exequi, atque interea scandalosa esset Titii et Bertæ cohabitatio, ad tollendum hujusmodi scandalum, omnimodo curare deberet, ut etiam quoad habitationem separarentur. Tum ad Datariam confugiendum esset per supplicem libellum, in quo facti veritas cum universis circumstantiis exprimeretur, causæque, ut supra diximus, afferrentur dispensationis, quæ *in forma pauperum* esset postulanda, ad quam obtinendam transmittenda simul esset authentica et legalis attestatio, quæ probaret Titium et Bertam esse pauperes et miserabiles, qui scilicet manuum suarum labore et industria dumtaxat vivunt. Ut fusius videri potest apud Pyrrhum Corradum in Praxi dispens. Apost. lib. 8, præsertim cap. 4, et 5.

CAS. II. — Quum duo Clerici a diversis Patronis invicem de electione dissentientibus ad idem beneficium nominati fuerint, lisve inter ipsos electos excitata sit, ac institutum judicium, post gravissimas expensas ab utroque factas inter sese convenerunt, ut unus alteri pecuniam, quam in hoc judicio tentando solverat, redderet, quive pecuniam accepisset, juri suo cederet; et hac ratione alter pacificam beneficii collationem assequi posset. Dubitant modo, an hæc conventio ab omni Simoniæ labe sit immunis, idque a proprio Archipresbytero quærunt. Quid respondebit Archipresbyter?

Resp. Hujusmodi conventionem censendam esse simoniacam. Ratio est, quia super re sacra, aut spirituali, cujusmodi est beneficium Ecclesiasticum, omnis reciproca pactio et transactio, quæ fiat dato, vel retento, aut promisso aliquo temporali, seu pretio æstimabili, est illicita, et simoniaca censetur; ut constat ex cap. *Cum pridem* de pactis, ubi casus consimilis habetur, et cap. *Super eo* de transact.

Neque dicas ex ipso jure canonico compertum esse, lites quasdam circa beneficia finem habere posse, et quidem licite per pecuniam, quam una pars alteri dissidenti promittat, aut solvat: ut patet ex cap. *Non sine* de arbit. in fine, et ex cap. 5, *Dilectus* de Simon. Nam casus illi, in quibus licite per pecuniam finis imponitur dissidiis super beneficia, sunt longe diversi ab eo, de quo nunc agimus. Sic. v. g. Habenti jus quæsitum certum et plenum in beneficio utique licet pecunia redimere injustam vexationem, qua ab aliquo impeditur, ne beneficio suo fruatur, ut cum D. Th. 2. 2, quæst. 100, art. 2, ad. 5, sentiunt Theologi communiter, et Canonistæ; et de hoc procedit objectum cap. *Dilectus* de Sim., ut passim intelligitur et explicatur a DD. Pariter si a litigantibus super beneficio fiat compromissum in personas Ecclesiasticas, et arbitri electi controversiæ finem imponant arbitrantes uni, quem norunt jus satis clarum habere, concedendum esse beneficium; et alteri jus dumtaxat dubium habenti solvendum esse aliquid: non quidem in compensationem dubii juris, quod habet ad beneficium (quod jus utpote quid

spirituale pretio temporali æstimari non potest) sed pro bono pacis et utilitatis partium, vel ad subveniendum indigentiæ ejus qui cedit, ad paupertatem fortasse redacti ob impensas in litigando inutiliter factas: utique ex honesta aliqua hujusmodi causa arbitrium illud æquum haberi poterit, ut indicat oppositum illud cap. 2 de arbitris in fine. At in nostro casu res longe aliter se habet: neque enim agitur de redimenda injusta vexatione pro habente jus certum in beneficio; sed lis est inter duos, dubium habentes jus non quidem in re, sed ad rem duntaxat: neque judicis sententia, aut arbitrorum laude, sed propria auctoritate volunt hi litigantes finem imponere liti per transactionem, in qua jus spirituale ab una parte remittitur pro pecunia ab altera parte data vel promissa; cui similem compositionem in causa beneficii a partibus ultro initam rogatus Alexander III, ut confirmaret, non duxit admittendam *pro eo quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere:* ut legitur cap. *Cum pridem,* superius citato. Videri potest quoad hunc casum brevis institutio Emin. olim. Archiep. Prosperi Lambertini, postea SS. Pontif. Bened. XIV, 5, tom. 5. editionis Italicæ, Latinæ vero 95, Suarez tom. 1, de Relig. lib. 4, de Sim. cap. 51.

CAS. III. — Quum in quadam Parochiali Ecclesia sit Altare in honorem Sancti Antonii Abbatis Deo dicatum, eoque die, quo illius festum ab Ecclesia celebratur, habeatur Missa solemnis, putat Parochus recens, non esse in ipsa decantandum Symbolum Nicænum, quod impugnat alius Parochus provectior. Cui adhærendum?

Resp. Adhærendum sententiæ Parochi provectioris. Nam etsi sententia junioris negantis decantandum esse Symbolum videatur inniti ipsi Rubricæ, quæ 1 part. tit. XI, de Symbolo agens ait: *Symbolum dicitur . . . . item in festo Patroni alicujus loci, vel tituli Ecclesiæ, (non autem Capellæ, vel Altaris)* tamen ut ibidem notat Meratus num. 12. Rubrica excipit festum tituli alicujus Capellæ, vel Altaris, sed talis Rubricæ exceptio intelligenda est de Missis privatis, non vero de Missa solemni. Nam de hac S. R. C. ita decrevit in una Burgi S. Domini

1 Aprilis 1662. (vel potius 1661.) *Symbolum in Missa solemni potest decantari in illa Ecclesia ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti ratione concursus ad præscriptum Rubricarum, licet de eo fiat officium sub Ritu semiduplici.* Quod decretum refertur ab eodem Merato in Indice sub num. 394, et ex eo satis probatur sententia provectioris Parochi.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Parochus ab infirmo jam jam morituro rogatus, ut proprii filii, quem in infantili adhuc ætate relinquebat, tutelam vellet assumere, renuit ejusdem votis indulgere, contendens id sibi nefas esse : Meritone ?

Resp. Parochum merito recusare tutelam illam. Nam in hac Bononiensi Diœcesi vetitum est Clericis tutelam aut curationem illam suscipere absque consensu Eminent. Archiepiscopi, ut habetur Synod. Diœc. sub Emin. Jacobo Boncompagno lib. 3, c. 1, de vit. et honest. Cler. § *Quantum dedecet.* Et sapienter quidem lex hujusmodi sancita est. Quum enim tutela et cura pupillorum et minorum secum trahat administrationem alienorum bonorum, et quidem sæcularium, nec non rationum redditionem, ac proinde hominem Deo militantem negotiis sæcularibus facile implicet; certe nisi gravis necessitas urgeat, aut charitas exigat, quod Ordinarius judicare debet, minime decet Clericum hujusmodi occupationi se ingerere. Hinc tempore D. Cypriani veluti crimen habebatur, si quis Sacerdotem in testamento tutorem relinqueret, ut notavit fel. rec. Bened. XIV. de Synod. Diœc. lib. 10. c. 6, num. 1, et quamvis olim per leges civiles cogerentur Clerici etiam in sacris constituti legitimam tutelam, vel curam suscipere, ut aperte colligitur ex can. *Pervenit* ult. dist. 86, postmodum tamen Imperator l. 52. C. de Episc. et Cler. voluit Presbyteros, Diaconos, et Subdiaconos immunitatem ipso jure omnes habere tutelæ, sive testamentariæ, sive legitimæ, sive dativæ; et esse expertes, curæ, non solum pupillorum et adultorum, sed et aliarum per-

sonarum, quibus tutores vel curatores a veteribus legibus dantur; idque eo fine, *ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministerio inhæreant.* Quamvis postea in Authent. de Sanctis Episc. eosdem jure cognationis ad tutelam vel curam vocatos, suscipere permittat.

CAS. II. — Fuit Aurelius ocularis testis cujusdam capitalis criminis, quod Lælius reapse commisit, sed perfracte negat coram judice, nec ejus accusator sufficientes habet rationes, quibus convincatur; quamobrem quum hic veluti falsus accusator in gravi vitæ discrimine versetur, petit Aurelius a suo Parocho, an teneatur delictum illud, in accusatoris subsidium, judici deferre ac declarare: Quid respondebit prudens Parochus?

Resp. Vel crimen a Lælio commissum est adhuc perniciosum in futurum aut Reipublicæ, aut privatæ personæ innocenti; vel non. Si perniciosum adhuc est in futurum, et alia ratione impediri nequit damnum, nisi crimen ad judicem deferatur, quoniam accusator bene se gessit in accusando, ita debet Aurelius subsidium accusatori afferre; nam deberet et ipse Aurelius crimen illud denunciare ad avertendum futurum damnum. Si vero crimen non est in futurum perniciosum, iterum distinguendum est; vel enim accusator ultro et imprudenter, aut ex odio crimen detulit, et tunc non tenetur Aurelius ullam opem accusatori ferre; hic enim imputare sibi debet, si destitutus probationibus accusavit, seque in suspicionem calumniæ objecit, atque ideo in grave periculum se ingessit: nam ex duobus in eodem periculo constitutis, si utrique subveniri non possit, ei potius videtur subveniendum, qui nolens, quam qui sponte et ultro in illud periculum adductus est. Si vero ex fine bono accusavit, et habens testes, qui postea defecerunt, debet Aurelius subsidium afferre accusatori; quia charitas postulat, ut grave damnum ab innocente potius, quam a reo avertatur.

CAS. III. — Quibusdam in Ecclesiis, quum exequiæ Defunctorum celebrantur, tam præsente, quam absente corpore, primum Nocturnum dumtaxat recitatur cum

invitatorio sine Laudibus ; in aliis vero etiam extra diem obitus, seu depositionis , ac tertium , septimum, et trigesimum, aut anniversarium cantatur Invitatorium , et duplicantur Antiphonæ : Ritene ?

Resp. quoad primam partem. Rite quidem in exequiis defunctorum, tam præsente quam absente corpore, recitari solum primum Nocturnum cum Invitatorio sine laudibus , in iis scilicet Ecclesiis , ubi ejusmodi viget consuetudo : id enim quoad exequias præsente corpore expresse habet Rit. Rom. in Rubr. § *Si vero* antipenult. de exequiis. Eadem autem videtur esse ratio de exequiis absente corpore defuncti , etsi id non exprimat Rituale. Certe in hac Diœcesi, si alicubi adsit hujusmodi consuetudo recitandi solum Nocturnum in exequiis, non videtur posse reprehendi : nam in prima Syn. Diœc. habita ab Eminentissimo Archiep. Hieronymo Columna part. 2 , c. 14 , de funer. et sepult. § penult. dicitur : *Quoties in exequiis recitari mortuorum Officium contingat, Nocturnum feriæ currentis cum suis Lectionibus recitent. Sacerdotes convocati superoelliceo decenter vestiti.* Nec ulla ibi fit mentio de laudibus, quas tamen expresse nominasset Synodus , si eas voluisset recitari, sicut nominavit Lectiones , etiamsi hæ ipso Nocturni nomine satis intelligantur.

Quoad alteram vero partem dico nihil obstare , quominus etiam extra diem obitus aut depositionis, ac tertium , septimum , trigesimum , et anniversarium dici queat Invitatorium , et duplicari possint Antiphonæ. Nam etsi Breviarii Rom. Rubrica , quæ habetur initio Matut. Defunct. ita præscribat: *Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, et in die depositionis Defuncti, quibus diebus dicuntur tres infrascripti Nocturni, et Antiphonæ duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus*, et Rit. Rom. in prima Rubrica de Offic. Defunct. dicat, *in die vero depositionis, et tertio, septimo, et anniversario duplicantur Antiphonæ.* Non ideo tamen aut Breviarium, aut Rituale Roman. absolute vetat aliis quibuscumque die-

bus Invitatorium dici, aut duplicari Antiphonas. Quamvis enim particula illa *tantum* Rubric. Brev., quæ proprie cadit super Invitatorium, videatur esse exclusiva : excludit tamen ea quidem obligationem, non autem potestatem dicendi Invitatorium aliis diebus : nam Rubrica videtur ibi innuere obligationem dicendi Invitatorium esse *tantum* in die commem. omn. Fidel. Defunct., et in die depos. def. Et hanc esse significationem illius particulæ *tantum* ostenditur ex eo, quod in hoc sensu usurpatur paulo post in eadem Rubrica ubi dicitur : *Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus.* Quo certe loco particula illa *tantum* indicat aliis temporibus, veluti prima die cujusque mensis non impedita festo novem Lectionum, non esse obligationem dicendi nisi unum Nocturnum cum Laudibus; at non ideo tollit potestatem dicendi alias etiam in Choro tres Nocturnos: etenim posse eos dici aliis temporibus satis exprimit Rubr. ejusdem Brev., quæ habetur proxime ante R *Libera me, Domine*, ubi hæc habetur : *Sequens* R *dicitur solummodo in die Commemorationis omnium Defunctorum, et quandocumque pro defunctis dicuntur novem Lectiones.* Illud enim *quandocumque* aperte significat aliis temporibus posse novem Lectiones, ideoque et tres Nocturnos recitari. Quod attinet vero ad duplicandas antiphonas, Breviarium et Rituale in citatis Rubricis præscribunt quidem Antiphonas esse duplicandas ; sed non ideo prohibent aliis quibusque diebus duplicari. Imo ex eodem Rituali in alia Rubrica, quæ habetur proxime post. Offic. Defunct. Tit. de Officio faciendo in exequiis absente corpore defuncti, etc. aperte eruitur etiam extra dies illos duplicari posse Antiphonas : ibi enim sic legitur : « Si faciendæ sint exequiæ absente corpore, eo die « quo bene visum fuerit, in Ecclesia dicatur Officium « mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus, Anti« phonis duplicatis; vel saltem unum Nocturnum cum « tribus Lectionibus, et laudibus et Missa. Hoc ipso autem, quod dicitur : *eo die, quo bene visum fuerit*, potest is dies esse alius a die obitus, vel depositionis, aut tertio, septimo, trigesimo, vel anniversario. Bene itaque Gavantus in Rubr. Brev. sect. IX. cap. 2, n.

» 3, ait = Invitatorium dicitur, ut in propria Rubri-
» ca nempe in die commemorat. omnium Fidelium De-
» functorum, in die depositionis, seu obitus defuncti,
» etiamsi unum tantum dicatur Nocturnum, ut habetur
» in Rituali Romano. Itemque in die depositionis, ter-
» tio, septimo, trigesimo, et anniversario, et regula-
» riter quando tres Nocturni dicuntur. Qua in re, sub-
dit Caval. tom. 3, cap. 2. Decr. 9, num. 5, quum con-
cordent Durandus lib. 5, c. 3, Guyetus quæst. 17, Cor-
settus, Baruffaldus, aliique communiter, dubitari non
licet. Qui quidem Caval. cit. cap. Decr. 8, num. 2, ex
sententia quoque Guyeti ait: *In enumeratis itaque die-
bus, et in quolibet Officio solemni duplicentur Antipho-
næ, etsi unum dumtaxat dicatur Nocturnum.* Igitur si
in aliquibus Ecclesiis sit consuetudo, ut etiam extra præ-
dictos dies solemniter recitetur aut integrum officium de-
functorum, aut unum tantum Nocturnum cum Invitato-
rio, et duplicatis Antiphonis, non est utique reprehen-
denda, dummodo addatur in Vesperis Psal. Lauda
anima mea, Dominum etc. et in Laud. Psalm. De profundis
etc., qui Psalmi omittuntur tantum in die commemor.
omnium Fidelium Defunct., et in die obitus, seu depo-
sitionis defuncti: cæteris vero quibuscumque diebus
semper et omnino dicuntur, ut sæpe decrevit S. R. C.,
et videre est apud Meratum in cit. loc. Gavanti num. IV.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Quum duo Parochiani, a pluribus annis
inter sese maxima contentione decertantes circa cujus-
dam prædii dominium, quod uterque sibi vindicabat,
quemdam Regularem, communem amicum, atque in
jurisprudentia versatissimum, veluti unicum arbitrum
sibi eligere vellent, obstitit Archipresbyter, contendens
religiosas personas arbitri munere fungi non posse. Ve-
rumne docuit?

Resp. Arbiter compromissarius (de quo dumtaxat hoc
loco quæstio est, qui nempe ab ipsis partibus litiganti-
bus voluntarie assumitur ad litem inter eas dirimendam)

alius est proprie talis, alius improprie dicitur. Arbiter proprie talis, ille est, qui ita a partibus eligitur, ut debeat procedere, et pronuntiare sententiam servato ordine juris ac forma judicii. Improprie autem ille dicitur arbiter, quem partes eligunt, ut ex bono et æquo, non tamen servato juris ordine, sed amicabiliter litem componat; qui proprio vocabulo *arbitrator* dici solet. Si igitur Archipresbyter ille contendit nullum Religiosum, licet versatissimum in jurisprudentia, esse posse arbitrum proprie dictum, recte utique sentit. Nam id communiter asserunt DD., colliguntque ex can. 11. *Monachi* 16, q. 1, et ex cap. 2, de postulando; nec alia exceptio admittitur, nisi in causa ad Monasterii utilitatem pertinente, et quidem de mandato seu licentia expressa sui Prælati. Si vero Archipresbyter negavit Religiosum esse posse arbitrum etiam improprie, i. e. arbitratorem, falso id nevagit. Quum enim officium arbitratoris ad partium concordiam et pacem, adeoque ad opus charitatis principaliter tendat, nihilque negotii forensis contineat, non est profecto a religioso statu alienum, etiamsi de sæcularium lite componenda agatur. Quare Religiosus valide illud Susciperet, et exequeretur etiam sine licentia sui superioris; et licite etiam quandoque cum sola licentia ejusdem tacita, vel præsumpta.

CAS. II. — Suspicionem habens Candidus, ne Mœvia ejus uxor sit plus æquo amica Sempronio, ab eadem, quoad torum, sese separavit; cujus quidem injuriæ quum ipsa conquesta sit apud Candidi Confessarium, hic eumdem admonuit, ut rediret ad uxorem, quod illa separatio in tali circumstantia ipsi non liceat. Meritone ad id adstringitur?

Resp. Vel suspicio Candidi levis est ac temeraria, et merito Confessarius eum adstringit ad redeundum ad uxorem. Vel suspicio gravis est ac prudens, manifestisque indiciis innixa: veluti si Candidus quosdam actus nimis familiares, minusque honestos aut propriis oculis vidisset, aut a testibus de visu ac fide dignis audiisset: et tunc si Candidus nondum corripuerat ac mo-

nuerat uxorem, ut ab hujusmodi familiaritate et actibus abstineret, prudenter adhuc a Confessario adstringitur, ut ad uxorem redeat; nam forte per simplicem verbalem correctionem obtinebit, ut uxor resipiscat, et in posterum caveat. Si vero Candidus jam antea uxorem admonuerat, et pœnam etiam aliquam fuerat comminatus, dummodo non in perpetuum, neque ad longum tempus, sed ad breve dumtaxat, et in pœnam ejus inobedientiæ ac petulantiæ sese ab ea quoad torum separavit, quin tamen interim probabiliter timeret in uxore periculum incontinentiæ, non videtur quoad hoc reprehendendus, neque statim adstringendus, ut ad uxorem revertatur. Ratio est, quia si Candidus ex justa et violenta suspicione fornicationis posset uxorem dimittere juxta Can. *Dixit Dominus* 32, q. 1, juncta Gloss. i. e. ab ea perpetuo separari non solum quoad torum, sed etiam quoad habitationem: quidni ex gravi et prudenti suspicione amicitiæ non omnino honestæ cum Sempronio, orta ex certa notitia actuum nimis familiarium, minusque honestorum, qui certe ad fornicationem disponunt ac tendunt, poteritne ad breve tempus eo modo quo diximus, ab ejus toro se separare? Potest utique Candidus inobedientiam suæ uxoris moderate punire, quippe quæ lege divina subdita esse debet tanquam capiti, et subjecta in omnibus viro suo: (Ephes. 5.) At hic forsan alio genere pœnæ uti non potest, (veluti mediocri fustigatione, seu alapis, aut colaphis, aut alio modo pro conditione personæ) ad evitandos rumores, inimicitias, et scandala, quæ in sua familia, atque inter ipsum et consanguineos uxoris, et etiam apud vicinos facile inde orirentur. Neque obest quod ait Apost. 1 Cor. 7, *Uxori vir debitum reddat, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: et nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus.* Etenim id totum hoc unum significat, scilicet non debere virum sine rationabili causa debitum denegare uxori, aut ab ea abstinere, ipsa rationabiliter invita, et vicissim. Atqui in nostro casu, secluso, ut diximus, periculo incontinentiæ, habet Candidus rationabilem causam negandi ad breve tempus uxori debitum,

et irrationabiliter uxor esset invita, quod brevi tempore privaretur a marito jure suo, postquam ipsa contra jus mariti non satis honeste se gessisset cum Sempronio : ergo, etc.

CAS. III. — Quum intra fines cujusdam ruralis Parœciæ casu obierit quidam Pedemontanus dives, qui Romam petebat, Sacra Apostolorum Limina visitaturus, eleemosynam pro ejusdem Sepultura duplo majorem, ea quam ab incolis exigere permittunt Diœcesana nostra statuta, sibi deberi Parochus contendit, eamque reapse voluit : Justene?

Resp. In hac Diœcesi nonnisi injuste a Parocho exigi eleemosynam duplo majorem pro sepultura alienigenæ, quam dari soleat pro sepultura incolæ. Ratio est, quia generatim Parochi quoad eleemosynam pro exequiis, et sepulturis nullum aliud jus habent, nisi quod aut Synodi, aut Statuta, vel Decreta Ordinariorum, aut laudabilis consuetudo ipsis concedunt. Nam alioquin de jure communi nihil omnino possunt exigere, ut citatis juribus ostenditur in eruditissima Institutione, quam *de sepultura* edidit Emin. noster Archiep. Card. Malvetius die 2 Novembris An. 1762, num. XXII. Atqui in hac Diœcesi neque ulla Synodus, neque ullum Statutum, aut Decretum Ordinarii, neque laudabilis consuetudo jus concedit Parochis exigendi eleemosynam duplo majorem pro sepultura alienigenæ, quam pro sepultura incolæ. Imo expresse id ipsis interdicitur in laudata institutione num. XXIX. Ergo nullo jure, imo contra jus, quod habent hæredes defuncti non dandi majorem eleemosynam pro alienigena, quam dari solet pro incolis, eam duplo majorem exigeret Parochus, ac proinde prorsus injuste.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Capellanus, executor testamentarius a quadam muliere sua Pœnitente relictus, petit a Parocho, an id muneris suscipere possit, quidve ipsi agendum sit

et observandum, antequam legata solvat, quæ ab ea in suo Testamento relicta fuere. Quid respondebit Parochus?

Resp. Executoris testamentarii munus posse etiam a Clerico in sacris ordinibus constituto suscipi: id enim infertur ex cap. *Tua nos* 17 de Test., et cap. *Joannes Clericus* 19 cod. tit., et communiter DD. affirmant. Quoniam vero executor testamentarius potest esse vel *universalis*, cui nempe totius ultimæ voluntatis executio committatur; ut contingit, quum in testamento non alius instituitur hæres præter pium locum seu causam piam, aut pauperes in communi, ideoque testator deputat aliquem, qui aut solus, aut una cum aliis designatis executioni mandet, et adimpleat totam suam ultimam voluntatem: vel *particularis* tantum, cui testator non integræ voluntatis, sed alicujus dumtaxat dispositionis particularis executionem committat: idcirco si Capellanus fuit in testamento mulieris constitutus executor universalis, Parochus debet eum monere, ut in primis faciat inventarium adhibitis testibus, et etiam, si opus sit Notario: tum solvat debita omnia, si quæ extant, mulieris defunctæ; detractisque omnibus expensis necessariis sive pro funere, sive pro alia quacumque re, videat an quod superest satis sit implendis omnibus legatis; et si quidem satis sit, debet statim legata ipsa solvere, adimplendo prius ea, quæ citius expiandæ, seu suffragiis adjuvandæ animæ ipsius defunctæ prosint, et quorum dilatio legatariis ipsis posset esse damnosa. Si vero detractis ære alieno et expensis necessariis, quod superest, non sufficiat ad legata omnia solvenda, communis sententia est, tunc solutionem legatorum faciendam esse ac ratam; seu reliqua bona distribuenda esse pro rata cujusque legati, etiamsi alia legata sint pia, alia non; quia non licet uni præ aliis gratificari, et par videtur esse omnium ratio et jus. Denique omnium quæ expenderit aut distribuerit, exactam descriptionem penes se habeat executor, ut rationem Ordinario, si ea exigatur, reddere possit.

Quod si Capellanus executor tantum particularis fuerit

in testamento, deputatus pro implendis particularibus quibusdam dispositionibus et legatis, debet, postquam hæres adivit hæreditatem, eum admonere, ut sibi ea omnia tradat, quæ necessaria sunt ad illas dispositiones et legata exequenda : ultimæ enim voluntates debent quam primum executioni mandari ; et præsertim legata sine mora præstari debent, ut constat ex l. *Cum res* 47, ff. de Legat 1, nisi eis exequendis certum tempus fuerit a Testatore assignatum. Quod si hæres diutius, et sine causa rationabili differat suppeditare ac tradere, quæ adimplendis particularibus dispositionibus executori sunt necessaria, debet hic illum in jus vocare, ut a judice compellatur. Hæc omnia passim apud. DD. præsertim Canonistas videri possunt.

CAS. II. — Sacerdotem quemdam jam a multis annis domi suæ retinet Flavius nobilis vir, ut rerum suarum administrationem et curam gereret, quam ipse semper fideliter præstitit : sed quum scrupulum de tali cura et administratione ipsi Theologus quidam injecerit, eamque etiam deserere monuerit, suum adit Archipresbyterum, ab ipso petens, an talis administratio sibi liceat. Quale erit Archipresbyteri consilium?

Resp. Administrationem alienorum bonorum sæcularium illicitam revera esse Ecclesiasticis viris, et præsertim Sacerdotibus : nam hujusmodi administratio multum eos distrahit a rebus divinis, impeditque, ne in officiis et operibus ipsorum statui convenientibus sese exerceant. Accedit, quod plerumque non alia de causa administratio illa ab eis suscipitur, nisi cupiditate temporalis illius emolumenti, seu stipendii, quod administratoribus, seu œconomis dari solet : quod quidem in Clerico avaritiam redolet, a qua tamquam omnium malorum radice si omnes Christi fideles abhorrere debent, multo magis profecto Ecclesiasticæ personæ in sortem Domini vocatæ. Præterea bonorum administratores famuli quodammodo constituuntur, atque ut tales communiter ab omnibus habentur dominorum illorum, quorum bona administrant : indecens autem videtur, ut vir Ecclesiasticus, maxime vero Sacerdos, qui sua dignitate et gradu

sæcularis dignitatibus longe antecedit, sese subjiciat famulatui hominis sæcularis. Quare jure canonico Clericis expresse interdicitur hujusmodi administratio et cura, ut videre est cap. 2, *Ne Clerici vel Monachi,* ubi dicitur: *Sacerdotibus et Clericis tuis denuncies publice, ne ministri laicorum, nec in rebus eorum procuratores existant.* Quare in Synodo Eminent. Archiep. Jacobi Boncompagni lib. 3, c. 1, de vita, et de honest. Cler. §. *Quantum decedet,* Clericis generatim præscribitur. — *OEconomos pro laicis familiis ne se constituant.* Et Eminentiss. noster Archiep. Vincentius Malvezzi in Confirmatione Edictorum circa Ecclesiasticos Italice edita die 9 Septemb. anno 1755. §. *La prima occupazione,* sub iisdem pœnis, quibus cuicumque Clerico et Sacerdoti etiam extero negotiationem interdicit, vetat pariter suscipere administrationem alienorum bonorum. Denique SS. D. N. Clem. XIII, feliciter regnans Constit. seu Epistola ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos super observantia Canonicarum sanctionum adversus Clericos negotiatores, et sæcularibus negotiis se immiscentes editarum, incip. *Quum primum,* eman. 17 Sept. 1759, hujusmodi sæcularium rerum administrationem in Ecclesiasticis viris improbat, eosque ab illa omnimode revocandos jubet. Quare Archipresbyter debet Sacerdoti, de quo agitur in casu, consilium dare, ut administrationem illam statim deserat; vel si gravis aliqua causa urgeat, ut eam adhuc aliquamdiu retineat, confugiat ad Ordinarium, ab eoque facultatem petat continuandi, quoad necesse erit, hujusmodi administrationem.

CAS. III. — Sacerdos, Missam celebraturus de Rogationibus in die sancti Marci, peracta Processione, putat canendum esse in ea Symbolum Nicænum, sive quod est dies Dominicus, sive quod Ecclesia, in qua celebratur, et ad quam Processio ipsa terminatur, est Deo in ejusdem Sancti honorem dicata: Verum ne censet?

Resp. Quamvis extet Decretum S. R. C. 23 Maii 1603, in Hispalen, apud Merat. in Ind. 18, præscribens: *Si Processio Litaniarum Majorum terminatur ad Ec-*

clesiam S. Marci, cantetur ibi Missa de S. Marco, non vero de Rogationibus: quemadmodum cavetur etiam in Cæremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 32: attamen contingere utique potest, ut Processio Rogationum in die S. Marci terminet ad Ecclesiam ejusdem Sancti, et tamen ibi cantetur Missa de Rogationibus, nempe quando Ecclesia illa est Collegiata, in eaque die illo duæ cantantur Missæ, una de S. Marco, altera post Processionem de Rogationibus: nam prædictum Decretum procedit duntaxat, quum Ecclesia, ad quam terminat Processio, est minor, seu non Collegiata, ibique eo die una tantum Missa cantatur, ut constat ex alio Decr. ejusdem S. Congr. in una Galliarum 10 Januarii 1693 apud Merat. in Indice n. 507. In casu igitur, quo die S. Marci, atque in ejusdem Ecclesia post Processionem cantanda sit Missa de Rogationibus, puto non esse in ea dicendum Symbolum, licet dies illa sit etiam Dominica. Etsi enim juxta Rub. Gen. Miss. part. 1. tit. 11. Symbolum dicitur in omnibus Dominicis, etiamsi in illis fiat de festo, in quo alias non diceretur, vel Dominica vacet; et etiamsi dicantur Missæ votivæ solemniter pro re gravi in paramentis violaceis. Item Symbolum dicitur in festo Tituli Ecclesiæ: attamen juxta Decr. S. R. C. 25 Septemb. 1688 in Mutinen. *Occurrente Festo S. Marci die Dominica in Missa Rogationum, non dicitur Credo, quia est Missa ferialis:* apud Merat. in Ind. n. 490; sicut etiam: *Occurrente festo S. Marci infra Octavam Paschæ in Missa Rogationum, non est dicendum Credo*: ex alio Decr. ejusd. Cong. apud Caval. in Indice tom. 5, n. 15. Ergo etiam occurrente Titulo Ecclesiæ in circumstantia paulo ante explicata non erit dicendum Symbolum ob eamdem rationem; præsertim quum in eadem Ecclesia, ut diximus, Missa alia de eodem festo cantetur.

MENSE MAII.

CAS. I. — Pauperrimus quidam rusticus, ad extremam usque necessitatem eo tempore, quo urgebat rei

frumentariæ inopia, redactus, quum sibi ab aliquo ne minimum quidem erogaretur, eo usque miseriæ devenit, ut per aliquot menses, ne fame periret, farinam a quodam pistore clam surripere fuerit coactus. Quum autem, Deo dante, maximæ inopiæ satis copiosa messis successisset, tum ex eleemosynis quas recipit, tum ex proprio suo labore tanta congessit, ut nedum sibi ad victum abunde sufficiant, sed etiam compensando damno, quod pistori ex eâ farinæ subreptione attulerat, resarciendo paria esse possint. Teneturne ad tale damnum reparandum?

Resp. non teneri. Quia, ut ait D. Th. 2. 2, q. 66, a. 7, ad 2, *per talem necessitatem* (scilicet extremam) *efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandum propriam vitam;* quia nempe in extrema necessitate omnia bona sunt communia. Quare dummodo pauper ille nihil amplius surripuerit, quam quod præcise exigebat sua, aut etiam suorum extrema necessitas, quoniam tunc jus habebat illud surripiendi, et faciendi suum, ad nullam restitutionem, seu damni compensationem tenetur.

CAS. II. — Rogatus Confessarius ab Apulejo suo Pœnitente, ut secum peteret Lauretum, visitandæ gratia Almæ Domus, in qua ineffabile Incarnationis Mysterium peractum fuisse pie creditur; quum eo pervenerit, absque alia facultate ejusdem Sacramentalem Confessionem excepit: Valide ne?

Resp. cum distinctione. Vel Confessarius Apuleji erat proprius ejus Parochus; vel non. Si primum, dico valide Parochum excepisse ejus Confessionem. Nam quum Parochus ordinariam habeat jurisdictionem erga suos Parochianos, potest hanc etiam extra propriam Parochiam, imo etiam extra Diœcesim, in qua est Parochus, in eosdem suos Parochianos exercere; quum jurisdictio illa ordinaria in foro conscientiæ voluntaria sit, non litigiosa. Unde si absque ullo scandalo Parochus Confessionem illam excepit, licite etiam egit.

Si secundum, nempe si Apuleji Confessarius habebat tantum jurisdictionem delegatam in Diœcesi, unde dis-

cessit, quoniam hæc extra locum jurisdictionis ipsius Delegantis nullo modo potest extendi, Confessio illa fuit invalida, et quidem respectu Confessarii fuit etiam illicita, quippe in hac re non potest contingere in Confessario ignorantia invincibilis; nam quisque scire tenetur, quæ præcipua sunt in suo officio. Dixi *respectu Confessarii*, nam respectu Pœnitentis, si hic rudis erat, et bona fide egit, nullo modo peccavit. Videri quoad hunc casum potest Institutio Emin. olim Archiep. Bonon. Prosperi Lambertini, postea Bened. XIV., glor. record. 19, tom. 4, edit. Ital., Latinæ vero 86, num. 7.

CAS. III. — Audiens Clelius Parochus, quemdam virum nobilem in suo Testamento statuisse, ut si ruri extremam diem claudere ipsi contingat, non alibi velit ut ejus corpus sepulturæ tradatur, nisi in sua Parochiali Ecclesia, intra cujus fines adest ruralis ipsius Domus, eidem suasit, ut jurejurando sese obliget de non mutanda hac ipsa dispositione. Incurritne aliquam pœnam? Ad clariorem resolutionem propositi casus nonnulla prænotanda sunt.

Notandum itaque 1. in Clem. Cupientes 3, de pœnis § fin. excommunicationem latæ sententiæ, et Sedi Apostolicæ reservatam indici contra *temerarios violatores* Constitutionis Bonif. VIII. cap. 1, de sepulturis in 6., *quæ Religiosis et Clericis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent.*

Notandum 2. Ad incurrendam istam excommunicationem multa requiri, seu intervenire debere; quorum si aliquod desit, ea non incurritur. I. namque requiritur temeritas; nam censura illa est lata contra *temerarios violatores*. Quare juxta communem doctrinam de censuris, si Religiosus vel Clericus sæcularis ex ignorantia, non tamen affectata, putans se nihil mali agere, transgrederetur constitutionem illam, non esset excommunicatus. II. Requiritur, ut Religiosus, vel Clericus sæcularis non solum suadeat, hortetur, precetur, sed

revera et affectu ipso inducat ad vovendum, jurandum, aut alias promittendum, ut optime advertit Cajet. in sum. v. Excommunicatio, cap. 49., et Navar. Man. cap. 27, num. 103. III. Requiritur, quod sepultura sic electa sit in Ecclesia ejus, qui persuadet et inducit, ut juxta communem sententiam notat cit. l. Navar. IV. denique requiri videtur, ut sepultura, ad quam eligendam, vel jam electam non immutandam inducitur quis vovere, jurare, aut promittere, non sit illa, ad quam de jure ejus cadaver pertineret; idque satis clare videtur colligi ex ipsa Decretali Bonif. VIII, ubi hæc habentur: «Nos enim (si secus actum fuerit) electionem talem « decernimus nullius penitus existere firmitatis. Statuen- « tes, ut hi qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias « ullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, jura- « mentum, aut promissum hujusmodi a se factum, ma- « teriam habeant veniendi) possint eligere sepulturam: « sed contradictione quacumque cessante, sepeliantur « omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de « jure fuissent, si alias sepultura non electa forsitan « decessissent. Si vero iidem Religiosi, vel Clerici præ- « dictos in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis præsumpse- « rint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum cor- « porum (si petantur) quam etiam omnium, quæ occa- « sione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad « eosdem, intra decennium integraliter faciendam ipsos « obligatos esse censemus. Quam nisi fecerint, Ecclesiæ « ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non et cœmete- « ria earumdem ex tunc eo ipso sint, et tamdiu maneant « ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta « fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.» Ex quibus verbis manifeste apparet constitutionem Bonifacii VIII., quæ in cit. Clem. innovatur, seu roboratur adjecta pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et Sedi Apostolicæ reservatæ (*pœna in dicta Constitutione,*) scilicet Bonifacii (*contenta in suo perdurante robore*) ut ibidem loquitur Clemens V., non habere locum quoad eos Religiosos, vel Clericos, ad quorum Ecclesias de jure pertineret sepultura illorum, qui ab eisdem inducti essent ad vovendum, jurandum etc.

quippe in ipsos cadere non potest pœna ab ipso Bonifacio statuta, et a Clemente confirmata, ad quos proinde nec extenditur censura illa excommunicationis ab eodem Clemente in subsidium addita : quum hæc non alios afficiat, quam quos jam afficiebat Bonifacii decretalis.

Notandum denique 3, in Institutione de Sepultura, edita ab Emin. nostro Archiep. Vincentio Malvezzi 2 Novemb. 1762, num. XVIII, decretum fuisse, ut sequitur : » Si aliquis civis, sive adultus sit, sive puer, morietur « Ruri, quod tribus milliariis minimum distet ab Urbe, « aut e contrario aliquis Ruri habitans in eadem distan- « tia venerit ob aliquod negotium ad Urbem, ibique mo- « rietur, poterit primus sepeliri a Parocho Ruris, et « alter a Parocho Urbis, quin aliquid inquiratur a Pa- « rochis eorum domicilii, ad quos ne ullum quidem « emolumentum spectat, dummodo consanguinei non « instent ut sepeliantur in sepulchris suarum respecti- « varum familiarum. »Et num. XIX. sic decernitur : « Si tamen aliquis morietur intra triam illiaria ab Urbe, « sepeliendus erit in Parochia aut Urbis, aut Ruris, ubi « suum habebat verum domicilium, dum alibi sepultu- « ram non elegerit, aut non habeat sepulcrum proprium, « vel familiæ.» His notatis.

Resp. Si Clelius Parochus suasit tantum, sed reipsa non persuasit, nec induxit nobilem illum virum ad jurandum, nullam pœnam incurrit, ex not. 2. req. II. Si vero etiam persuasit, et induxit, sed Rus distat ultra tria milliaria ab Urbe, nec vir ille nobilis habet alibi sepulchrum proprium, aut familiæ, adeo ut juxta not. 3, ibi moriens ab illius Ruris Parocho deberet sepeliri, pariter Clelius nullam incurrit pœnam, ex not. 2, req. IV. Si autem Clelius Parochus et induxit virum illum nobilem ad jurandum, et hic habebat alibi sepulchrum proprium, aut familiæ; aut Rus est intra tria milliaria ab Urbe, in qua suum habet verum domicilium, Clelius excommunicationem latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatam incurrit ex not. 1., et nobilis ille vir non potest amplius eligere alibi sepulturam; et si forte hic in illo Rure moriatur, et in Parochiali illa Ecclesia sepeliatur,

Clelius Parochus subest etiam pœnæ latæ in Decretali Bonif. VIII. juxta not. 2, req. IV.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Subdiaconus plures boves emitsuis colendis patrimonialibus prædiis, quorum quatuor, quum sibi superflui sint, Flavio vicino suo locare, ut vulgo aiunt, *a giovatico* statuit : quod resciens ejusdem Parochus, id ipsum exequi non posse docet, quin in pœnas adversus Clericos negotiatores a sacris Canonibus, ac Pontificiis Constitutionibus inflictas incurrat : Verumne Parochus docuit ?

Resp. falsum docuisse Parochum : nam in jure Canonico inter negotia Clericis prohibita recensetur quidem *conducere, seu conductores rerum sæcularium esse*, non vero locare res suas. Unde Canonistæ ac TT. communiter affirmant licere Clericis non solum vendere, aut retinere, et alere in propriis pascuis, sed etiam locare boves, oves, aliaque animalia, quæ habent sive ex successione, sive ex decimis, dummodo id decore et modeste fiat. Et quamvis concedam fore negotiationem Clericis interdictam, si quis boves, equos, aut alia hujus generis animalia emat ad hunc finem, ut ea locet : id enim revera esset turpe lucrum : tamen quod aliquis Clericus locet boves jam suos et alio honesto fine emptos, ut in casu proposito, præsertim si id faciat pro evitandis tum molestiis et curis, quas forte subiret pro vendendis bobus illis sibi superfluis, tum etiam expensis quas interim facere deberet in iis alendis, aut mittendis ad mercatus, non videtur posse ullo pacto reprehendi illicitæ negotiationis. Quemadmodum licet sit negotiatio Clericis vetita ad aliquid studiose emere, ut immutatum carius vendatur : non est tamen illicitum Clerico, neque dici poterit negotiationem vetitam exercere, si forte quidquam emerit ad suum usum, quod postea minus utile repertum, aut superfluum, carius quam emerit, vendat, dummodo intra limites justi pretii, ut communiter notant omnes DD., et advertit etiam Bened. XIV, fel. record. de Syn. Diœc. lib. X. cap. VI, n. II, in fin.

CAS. II. — Idem Subdiaconus sui Parochi doctrinæ acquiescens, ab eodem petit, an saltem possit boves ipsos, quos retinet, propriis colendis prædiis, dum sibi vacant, aliis pro certa mercede locare; et si quos ex ipsis habuerit fœtus, retinere et alere, ut eosdem suo tempore aut vendat, aut etiam alteri locet justo pretio et honesta ratione. Quale erit Parochi responsum?

Resp. Respondere debet Parochus id licitum esse, ut patet ex resolutione casus proxime antecedentis. Et quoad casum hunc juvat referre duas resolutiones Sac. Congreg. Conc., quas una cum aliis similibus exscribit Fagnanus in Cap. *Multa*, ne Clerici, vel Monachi a num. 38, usq. ad 44, ipsomet Secretario editis. Altera est «posse Clericos pro culturæ usu (scil. suorum beneficialium, aut patrimonialium) boves et alia animalia necessaria « cœmere, illorumque fœtus justo pretio atque honesta « ratione vendere, nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere. Altera « Item censuit posse retinere et locare boves, oves, et « alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere absque crimine « illicitæ negotiationis.»

CAS. III. — Quum Joannes Parochus Tibiam habeat in propria Ecclesia, sancti Onuphrii Eremitæ, Officium sub ritu duplici recitare, Missamque celebrare de illo posse contendit; imo ad quamdam majorem celebritatem, excitandamque in populo erga eumdem Sanctum devotionem venerationemque, virum doctum consulit, an possit ab Eminentissimo ac Reverendissimo Card. Archiepiscopo facultatem petere, ut imposterum, pro ejus festo celebrando, secundam Dominicam hujus mensis statuere dignetur. Quid resolves?

Resp. Quoniam S. Onuphrius Eremita est Sanctus in Martyrologio Romano descriptus; nam ibi fit ejus mentio die 12 hujus mensis Junii: certe si Joannes Parochus haberet in sua Ecclesia insignem ejusdem Sancti Reliquiam, eamque approbatam, posset ea die recurrente Officium sub ritu duplici minori recitare, Missamque de

Sancto illo celebrare juxta varia Decreta S. R. C., quæ notat Meratus in suo Indice sub Decreto 6., quod jam citaverat noster Gavantus in Rubr. Brev. sect. 1, cap. 5, tit. 2, num. 8, sed Tibia ejusdem Sancti quam habet Parochus in sua Ecclesia, non est revera insignis Reliquia. Nam juxta Decretum S. R. C. 8 Aprilis 1628. « Insignes Reliquiæ (quarum ratione recitari potest « Officium sub Ritu duplici Min.) sunt Caput, Brachium, « Crus, aut illa pars Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab « Ordinariis approbata: « apud Merat. in Ind. n. 59. Jam vero Tibia est pars dumtaxat cruris; Crus enim ex duobus ossibus constat, scil. ex tibia, et fura. Nequit ergo Parochus ratione illius Reliquiæ recitare Officium, aut celebrare Missam de Sancto illo, ac proinde inane est Parochi desiderium transferendi ejus festum in diem Dominicam. Quod quidem sola auctoritate Ordinarii fieri non posset, etiamsi Reliquia esset revera insignis; quia obstat Decr. S. R. C. 3 Junii 1662, in quo licet sit sermo de Sancto Martyre, eadem tamen est ratio de alio Sancto. Integrum autem afferam, qui omnia supradicta confirmat. « Episcopus non potest statuere diem Dominicam « ad celebrandum Festum alicujus Sancti Martyris, de « quo asservatur Reliquia insignis in aliqua Ecclesia; « nec de eo celebrari debere Officium et Missam in ipsa « die sui Martyrii, nisi Reliquia sit de Sancto scripto « in Martyrologio Rom., et nisi constet de identitate « Reliquiæ ejusdem Sancti. Tibia autem non est Reli- « quia insignis.» Refertur Merat. in Ind. sub num. 82.

MENSE JULII.

CAS. I. — Contractis a Proculo Sponsalibus validis cum Serpilla vidua, et præstito ab ipsis coram Parocho, de Matrimonio contrahendo, mutuo consensu, quum præscriptæ denunciationes fierent, sæpius eamdem in quodam determinato loco, extra tamen domum, vel propriam, vel sponsæ, carnaliter cognovit: Poteritne a simplici Confessario absolvi?

Resp. per se loquendo in hac Civitate ac Diœcesi Bononiensi non posse, propter excommunicationem latæ sententiæ, et Ordinario reservatam, quam hic incurrunt sponsi, qui se invicem cognoverint ante contractum per verba de præsenti matrimonium, ùt habetur in Syn. Diœc. sub Eminent. Archiep. Jacobo Boncompagno lib. 2, cap. 9, de Sacr. Matr. §. *Caute se gerant.* Dixi, *per se loquendo*; quia si pœnitens invincibiliter ignoraverit censuram illam, utique poterit in proposito casu a simplici Confessario absolvi.

Neque dicas, ad incurrendam illam excommunicationem tres circumstantias requiri, ut contextus ipsius Synodalis Constitutionis satis indicat. Prima est, ut sponsi sint filiifamilias, et sub cura parentum. Nam citato loco dicitur: *Interim, et contrahentibus, et eorumdem parentibus, etc.* Secunda, ut se cognoscant cohabitantes, et quidem solus et sola in eodem cubiculo vel domo: ibi enim post mox notata verba sequuntur hæc: *ad evitandum omne periculum, cohabitationem solius cum sola in eodem cubiculo vel domo penitus interdictam enunciabunt.* Tertia, ut sponsa sit virgo, adeo ut per copulam illam defloretur, ut patet ex ultimis illius §. verbis: *insuper pœna mulctandi* (scil. parentes) *viginti aureorum, aliisque arbitrariis, cum qui viam stupris intercludere tenentur, ipsi turpiter aperiant.* Stupri autem nomine hic potissimum intelligitur virginis defloratio, ut patet ex cap. 6, ejusdem libri de casib. Reserv., ubi stuprum virginum reservatur. Quum ergo in casu proposito non inveniatur ulla ex tribus recensitis circumstantiis; etenim Serpilla Sponsa, quam Proculus cognovit, dicitur *vidua*, sicque non amplius consideratur tanquam filiafamilias, sed velut sui juris: et eo ipso quod est vidua, non supponitur virgo, licet fortasse esse posset: et eamdem Proculus cognovit *in quodam determinato loco, extra tamen domum vel propriam, vel sponsæ*, ut fert casus ipse: profecto dicendum videtur, Proculum in excommunicationem illam non incidisse, ideoque posse per se a simplici Confessario absolvi.

Contra enim: licet non sine aliqua probabilitate quæ-

dam circumstantiæ exigi videantur ad excommunicationem illam incurrendam; attamen multo probabilius est eam sine illis incurri a quibuscumque sponsis, qui se invicem, et ubicumque cognoverint anter ite contractum matrimonium per verba de præsenti. Nam Synodi mens fuit pœnam illam inferre primo quidem in ipsos sponsos de futuro, quicumque ii sint, qui simul fornicentur, scilicet ad præcavendum grave illud peccatum, quod nisi coerceretur gravi aliqua pœna, tam facile committeretur ob familiaritatem, quæ intercedere plerumque solet inter sponsos de futuro. Et hac de causa in plerisque Italiæ Episcopatibus peccatum illud fuit absolute saltem quoad mares reservatum. In hac autem Urbe ac Diœcesi Bononiensi inter casus reservatos non habetur, quia satis reservatum est per reservationem censuræ, quæ ipso facto incurritur. Deinde quoniam sæpe aut ex gravi imprudentia et negligentia, aut etiam ex malitia parentes filiis suis sponsis indulgent, ut Sponsus solus cum Sponsa interdum moretur, et hinc facile sequitur inter eos copula; ad hanc ipsam copulam magis cavendam extensa est ipsa excommunicatio etiam ad parentes, si forte sint sponsorum, si nimirum expresse, vel tacite ad ipsam copulam consenserint; addita etiam pœna pecuniaria pro foro externo, nempe ad magis puniendam in eis culpam, seu sponsorum copulam, cujus causa sunt vel directa, vel indirecta, quam tamen ex officio impedire tenentur. Hanc autem esse illius constitutionis sententiam verba intermedia satis explicant: *Sub excommunicatione ipso facto incurrenda, nobisque reservata, si aut sponsi se invicem cognoverint, antequam per verba de præsenti matrimonium rite celebraverint, aut parentes assensu præstito, sive tacito, sive expresso, ut copulentur indulserint.*

Cæterum (ut objecta proprius ac singillatim discutiamus) neque ex eo quod aliqua sit vidua, dici statim potest sui juris; nam si mulier nupta, quæ subdita est viro, non ideo eximitur a patria potestate, ut communiter docent Jurisconsulti, et satis id constat ex l. *Si uxorem* C. de condit. inser., etiam vidua a fortiori potest esse potestati patriæ subjecta.

Neque vocabulum stupri solam virginis defloralionem significat; nam præterquam quod stuprum in jure latissime usurpatur, stricte tamen ac proprie sumitur pro illicita copula sine vi vel cum virgine, vel cum vidua alias honesta, ut habetur § 4. Institut. de publ. jud. et l. 6, ff. ad Leg. Jul. de Adult. dicitur: *stuprum in virginem, viduamve committitur*. Neque demum circumstantiam loci, in quo sponsi copulam habeant, excommunicatio in Synodo lata ullo modo respicit: nam Synodus vult primum, ut Parochi et sponsis de futuro, et eorum parentibus enuntient interdictam esse cohabitationem solius cum sola in eodem cubiculo vel domo, ad evitandum omne periculum; tum vero censuram illam fert absolute prorsus et contra sponsos de futuro copulam habentes, et etiam contra parentes consentientes in copulam, nullo habito respectu ad locum, in quo copula sequatur: adeo ut sponsi fornicantes, et etiam parentes copulæ consentientes in eam excommunicationem incidererent, quamvis extra domum quocumque tandem in loco, et copula sponsorum, et parentum consensus haberetur, ut verba Synodi perpendenti satis manifeste apparet. Certe Eminentissimus olim Archiepiscopus Bonon. Prosper Lambertinus, postea SS. Pontif. Bened. XIV, in sua Institut. edit. Ital. 5, tom. 3, Lat. vero 46, num. 20, loquens de pœnis, quas variæ Synodi statuerunt adversus sponsos ante matrimonium mutua consuetudine commerciove utentes; referensque excommunicationem illam, de qua hic est quæstio, eam intellexisse videtur tanquam absolute latam contra quoscumque sponsos, et contra horum parentes, si sint, copulam inter illos permittentes, sine ullo prorsus respectu ad locum: ait enim «Idem « sanxit jam toties nominatus Cardinalis Jacobus Bon« compagnus in sua Synodo, ubi pœnam excommuni« cationis ipso facto, sibique tantum absolvendos de« cernit sponsos, qui ante matrimonium mutuum carnis « commercium habere non dubitent. Eidem pœnæ ob« noxios eorum parentes declarat, qui rem permise« rint. »

CAS. II. — Parochus, cujus Populus adeo frequens

est et multiplex, ut par ipse non sit, etiam proprio Capellano adjuvante, Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, alios ad id muneris Sacerdotes, diebus festis saltem solemnioribus, sibi adjutores vocat, eisque, ultra eleemosynam consuetam pro Sacro faciendo a capsula, quæ vulgo dicitur *Animarum Purgatorii*, extractam, quinque alios obolos, pro quolibet Sacerdote, quos a capsula extrahit, quæ appellatur SS. Sacramenti, eisdem solvit, insciis penitus Parochianis: Benene se gerit?

Resp. Si Parochus esset solus ac liber administrator eleemosynarum, quæ immittuntur in capsulam inscriptam pro SS. Sacramento, et ei nequaquam constaret de particulari intentione illas conferentium (hæc enim si cognosceret, esset adimplenda) certe Parochus reprehendi non posset, si eleemosynas illas erogaret etiam, saltem ex parte, in ministros idoneos Sacramentorum, qui scilicet ipsum adjuvarent in administrandis Sacramentis populo suæ Parochiæ, cui utpote numerosiori ipse cum Capellano diebus solemnioribus minime sufficit; præsertim si aliunde non haberet, unde huic necessitati consuleret. Nam hujusmodi eleemosynarum usus proculdubio cederet simul in beneficium et commodum spirituale Parochianorum, et in honorem et gloriam Christi Domini in Sacramento existentis; quippe devota et frequens hujus sumptio, et Fidelibus utilissima est, et ad ipsius gloriam et honorem maxime conducit ac pertinet. Sed quia in hac Diœcesi Parochi non habent ipsi soli liberam administrationem earum eleemosynarum, quæ pro SS. Sacramento in capsulam conferuntur, ut constat tum ex Regulis Sodalitii SS. Sacramenti (part. 1, cap. 9) quas pro Civitate et Diœcesi universa Bononiensi primum promulgavit Cardinalis Archiepiscopus Jacobus Boncompagnus; postea vero confirmavit, atque imprimi curavit anno 1751. Eminentis. tunc Archiepiscopus Prosper Lambertinus, qui fuit postea SS. Pont. Bened. XIV, tum etiam ex Institutione ejusdem 5, tom. 4. Ital. edit. Lat. autem 72, a num. 25: male utique se gereret Parochus, si clam, et insciis illis ad quos pertinet, uteretur dictis eleemosynis ad finem superius expositum. Quamvis

enim finis bonus esset, medium tamen esset malum utpote statutis ac legibus contrarium.

CAS. III. — Acriter inter sese decertant duo Parochi, qui tum Altare, tum Confraternitatem habent in propria Parochiali Ecclesia in honorem B. V. M. de Monte Carmelo, an ejusdem festo, quod ab ipsis ob populi frequentiam ac commoditatem celebrari solet die Dominico post diem sextamdecimam Julii, Missam solemnem de eadem Beatissima Virgine habere possint, in qua cantetur tum *Gloria*, tum *Credo*, altero affirmante, ut moris est, altero mordicus negante: Cuinam adhærendum?

Resp. adhærendum Parocho affirmanti. Nam vel dictum Festum B. V. M. de Monte Carmelo cum legitima facultate celebratur die illo Dominico; et sic nulla potest esse difficultas, aut dubitatio, quin eo die Missa Solemnis cantari queat cum *Gloria* et *Credo*. Nam si utrumque dici debet juxta Generales Rubricas in die propria ejusdem Festi, scil. decima sexta Julii, sicut in cæteris Festis B. V. M., quidni dicetur die illo Dominico, si cum legitima facultate, seu ex privilegio, tunc Festum illud celebretur. Vel Missa illa solemnis de B. V. M. cantatur tanquam votiva in die illo Dominico (quoniam juxta Decr. S. R. C. 20 Novembris 1662, in Aretina apud Mer. in Ind. 397. «Missa votiva Solemnis de B. V. potest celebrari in die Dominico, ratione concursus populi) etiam tunc dici in ea debet *Gloria* et *Credo*, juxta aliud Decr. ejusd. S. R. C. pariter in Aretina 16 Junii 1662, in Ind. Mer. 401. «Missa votiva cantata de B. M. V. cum *Gloria* » et *Credo* potest celebrari in die Dominico causa voti, » seu alia causa.»

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Uranius, ut vindictam sumeret de honesta quadam virgine, quam nulla ratione adducere poterat, ut suam expleret libidinem pravamque voluntatem, vitreum vas atramento plenum in ejusdem faciem injecit; quamobrem deformis evasit: Teneturne ad reparandum damnum eidem illatum?

Resp. Si virgo illa vult nubere, et ex deformitate illa contracta non potest tales nuptias sperare, quales certo habuisset sine illa deformitate, utique Uranius, si bona habeat, quibus reparare possit damnum, quod alioquin virgini esset obventurum, tenetur ita augere ejus dotem, ut ex dotis incremento æquales nuptias possit contrahere. Omne enim damnum injuste illatum, si facultas adsit, ex justitia est reparandum, ut per se manifestum est. Quod si virgo illa vitam celibem voluisset agere, etiamsi deformitas illa ei non accidisset; ideoque nullum omnino damnum pretio æstimabile passa esset, tunc Uranius tenetur quidem pro injuria satisfacere, veniam petendo saltem per alium; at nihil erogare tenetur ad compensandum damnum, quippe quod nullum sit.

CAS. II. — Amalia, quæ certam pecuniæ summam expostulaverat atque obtinuerat a Publio, quod nempe eamdem clam deflorare ausus fuisset, paucis inde transactis mensibus Manlio viro ejusdem cum ipsa parisque conditionis, et qualis antea sperare potuisset, reapse nupsit, quin ullum ex ea occulta defloratione damnum passa sit. Potestne tuta conscientia, eam pecuniæ summam, quam a Publio acceperat, retinere?

Resp. affirmat. Quia illa pecuniæ summa haberi potest loco dotis, quam stuprator jure Canonico c. 1, de adult. (quod etiam forum Civile amplectitur) solvere debet veluti in pœnam virgini defloratæ, si eam non duxerit in uxorem. Quam quidem dotem licet graves DD. doceant non teneri stupratorem erogare ante sententiam judicis, si nullum in nuptiis, aut aliud pretio æstimabile damnum puella passa sit; tamen si illam stuprator ante judicis sententiam solverit, potest utique deflorata eam retinere, quamvis et stuprum manserit occultum, et æque honestum virum sortita sit. Nihil enim vetat, quin possit quis licite accipere ac retinere, quod sibi dandum esset per sententiam judicis, etiamsi hac non expectata ipsi solvatur.

CAS. III. — Quum Parochus recens deprehenderit in sua Ecclesia, ex quadam antiqua, et immemorabili con-

suetudine, die undecima Augusti Officium sub ritu duplici minori recitari. Missamque celebrari de quodam Sancto Chromatio Episcopo Aquilejensi, dubitat. an hæc consuetudo sufficiat, ut id ipsum licite ab eo fiat. Quæ erit dubii solutio?

Resp. Stante ea consuetudine idipsum licite ab eo fieri. Nam si juxta Dec. S. R. C. 11 Junii 1605, in Visen. apud Merat. in Ind. num. 20. *Ubi viget consuetudo immemorabilis, potest recitari Officium de Communi pro Sanctis etiam non Canonizatis:* quanto magis posita simili consuetudine immemorabili recitari poterit Officium de Sancto scripto in Martyrologio Romano, cujusmodi est S. Chromatius Episcopus Aquilejensis, cujus mentio fit in eodem Martyrologio die 2 Decembris. Neque obstat huic nostræ responsioni aliud ejusdem S. R. C. Dec. 9 Decemb. 1628, in Genuen. apud Merat. in Ind. num. 67. *De Sancto Canonizato non potest fieri Officium extra propriam Ecclesiam sine novo Decreto:* id enim intelligendum est, ubi non adsit immemorabilis consuetudo, juxta Decr. superius citatum. Quod si consuetudo ista valet quoad Officium, valebit etiam quoad ritum duplicem minorem, et etiam quoad Missam celebrandam, quippe quæ *dicitur secundum ordinem Officii*, ut habetur init. Rubr. Miss.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Resignavit Chromatius Parochus quoddam beneficium in favorem cujusdam Juvenis, litterasque Apostolicas resignationem hanc approbantes accepit: at ab ipso Resignatario promissionem extorsit de possessione beneficii non accipienda, nisi imminente ipsius Resignantis morte. Est ne tutus in conscientia?

Resp. non esse tutum; sive extorserit Parochus promissionem illam, antequam beneficium resignaret, sive extorserit post acceptas litteras Apostolicas resignationem concedentes. Et quidem si ante extorsit, et veluti in pactum deduxit, suumque effectum sortiri voluit sine beneplacito Sedis Apostolicæ, simoniæ crimen commisit:

omnes enim pactiones in beneficiis privata auctoritate factæ in jure Canonico Simoniacæ censentur, ut notant communiter Canonistæ, et colligunt ex cap. *Pactiones*, ult. de pactis, et cap. *Super eo* 7, de transact., cap. *Quæsitum* 5, de rer. permut., ubi de *Pactione præmissa* generatim dicitur, *quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.* Verum hoc obiter animadverso, ratio nostræ responsionis est: quia si omissa fuerit publicatio resignationis illius beneficii et provisionis super eo factæ cum Litteris Apostolicis desuper confectis, atque ejusdem beneficii possessionem resignatarius non apprehenderit intra terminos præscriptos a Constit. Gregorii XIII, incip. *Humano* 85, apud. Cherub. tom. 2, Bull., non solum ipse resignatarius amittit jus omne sibi quæsitum ad illud beneficium, et fit inhabilis ad illud quandocumque obtinendum; sed etiam ipsum beneficium ab ipsa statim prima resignatione, etiamsi illa alias nulla et invalida esset (veluti si intervenisset simonia) vacavisse, et vacare censetur eo ipso, et Apostolicæ Sedi reservatur: ut statuitur expresse § 5, dictæ Constit. quæ idcirco edita est, ut præcluderetur via variis fraudibus, quæ resignationibus hujusmodi contingere poterant. Adeo ut resignans, elapsis iis terminis nullum amplius jus retineat in eo beneficio, omnemque ejus proprietatem ac juris possessionem amittat, nec proinde possit illius fructus tuta conscientia percipere. Nam eo ipso, quod ex vi illius constitutionis beneficium elapsis terminis præscriptis vacasse, et vacare censetur a principio resignationis factæ, si postea resignans occultatis litteris Apostolicis remaneat in ejus possessione, erit proculdubio possessor malæ fidei, qui fructus non facit suos; ideoque nec tutus in conscientia esse potest, ut manifestum est.

CAS. II. — Quum Elpidius duos sues, qui pertinebant ad Sisinium, in propria vinea uvas jam maturas devastantes reperisset, ut eos expelleret lapidem in eos injecit, cujus ictu ac percussione unus illorum periit: Ullane ipsi inest obligatio, ad refundendum Sisinio demortui pretium?

Resp. non teneri Elpidium refundere pretium, sed solum debere reddere Sisinio suem mortuum. Ratio est, quia Elpidius non injuria, sed casu occidit suem illum : neque enim jaciens lapidem intendit, aut prævidit occisionem, sed solam expulsionem illorum animalium devastantium uvas suas, ad quam expulsionem jus habebat; et medium quod adhibuit, satis commune est in hujusmodi casibus rusticis hominibus. Per accidens ergo est, quod lapis jactus occiderit suem : damnum autem non injuria, sed casu dumtaxat illatum non est ex justitia resarciendum, nisi forte ex contractu, qui in proposito casu locum non habet.

CAS. III. — Exposita solemniter Reliquia Sanctissimæ Crucis in Altari, cum ad Vesperas thure adoletur Altare, putat Parochus eamdem thurificandam esse a Sacerdote genuflexo: quemadmodum et Sacerdotes mane celebraturi, ante ipsam transeuntes, unico saltem genu flexo apertoque capite eamuem colere tenentur : Verumne censet?

Resp. falsum censere. Extat enim S. R. C. Decretum 15 Septembris 1736, in Brixiensi relatum in Indice Merati sub num. 698, quo statuitur : *Reliquia SS. Crucis non est incensanda a celebrante genuflexo.* Celebrans autem æque dicitur de eo, qui Missam, ac de eo qui Vesperas solemnes celebrat. Et merito id decrevit S. R. C., ut scilicet in hujusmodi externis signis appareat distinctio inter latriæ cultum absolutum, qui debetur Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ; et latriæ cultum respectivum, qui debetur veræ Cruci. Atque ob eamdem rationem eadem S. R. C. 7 Maii 1746 in Varsavien. decrevit: *Si loco principe reliquia SS. Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerari debent: diversimode vero sola capitis inclinatione, si præfata Reliquia recondita erit intra custodiam.* Apud Caval. in Ind. tom. 4, sub. num. 275. Male ergo inferebat Parochus ex eo, quod Sacerdotes mane celebraturi debeant unicum genu flectere transeuntes ante Reliquiam expositam SS. Crucis, quod etiam Celebrans ad Vesperas debeat eam genu flexus in-

censare ; nam oppositum potius inferre debuisset : nempe ut rite servetur discrimen inter SS. Sacramentum, et Reliquiam veræ Crucis, quod illud expositum debet a Sacerdote celebraturo transeunte adorari utroque genu flexo et pariter a genuflexo incensari ; non ita vero Reliquia etiam exposita SS. Crucis. An vero dum celebraturus transiens ante Reliquiam SS. Crucis expositam unicum genu flectit, debeat etiam caput aperire, non satis constat. At Rubricistis communiter placet distinctio hæc, ut aperto capite sit genu flectendum, si præ manibus calicem minime habeat ; cooperto autem, si calicem gestet : quam distinctionem alias etiam rite observari aiunt, quum Sacerdos paramentis pro Missa indutus aut caput inclinare, aut unicum genu flectere in transitu debet.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Quum Petronilla sponsalia contraxerit, et quidem valida, cum Genebaldo, amore postmodum capta Gabrielis, tantum in Genebaldum odium concepit, ut eidem nubere haud vellet : quamobrem a suo Parocho expostulat, num possit, aut Gabrieli sibi bene viso nubere, aut saltem celebs manere. Quid Parochus respondebit ?

Respondebit ipsam non posse aut Gabrieli nubere, aut celibem manere, nisi Genebaldus promissionem ipsi remittat, et sic sponsalia mutuo consensu dissolvantur. Nam ex validis sponsalibus oritur gravis obligatio contrahendi matrimonium cum persona, cum qua sponsalia ipsa fuerunt contracta, si hæc nolit cedere juri suo ; nisi gravis et justa causa superveniens excuset. At nec amor Gabrielis, nec odium exinde conceptum in Genebaldum esse potest Petronillæ causa gravis et justa resiliendi a sponsalibus ; nam uterque ille affectus amoris et odii culpabilis est, et utrumque potest et debet Petronilla deponere. Nec desiderium, imo ne votum quidem vitæ celibis post valida sponsalia emissum sufficit iisdem sponsalibus dissolvendis, nisi cum voto, vel susceptio-

ne status religiosi conjungatur, ut communiter tradunt DD. Itaque si Petronilla nequeat a Genebaldo obtinere remissionem sponsalium, et ipsa aut nolit, aut non possit statum religiosum amplecti, tenebitur, per se loquendo, matrimonium cum Genebaldo inire; et de hoc erit a Parocho commonenda. Dixi, *per se loquendo*; nam si odium Petronillæ in Genebaldum adeo esset vehemens, ut spes non esset forte ut postea in matrimonio pacifice conviverent, prudens Parochus deberet cum consensu Petronillæ ad Ordinarium confugere, qui attentis circumstantiis posset sponsalia ex rationabili causa dissolvere. Nam etsi cap. *Præterea* 2, de sponsalibus dicatur: «Hi qui de matrimonio contrahendo pure, et « sine omni conditione fidem dederunt, commonendi « sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam « fidem observent.» Tamen *ni forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quem odio habeat*, ut ibid. subditur, ut habetur cap. 17. eod. tit. *Quum libera debeant esse matrimonia . . . quum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere,* poterit fortasse Ordinarius sponsum inducere, ut sponte juri suo cedat, aut posita vehementi et constanti repugnantia sponsæ, ad præcavenda gravia scandala, quæ, matrimonio illo inito, oriri possent, auctoritate sua sponsalia illa dissolvere.

CAS. II. — Apulejus et Genesius ex odio in Livium, nocturno tempore ejusdem campum invadunt, et semen in eo immissum penitus destruunt. Ad quid tenentur?

Resp. cum distinctione. Si enim id fiat eo tempore, quo adhuc potest Livius commode seminare, tenentur quamprimum eamdem seminis quantitatem antea in agro seminatam, et ejusdem bonitatis, aut saltem ejus pretium ei refundere, sicut etiam pretium operarum, quæ necessariæ sunt ad iterum seminandum. Quod si id opportune non fiat, et proinde desinat Livius pro eo anno seminare, tenentur resarcire damnum, restituendo tantumdem, quantum detractis expensis probabiliter æstimatione hominum peritorum Livius ex suo agro collegisset. Et quidem si compensatio fiat multo ante communem messem, nec satis

constet, qualis in eo agro futura esset seges, ob hanc ipsam incertam spem, quam habuisset messis futuræ, deberet Livius esse contentus, ut aliquid etiam minus sibi judicio prudentum restitueretur, quam quod probabiliter sperare poterat. Fructus enim certus ac præsens, etsi minor, compensare potest fructum incertum futurum, licet fortasse majorem. Cæterum si restitutio differatur usque ad tempus communis messis, ut ex vicinis agris facilius possit damnum æstimari; et interim mense Maio v. g. tanta vis grandinis in agrum depopulatum caderet, ut messem, si adesset, penitus destrueret, non viderentur eo casu Apulejus et Genesius obligati ad ullam compensationem; quia nimirum agro etiam non depopulato, nihil fructus ex eo Livius percepisset. Et sane quum obligatio compensationis faciendæ a vastatoribus illius agri oriatur non ex injusta acceptione proprie dicta, quippe ipsi nihil inde abstulerunt, neque ullum lucrum fecerunt; sed dumtaxat ex damno illato, quatenus ex odio in Livium ejusdem damnum intenderunt, et quod in ipsis fuit, executi etiam sunt ejus agrum depopulantes: idem autem omnino damnum, seposita etiam injusta vastantium actione, passus esset nihilominus Livius ex copia et impetu grandinis, ut hic supponimus; adeo ut vastatores illi animo quidem malo damnum intulerint Livio, non autem reipsa, quia in re, etiamsi ipsi non prævenissent, tamen idem prorsus damnum Livio contigisset ex grandine: idcirco in re non tenentur restituere, sed solum debent animum habere paratum ad restituendum, si grandinis casus ipsos non exemisset. Restitutio enim, seu compensatio damni illati eatenus est actus justitiæ commutativæ, quatenus hæc exigit, ac respicit æqualitatem rei ad rem; quæ æqualitas tunc poni debet ab inferente injuste damnum, quando ratione illius damni quis in re sua minus habet, quam alias fuisset habiturus. Atqui in nostra hypothesi Livius nihil revera minus habet ex vastatione sui agri, quam fuisset habiturus post grandinem. Ergo etc.

CAS. III. — Duos Parochos disputantes inter sese, an

quædam puella, quæ loco custodiæ detinebatur in carceribus pii Hospitalis sancti Gregorii, vulgo *de Mendicanti*, extra Portam sancti Vitalis, consensum suum de matrimonio contrahendo præstare deberet coram Parocho propriæ suæ paternæ domus, an vero coram Capellano illius Hospitalis ; docuit Theologus quidam id muneris ad Parochum pertinere, intra cujus Parochiam situm est Hospitale. Docuitne verum Theologus iste ?

Resp. falsum docuisse : ut manifeste evincit Emin. olim Archiep. Bononien. Prosperi Lambertini, postea SS. Pontif. Bened. XIV, fel. record. Institutio Italicæ editionis 12, tom. 1, Lat. vero 33, quæ ad rem nostram hæc habet num. 12. «Duobus, ac sane diversis modis » carceribus inclusi tenentur. Aliqui perpetuo, vel ad « certum tempus, non quidem pro custodia, sed pro « pœna in carcerem conjiciuntur, quorum Parochus is « dicitur, in cujus Parochia carceres collocantur : *Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet.* Alii vero pro custodia solum in carcerem detruduntur, donec ipsorum Judicis « sententia cognoscatur. Horum Parochus is judicandus « est, ubi domicilium situm habent, non autem Parochus, ubi carceres positi sunt ; quum ipsi nihil magis « expectant (vel potius expectent) quam ut dissolutis vinculis paternas ædes revisant (editio Italica hanc sententiam effert » : *Quum infelices illi semper retineant animum revertendi ad proprias domos.* « Quum hæc ita « sint, in celebrandis hujusmodi matrimoniis proprius « Parochus accersendus est, sicuti modo exposuimus. « Accedit S. Concilii Congregationis Decretum die 26 « Maii anno 1707, in causa Farfensi matrimonii promulgatum, insertumque Cleri Romani statutis etc.» Quum ergo puella, de qua casus loquitur, detineretur in carceribus pii Hospit. S. Greg. *loco custodiæ*, Parochus ejus pro contrahendo matrimonio erat Parochus *propriæ suæ paternæ domus.*

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Obtento a Laura Pontificio Rescripto, quo a lege voti simplicis perpetuæ castitatis ab ipsa emissi solvebatur, directo ad simplicem Confessarium ab ipso eligendum, illud Confessario suo exhibuit, qui in ipso actu Sacramentalis Confessionis, uti præcipiebatur, illud idem executioni mandavit, Lauræ injungens, ut singulis vitæ suæ diebus Officium parvum recitaret Beatissimæ Virginis, de quo tamen in eo Rescripto ne verbum quidem habebatur. Vellet nunc, ut ea recitatio in aliud opus a proprio Parocho commutaretur : Idne juris Parocho inest ?

Resp. Si Parochus non habet facultatem delegatam commutandi vota, non potest commutare recitationem illam. Ratio est, quia Sedes Apostolica committens Confessario dispensationem petitam voti reservati, non simplicem et puram dispensationem, sed mixtam cum commutatione committere solet; nam ut plurimum in Rescripto habentur hæc verba «*ac in alia pœnitentiæ opera « per te injungenda* . . . prout secundum Deum ipsius « animæ saluti expedire judicaveris, secumque desuper « dictum votum dispensando dicta auctoritate *commutes*,» ut videre est apud Pyrrhum Corradum Prax. dispens. Apost. lib. 3, cap. 10, num. 9, et seqq. Jam vero illud opus, quod auctoritate Sedis Apost. etiam per simplicem Confessarium, ejusque arbitrio substituitur voto eidem Sedi reservato, adimplendum est sub voti obligatione. Quare qui non habet facultatem commutandi vota, neque facultatem habet commutandi opus illud; quod tamen ab Ordinario, aliisque facultatem habentibus commutandi vota potest ex causa in aliud commutari; quia opus subrogatum non est amplius reservatum Apostolicæ Sedi, ut ostendit Suarez tom. 2, de Relig. lib. 6, cap. 20, num. 15, et post ipsum alii sentiunt.

CAS. II. — Veranus Sacerdos iter acturus die festo, deficiente Confessario, cui lethale peccatum Sacramen-

tali Confessione exponere possit putat, fas ipsi esse, præmisso actu contritionis, Sacrum facere, hoc tantum fine, ut Ecclesiasticæ de Sacro audiendo die festo legi satisfaciat : Putat ne verum ?

Resp. juxta probabiliorem sententiam falsum putare. Nam præceptum de audienda Missa singulis diebus festis per omnes est mere Ecclesiasticum et affirmativum, quod proinde non obligat, quando rite, aut sine gravi incommodo impleri non potest : præceptum autem non sumendi Eucharistiam, ac proinde non celebrandi sine præmissa Confessione Sacramentali, quando quis habet conscientiam peccati mortalis, est præceptum juxta multos Divinum, et quidem negativum, quatenus prohibens est; ideoque soli præcepto Ecclesiastico prævalere debet, si utrumque simul concurrat, neque alia circumstantia, aut urgens necessitas, v. g. vitandi scandali, aut gravis infamiæ subsit. Quum ergo in casu nulla supponatur hujusmodi circumstantia, aut necessitas urgens, videtur dicendum, non licere Sacerdoti habenti conscientiam mortalis peccati, et non habenti copiam Confessarii, ad satisfaciendum Ecclesiastico præcepto audiendi Missam die festo celebrare.

CAS. III. — Parochus, quum a Sodalibus cujusdam Confraternitatis in ejusdem Parœcia existentis vocatur, ut in publico ipsorum Oratorio Missam celebret pro consecratione aut consummatione SS. Sacramentali, quod illis est exponendum, occasione vel quadraginta Horarum, vel spiritualium exercitiorum, quæ in eodem peraguntur, exigit ut sibi, aut alteri Sacerdoti ab ipso ad hunc finem misso, consueta eleemosyna ab eadem Confraternitate præstetur. Jurene, ac merito ?

Resp. Parochum nullo jure, ac prorsus immerito eleemosynam exigere. Nam Parochus quidem ex Synodo Diœces. sub Eminent. Archiepiscopo Boncompagno lib. 4, c. 5, de Confratriis § *Quum de exponendo*, jus habet aut per se ipsum, aut per Sacerdotem a se deputatum exponendi SS. Sacramentum, illudque reponendi, ac proinde etiam celebrandi Missam, si intra eam facienda

sit ipsa expositio. Quod jus non potest dici ablatum per Decretum et Responsionem S. R. Congregationis ad quæstionem inter alias undecimam, in qua quærebatur: *An expositio Quadraginta Horarum, et benedictio quæ fit super populum, sit de dictis juribus mere Parochialibus;* ad quam respondit *negative.* Nam in fine omnium Responsionum subdit=*Et ita, salvis tamen . . . Constitutionibus Synodalibus etc. declaravit, ac decrevit.* Quæ Decreta Clemens XI, approbavit, et publicari, et servari mandavit die 12 mensis Januarii 1704. Attamen non ideo Parochus ullum jus habet eleemosynam exigendi a Confratribus pro Missa, quam occasione ipsius expositionis celebrat sive ante pro consecratione, sive post pro consummatione SS. Sacramenti. Quia si Parochus tueri vult jura sua, id præstare debet absque onere Confraternitatis, quæ neque ex vi Synodi, neque ex vi ullius laudabilis consuetudinis tenetur Parocho in hujusmodi occasione eleemosynam dare. Si vero Parochus velit laborem effugere, deputare potest ipsum Capellanum Confraternitatis, qui absque contributione novæ eleemosynæ supradicta omnia præstare poterit. Id totum confirmatur Decreto Congreg. Concilii 15 Maii 1728, hisce verbis concepto «Confraternitas non tenetur eleemosynam præstare Parocho, vel alteri per eum deputando celebrandi Missam tam pro consecratione, quam pro consummatione SS. Sacramenti exponendi occasione, qua exercitia spiritualia peraguntur; sed Missæ celebrandæ sunt absque eleemosyna.» Quod Decretum refert P. Caval. tom. 4. Comment. tum. in Indice sub num. 154, tum etiam cap. 7, ubi illud exponit, atque extrema verba perpendens ait: Ubi autem audis, quod *Missæ celebrandæ sunt absque eleemosyna,* «absit « id intelligas, ita ut Parochus, quatenus eidem libere « detur, eam accipere non valeat, vel aliunde eamdem « procurare pro Missæ applicatione; sed sensus est, « quod Confraternitas eleemosynam non tenetur præ« stare, quam tamen si non præstat, pro quo maluerit, « Sacrificium Parochus applicare poterit.»

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Quidam Villicus domum suam rusticalem rediens, in publica via aureum horologium invenit, in cujus prima capsula exteriori nomen deprehendit ejusdem domini, illud propterea famulo suo dedit, ut ad civitatem rediens ad eumdem deferret; sed famulus in latronem incidit, qui horologium ab eo surripuit: Adhuc ne adstringitur Villicus ad aliquid reddendum domino horologii?

Resp. Si famulus Villici erat vir fidelis, via etiam et hora, qua redire debebat ad civitatem, non erat obnoxia periculo incidendi in latrones, ad nihil profecto tenetur Villicus erga dominum horologii. Nam quod famulus inciderit in latronem, qui ei horologium rapuerit, est casus mere fortuitus, quem nec prævidere nec proinde præcavere potuit Villicus: cujus probitas simul ac diligentia commendanda est in mittendo statim horologium inventum ad ejus dominum, ne hic diutius de illo sollicitus esset. At e contrario si aut famulus erat hujusmodi, cui Villicus prudenter non posset fidere, aut via vel hora erat infestata a latronibus; male utique gessit Villicus negotium domini illius horologii; nam istud periculo non necessario nimis imprudenter exposuit, quia debebat in aliud tempus deferre, et alii homini committere curam horologium deferendi ad ipsius dominum: qui sicuti ex legibus, et etiam in conscientia, teneretur pecuniam refundere Villico, si quam iste necessario impendisset, ut horologium secure ad ipsum perveniret l. 2, ff,. de neg. gest, etl. 18, C. eod. tit. ita et Villicus, si sua culpa horologium periit, debet et ex legibus, et in conscientia pretium ejus domino solvere, l. 11, ff. de neg. gest., ubi dicitur: *Si negotia absentis, et ignorantis geras, et culpam et dolum præstare debes.* Nec solum culpam latam, sed etiam levem præstare tenetur alieni negotii gestor, ut habetur l. 20, C. eodem tit. *Super his quidem, quæ. . . . ultro quis administravit, quum non tantum dolum et latam culpam, sed et levem*

præstare necesse habeat, etc. Atque huc etiam spectat cap. 9, de injur.,et dam. dat.; ubi juxta naturalia principia statuitur, «Si culpa tua datum est damnum, vel « injuria irrogata . . . . aut hæc imperitia tua, sive « negligentia evenerunt; jure super his satisfacere te « oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex « facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel « jacturam.» Nec refert quod Villicus solum ex charitate tenebatur inventum horologium accipere mittendum proprio ejus domino; aut solum contra charitatem peccasset, si ibi reliquisset ubi invenit, etiamsi prævidisset nunquam idcirco perventurum ad dominum ipsum, sed usurpandum esse ab alio inventore. Esto enim. At eo ipso, quod is satisfaciens obligationi charitatis ultro ac sponte in se suscepit curam mittendi illud horologium ad ipsum dominum, eamdem saltem diligentiam ex justitia tamquam alieni negotii gestor adhibere debuit, quam pro re sua propria adhibuisset: quam quia non adhibuit, contra justitiam peccavit, et damnum passo compensationem facere debet.

CAS. II. — Parochus vocatus ad Confessionem Sacramentalem audiendam cujusdam mulieris partus doloribus laborantis, quum eamdem cujusdam blasphemiæ hæreticalis, et expressæ dæmonis invocationis ream dignoscat, tametsi jurisdictione careat in reservata, eamdem directe absolvit. Rite ne se gessit?

Resp. Si Parochus ex circumstantiis prudenter judicavit, mulierem illam partus doloribus laborantem esse in proximo periculo mortis, utique rite se gessit eamdem directe absolvendo ab illis peccatis reservatis, quum in eo articulo juxta Concil. Trid. sess.14, c. 7, nulla sit reservatio. Quod si in eo articulo non poterat prudenter judicari, male certe se gessit Parochus. Etenim si mulier absolutionem petebat, poterat ei illam impertiri directam quidem super aliud quodcumque peccatum, etiam anteactæ vitæ in ipsa confessione expositum, indirectam vero super reservata, eam monendo, ut quum bene convaluisset, se præsentaret, et iterum confiteretur eadem peccata reservata habenti facultatem ea directe absol-

vendi : nam in eo casu, præsertim si ex denegata absolutione mulier majorem ægritudinem contraxisset, et ideo in majus periculum fuisset adducenda, sufficiens necessitas aderat utendi hac indirecta absolutione, quam ultima Synodus Diœces. Bonon. in similibus casibus permittit lib. 2, c. 5, de Sacr. Pœnit. § *Indirectam absolutionem* scil. quoad peccata reservata in hac Diœcesi, cujusmodi sunt duo illa in casu proposita, videl. blasphemiæ hæreticalis (materialiter tantum) et expressæ dæmonis invocationis.

CAS. III. — Sacerdos in die solemni Natalis Domini in prima Missa ex errore loco vini aquam in calicem infudit, et super eam verba consecrationis etiam protulit : sed errorem, quum eamdem sumpsit, advertens, novum vinum, ad Missalis præscriptum, consecravit, ac postmodum hausit. Potest ne alias duas Missas celebrare?

Resp. non posse : nam jejunium naturale revera fregit sumendo aquam, quam putavit vinum consecratum : et quamvis optime se gesserit novum vinum juxta Missalis præscriptum consecrando ad complendum Sacrificium ; non proinde tamen potest duas alias Missas celebrare. Nam quoad consecrandum, et sumendum consecratum vinum in prima Missa post sumptam aquam, urgebat Divinum præceptum de perficiendo Sacrificio, quod prævalet Ecclesiastico præcepto de non sumenda Eucharistia nisi servato naturali jejunio. At quoad alias duas Missas remanet quidem et urget illud ipsum præceptum Ecclesiasticum ; sed nullum aliud præceptum sive Divinum, sive Ecclesiasticum occurrit quoad alias duas Missas celebrandas. Quare præceptum illud observandum est, et consequenter duæ aliæ Missæ necessario omittendæ sunt.

LAUS DEO.

CASUS CONSCIENTIÆ

BONONIENSIS DIOECESIS

PRESBYTERIS,

AD DISCUTIENDUM PROPOSITI, AC RESOLUTI,
ET ITERUM IMPRESSI.

ANNO MDCCLXVI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Pauper quidam rusticus non habens unde sibi ligni comparet ad ignem pro quotidianis suis suæque familiæ necessitatibus accendendum, sæpe ad sylvas pergit particularium dominorum, et nunc in una, nunc in alia fascem sibi construit ex virgultis, aut ramis fractis, aut etiam ex parvis plantis, quas novit exsiccatas. Quæritur, utrum id ei liceat?

Resp. Vel ligna, quæ ad construendum fascem colligit pauper ille rusticus, sunt ejus generis, quæ colligi solent, et revera colligerentur a colonis tanquam fructus, seu proventus ipsarum sylvarum ad utilitatem dominorum, aliorumve jus habentium : vel sunt hujusmodi, quæ nec curari, nec colligi solent, et tanquam derelicta censentur. Si primum, non licet pauperi illi, nisi sit in extrema necessitate constitutus, ea sibi arrogare; id enim sine expresso, vel tacito, vel saltem rationabiliter præsumpto dominorum consensu, furtum esset; a quo nequit eum excusare sola gravis necessitas, quum

fuerit damnata ab Innoc. XI, propositio illa inter alias 36, *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Si secundum, licite potest pauper ea sibi colligere, quippe nullum damnum cuiquam affert, neque possunt eorum domini esse rationabiliter inviti: eo enim ipso, quod ligna illa habere non curant, perinde est, ac si ea *pro derelicto* habuerint, ideoque nequeunt rationabiliter ægre ferre, ut ea fiant cujuscumque occupantis, ac præsertim hominis valde indigentis.

CAS. II. — Mulier quædam iracunda sæpe ex habitu contracto erumpit in imprecationes per se graves contra filios suos, aliosque domesticos. Quæritur, quomodo cum ea se gerere debeat Confessarius?

Resp. Debet Confessarius in primis mulierem illam interrogare, an alias fuerit admonita de pravo hujusmodi habitu deponendo, et an ullam diligentiam adhibuerit, ut se corrigeret. Si nunquam fuit admonita, aut vero monita diligentiam adhibuit, et nunc voluntatem firmam ostendit sese omnino emendandi, eam Confessarius, dum nihil aliud obstet, absolvet; at simul exhortabitur, ut inordinatos iræ motus, a quibus imprecationes illæ procedunt, statim ac advertit, compescat; et remedia ad hanc rem eidem proponet, potissimum vero considerationem summæ patientiæ, ac mansuetudinis Christi Domini, qui nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus: qui de se ipso ait Matth. XI, 29. *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Qui* (1. Petr. 2. 23.) *cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, etc.* Optimum etiam erit ei suggerere utilissimum illum, facillimumque modum, quem docent spiritualis vitæ duces, evellendi ab animo omne ferme vitium: scilicet ut quotidie mane ex corde a Deo petat, et firmiter intra se proponat effugere illas imprecationes, et eam precem ac mentem renovet identidem infra diem, et prævidere etiam curet occasiones illas, quæ occurrere possunt, in quibus consuevit olim irasci, et mala imprecari, seseque paret ac mu-

niat adversus illas, firmans animum, ac statuens se in iis moderate, ac patienter gerere. Quod si aliquando vel ex subito motu, vel ex consuetudine, vel aliter in aliquam imprecationem incidat, cum primum id advertit, statim ex animo doleat, propositum renovet, et pœnam etiam aliquam sibi inferat. v. g. pectus tundat, aut, nemine videnté, terram osculetur, aut crucem lingua in pavimento effingat, aut Orationem Dominicam recitet, vel quid ejusmodi peragat. Tum vespere examen conscientiæ instituat, et secum recolat, an, et quoties in ea re peccaverit; et si quidem nunquam die illa se lapsam esse agnoverit gratias Deo agat, ejusque opem imploret, ut etiam in posterum ab illo peccato abstineat; si vero semel, aut pluries in illud peccatum se incidisse deprehenderit, facti pœnitens veniam a Deo, atque auxilium postulet, ac speret, quo propositam emendationem, quam iterum proponere debet, assequatur. Quod si in hac exercitatione, quæ certe nullum impedimentum rebus domesticis, aliisque quibuslibet negotiis afferre, aut ab iis accipere potest, singulis diebus mulier illa, et quicumque consuetudinem habet peccandi, maxime in verbis, diligenter versabitur, lapsus præcedentium dierum cum subsequentium lapsibus conferens, brevi, Deo adjuvante, ad perfectam emendationem perveniet.

Si autem alias fuit mulier admonita, et neglexit prorsus emendationem, corripere eam debet Confessarius, eique absolutionem differre, quousque diligentiam adhibeat, et voluntatem firmam ostendat sese emendandi. Nam velim precationes illas deliberate profert, optans, ex animo in illo impetu iræ filiis, aliisque mala, quæ iis imprecatur; et tunc graviter peccat, ideoque cum ea agendum æque ac cum cæteris consuetudinariis, quibus olim admonitis, et negligentibus emendationem, differenda est absolutio, donec signa, et voluntatem efficacem ostenderint emendationis. Vel imprecationes illas oretenus tantum et ex iracundia sine pravo animo profert; et tunc etiam differenda est absolutio, tum propter scandalum, quod filiis et domesticis suis præbet proferens imprecationes illas, quas et ipsi discunt, et

usurpare plerumque solent, tum etiam ob probabile periculum, cui mulier ipsa sese exponit optandi aliquando et ex animo imprecandi mala illa.

CAS. III.— Capellanus Missam celebraturus die festo in publico Oratorio, et jam paramenta induens, expectante populo, observat deesse Stolam tum illius unici paramenti colorum omnium, quo uti solet in Missis vivorum, tum etiam Stolam paramenti nigri pro Defunctorum Missis; quippe utramque custos Oratorii resarciendam alio portaverat, et oblitus fuerat referre. Hæsitans, quid agere debeat, nam nimis longum foret expectare, si quis mitteretur ad Stolam accipiendam, venit ei in mentem adhibendi Manipulum paramenti nigri pro Stola, atque id facit. Licitene?

Resp. Manipulum, saltem si aliqua necessitas exigat, adhiberi posse pro Stola etiam in Missa, dummodo sit satis longus, ut formari cum eo possit Crux supra pectus, communis est Theologorum sententia, quia Manipuli, et Stolæ eadem est artificialis forma, eadem utriusque simul cum Casula benedictio; nec longitudinem habent ab Ecclesia determinatam, quam alii longioribus, alii minus longis utantur: atque ideo nihil obstare videtur, quin Manipulus loco Stolæ et Stola vicissim loco Manipuli adhiberi queat, dum Manipulus ad instar Stolæ possit aptari, et Stola hinc inde apte plicata consuetam mensuram Manipuli non excedat. Major difficultas esse potest quoad colorem, nam certe deformitas notabilis videretur, si pars Sacerdotalis apparatus esset nigra sub reliquo paramento, quod vocant, alterius coloris. Cæterum si hæc deformitas aut non appareret omnino, uti eveniret in apparatu violacea valde obscuro, aut saltem talis non esset, ut ullam gravem admirationem spectatoribus afferret, ut facile contingere potest in casu proposito, nam Stola sub Casula maxima ex parte occultatur, non deberet obstare, quin Manipulus niger pro Stola paramenti vivorum usurparetur? nam color in paramentis Missæ non est tantæ necessitatis, ut, præcisa gravi et scandalosa deformitate, impedire debeat Missæ celebrationem aliquo pacto necessariam.

Præterea quum sit gravium Theologorum, veluti Suarez, Card. Gotti, et aliorum sententia in casu necessitatis, etiam ad evitandum scandalum, aut grave murmur populi die festo dimittendi sine Sacrificio, posse Sacerdotem Missam celebrare omisso etiam Manipulo aut Stola, quippe utraque una est ex minoribus, minusque necessariis partibus indumenti Sacerdotalis: patet profecto ex dictis, multo magis potuisse ex necessitate Capellanum licite uti Manipulo illo pro Stola, dum nulla notabilis deformitas apparet.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Quidam Confessarius audiens Rusticos passim sese in Confessione accusantes de non servato jejunio Ecclesiastico, intra se judicat eos solum ex meticulosa conscientia, non autem ex aliqua necessitate, seu ratione culpæ sese de hoc accusare; quippe generatim, ac semper eos putat a lege jejunii immunes: ideoque nihil de hac re cum iisdem agit. Rectene judicat, ac bene se gerit?

Resp. Quamvis agricolæ, et cæteri operarii, qui ex officio opera corporalia valde laboriosa exercent, a lege jejunii excusentur tum ex generali consuetudine, tum etiam ex speciali concessione Eugenii IV. ut refert Sylvester V. Jejunium § 24, adeo ut non teneantur cessare ab exercitio suæ artis ad servandum jejunium: tamen si identidem in Quadragesima, aut per annum in sacris temporibus, aliisque vigiliis nullo gravi labore defatigantur, aut prorsus otiantur, tunc et ipsi jejunii præcepto adstringuntur; nisi forte aut grave incommodum sustinerent ob laborem diei præcedentis, aut redderentur inhabiles ad laborandum sequenti die, aut adeo essent pauperes, ut non haberent, quod eis sufficeret ad unicam comestionem, ac proinde indigerent pluries in die ad sufficientem nutritionem cibum sumere. Quare Confessarius Rusticos sese accusantes de non servato jejunio interrogare, ac docere debet supradictas circumstantias, ne aut ii, qui vere excusantur, aut ii, qui je-

junare possunt, ac debent, ex conscientia dubia, vel erronea peccent.

CAS. II. — Titius habituali infirmitate laborans, ob quam Medici ei usum olei interdixerunt, existimat se nulla speciali licentia indigere pro edendis in Quadragesima Ovis, et Lacticiniis. Verumne existimat?

Resp. falsum existimare. Nam et Benedicti XIV fel. rec. Constitutio incip. *Non ambigimus*, et altera incip. *In suprema*, nec non tertia incip. *Libentissime*, de jejunio præsertim quadragesimali, quæ omnes habentur tom. 1. ejus Bullar., et Edictum, quod ab Eminentissimo nostro Archiepiscopo quotannis emittitur pro observatione Quadragesimæ, et, ut alia argumenta omittam, ipsa communis Fidelium praxis ostendit, ut quis licite possit in Quadragesima vesci etiam Ovis, et Lacticiniis, non sufficere veram necessitatem a corporali medico agnitam, et approbatam (quæ approbatio non est nisi testificatio de indigentia dispensationis) sed insuper requiri medici etiam spiritualis, seu proprii Parochi attestationem de eadem necessitate, ac præterea facultatem, seu dispensationem expressam ab Ecclesiastica potestate, i. e. ab Ordinario per se, aut per deputatos impertitam.

CAS. III. — In Oratorio quodam publico procul posito ab omni alia Ecclesia, in quo singulis diebus festis Missa celebrari debet a Capellano, casu deficiebat quadam die Dominica Crux. Quamobrem cum observasset Capellanus in eodem Oratorio esse tabulam pictam satis grandem repræsentantem imaginem Christi crucifixi, eam aptavit super Altare inter Candelabra, et sic Missam celebravit. Potuit ne id rite facere Capellanus?

Resp. affirm. Nam Rubrica Missalis part. 1. tit. 20. de præparatione Altaris, et ornamentorum ejus, præscribit quidem, ut *super Altare collocetur Crux in medio:* at non determinat cujusmodi, aut ex qua materia Crux illa esse debeat. Proinde etiam in tabula depicta sufficiet, dum tamen sit nedum Sacerdoti, sed etiam aliis adstantibus valde conspicua, ac primum inter alias ima-

gines forte in eadem tabula expressas locum obtineat. Hinc communis jam est sententia, quando in pariete, cui adhæret Altare, est præcipua imago depicta, vel statua Christi crucifixi, eam sufficere, nec requiri aliam Crucem inter Candelabra constitutam; quam sententiam refert, et approbare videtur Benedictus XIV. fel. record. tom. 2. Bull. Const. 17. incip. *Accepimus* : in qua agit de retinenda crucifixi Salvatoris imagine palam et visibiliter exposita super Altaribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur. Videri etiam potest Meratus in suis Addit. ad Gavan. cit. loc. Rub. § 6.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Sempronius Filius frequenter inobediens in rebus per se levibus dat occasionem Patri suo erumpendi sæpe contra ipsum in imprecationes genere suo graves, quas Filius ipse experientia novit Patrem suum facile proferre. Quæritur, quomodo Sempronius peccet, et quid cum ipso agere debeat Confessarius ?

Resp. Vel Sempronius suis inobedientiis, quamvis per se levibus, credit graviter offendi, et contristari patrem suum, eumque propterea in imprecationes illas genere suo graves erumpere : et tunc Sempronius quoties id advertit, et nihilominus absque ulla rationabili causa detrectat obedire, cum facile possit patris jussa exequi, graviter peccet contra pietatem gravi molestia afficiens patrem ; atque etiam gravi peccato scandali, si eas imprecationes putat, vel saltem dubitat ab ipso ex gravi ira, animoque pravo ac deliberato proferri, quia dat occasionem patri suo gravis ruinæ spiritualis. Vel Sempronius certo sibi persuadet se inobediendo nullam gravem molestiam afferre patri suo, quem novit imprecationes illas proferre oretenus tantum, ac terroris gratia, nunquam vero ex animo ; et tunc nonnisi leviter peccare videtur. Quare Confessarius filios et filias accusantes se de occasione data Parentibus irascendi, et mala ipsis imprecandi, interrogare debet de supradictis circumstantiis ; ut rectum judicium formare possit, et

eis hujusmodi vitio assuetis, prout opus fuerit salutaria monita præbere, absolutionem etiam differre, et alia præstare, quæ erga consuetudinem habentes peccandi adhiberi solent.

CAS. II. — Cajus in Dominica Palmarum Eucharistiam in Parochia sumpsit animo satisfaciendi præcepto Ecclesiastico de Paschali Communione : die autem Paschæ audiens Missam in alia Ecclesia non Parochiali, petit a celebrante, ut particulam in Missa consecret pro Communione ex devotione. Potestne Celebrans ei morem gerere?

Resp. negat. Nam ipso die Paschæ, seu Dominicæ Resurrectionis non licet sine licentia Ordinarii vel saltem Parochi, Eucharistiam in Ecclesia non Parochiali administrare etiam iis, qui præcepto communionis Paschalis jam satisfecerint. Patet id ex Decretis sæpe renovatis a Congreg. tum S. Concil. Trid. tum Episc. et Regul., quibus vetitum est, ut qui alia die satisfecit in propria Parochia præcepto Paschalis Communionis, non possit etiam devotionis causa in ipso die Paschatis Eucharistiam sumere in Ecclesia Regularium non habentium curam animarum. Quæ quidem Decreta videri possunt apud P. Cavalier. tom. 4. Comment. cap. 2, a Decr. 30, usque ad 35, inclus., sed eorum aliquod juvat hic exscribere. Primum sit, quod attulit etiam Gavantus noster in Man. Episc. v. Eucharistia, num 23. «Qui « satisfecit in Paschate in Parochiali, non tamen potest « in ipso die Paschatis Eucharistiam sumere in Ecclesia « Regularium non habentium curam animarum in Ecclesia Regularium, Cong. Concil. 23 Januarii 1586., « et 14 Martii 1615. Secundum «Non possunt Sæculares in ipso die Paschatis de manu Regularium Sanctam communionem accipere, etiamsi in alia die satisfecerint Ecclesiæ præcepto hac de re edito Congr. « Concil. 8 Junii 1619. Tertium prohibeatur Regularibus administrare Sæcularibus Sacramentum Communionis, etiam devotionis gratia, ipso die Paschatis, « in aliis vero diebus temporis Paschalis declaretur, « eos, qui Sacram Communionem receperint extra Pa-

« rochiam, præcepto Ecclesiæ non satisfacere. » Congr. Episc. 10 Septemb. 1627. Quartum, quod refert etiam Bened. XIV. fel. record. de Syn. Diœces. lib. 9, c. 16, poster. edit., prodiit in causa Burdigal. 9 Julii 1644., iterumque confirmatum fuit in una Senonen. 11. Junii 1650, lib. 19. Decretor. pag. 54. et sic habet: « Sacra « Congregatio Concilii post maturam discussionem, cen- « suit Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohi- « bere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, « ut a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in « Albis inclusive non valeant ministrare personis Sæ- « cularibus Sacramentum Communionis; posse tamen « iisdem prohibere, ut personis Sæcularibus die Pa- « schatis non administrent dictum Eucharistiæ Sacra- « mentum, etiamsi dictæ personæ Sæculares satisfe- « cissent præcepto Ecclesiæ hac de re edito.»

Hisce autem Decretis addi potest resolutio ejusdem S. Congr. Concil. in causa Suessana Jurium Parochialium die 14 Januarii 1736., de qua in Thesaur. Resolut. tom. 7, pag. 161 et 181, ubi ad primum dubium propositum: «An licuerit Patribus S. Augustini Civitatis « Suessanæ in die Dominico Resurrectionis Domini No- « stri *devotionis causa* administrare Sanctissimum Eu- « charistiæ Sacramentum Clerico Antonio de Paulo» respondit *Negative.*

Quare laudatus SS. Pontif. Benedictus XIV. cit. loc. Operis de Syn. Diœces. ait: *Controversia sæpius discussa fuit in Sacra Congregatione Concilii, quæ censuit sola die solemnitatis Paschatis absolute prohiberi Regulares, ne Eucharistiam in suis Ecclesiis porrigant Sæcularibus, etiamsi isti jam antea annuæ Communionis præceptum in propria Parochia impleverint.* Atque id ipsum repetit Constit. 47, tom. 3, sui Bullarii § 22, ubi loquens de eodem dubio olim exorto, an intra præscriptum terminum scil. a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive licitum Regularibus foret Sacram Eucharistiam Fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere; hæc habet: *Resolutum fuit die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctio-*

rem Hebdomadam Paschali præcepto in propria Parochiali Ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis diebus fideles in eorum Ecclesiis Sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut communione refecti scirent, non ideo se a præcepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria Parochiali Ecclesia Communionem recipere deberent.

Neque quis dicat omnia hactenus allata afficere duntaxat Regulares, non autem Presbyteros Sæculares extra Ecclesiam Parochialem die Paschæ Sacrum facientes, quibus proinde liberum erit intra Missam Eucharistiam administrare eam petenti causa devotionis duntaxat. Contra enim: si id non possunt Regulares, qui a Sede Apostolica privilegium habent administrandi per se, vel per alios Sacerdotes in suis Ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ Christifidelibus petentibus, multo minus id poterunt Sæculares Presbyteri, nisi specialis facultas eis detur a potestatem habente. Certum est enim Presbyteros Sæculares nunquam posse sine licentia expressa, vel tacita, aut saltem rationabiliter præsumpta Ordinarii, vel Parochi, in cujus Parochia Missam celebrant, Eucharistiam ministrare: nam id officium proprium Pastorum est, quum Eucharistia sit præcipuus spiritualis cibus animarum, quem distribuere proprie spectat ad Pastores, seu curam animarum habentes. Et licet omnes Sacerdotes in sua ordinatione potestatem Ordinis acceperint dandi Fidelibus Eucharistiam, non omnes tamen potestatem habent jurisdictionis, sed illi duntaxat, qui sunt animarum Pastores ex officio, a quibus potest aliis etiam Sacerdotibus id munus delegari, seu committi. In hac autem re Theologi communiter consentiunt; ex quibus unum vel alterum afferre sufficiet, Suarez in 3, p. D. Thom. disp. 72, sect. 2., ubi inquirit: *Utrum omnibus Sacerdotibus liberum sit Eucharistiam administrare:* « In præcedente, inquit, se-
« ctione explicuimus potestatem Ordinis ad hoc munus
« necessariam, quam diximus communem esse omnibus
« Sacerdotibus. Nunc agimus de potestate jurisdictionis,
« an scilicet necessaria etiam sit, ut hunc actum Ordi-

« nis exercere liceat. In qua re dicendum est præter « potestatem Ordinis requiri etiam potestatem juris- « dictionis, et ideo non esse liberum cuilibet Sacerdoti « hoc Sacramentum ministrare, sed solum habenti ju- « risdictionem respectu ejus, cui illud ministrat, vel facul- « tatem ab eo, qui talem jurisdictionem habet. Conclusio « est certa, et recepta ab omnibus. » Bonacina etiam tom. 1, tract. 1, disp. 4, quæst. 5., ubi agit de ministro Eucharistiæ puncto 1, propos. 2. ait: «Minister Ordinarius et « deputatus ad Sacramentum Eucharistiæ administran- « dum, est solus Sacerdos habens ordinariam, vel dele- « gatam auctoritatem ad hoc Sacramentum admini- « strandum. » Neque contra id opponi potest, ex Concilio Tridentino inferri omnes Sacerdotes intra Missam non solum posse sed etiam debere Sacram Eucharistiam tradere Fidelibus adstantibus ex devotione petentibus, quum sess. 22, cap. 6, dicat: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Facile enim hæc difficultas diluitur per ea, quæ docuit, et præcepit Sum. Pontif. Benedictus XIV, fel. record. in sua Constit. incip. *Certiores effecti*, tom. 1. sui Bullar., in qua postquam eadem Concilii Tridentini verba attulit, eamdemque sententiam commendavit, subdit: *At quoniam in Ecclesia Christiana opus est cuncta ordinate, et congruenter disponi, Pastores vigilantiam, et curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur eo accessu, eaque participatione; ex alia vero ita utrumque sortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facile confusio etiam et scandalum oriretur. Quare Pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes Sacræ Mensæ (quod maximopere probandum diximus) studeant tempus, locum, et circumstantias nancisci, quibus et ipsi justorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediant. Hisque Pastorum suorum monitis fideles sese dociles præbentes cavebunt, ne sibi injuriam factam queran-*

tur, si quandoque pro tempore, loco, et personis Episcopus minime opportunum censuerit a Sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis, qui adstant, quibus scilicet eo ipso tempore facilis, et obvia suppetit ratio ad eamdem Mensam accedendi, pluribus aliis locis cuivis instructam. Haud ægre Episcopi et Parochi id fidelibus persuadebunt, quoties ipsis significent ex Ecclesiæ disciplina, quæ modo viget, non quidem difficiliorem, sed faciliorem evasisse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica Missa celebrabatur, cui fideles adstabant indeque participabant; quia a solis propriis Pastoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant.

Hinc porro compertum manifestumque fit id quod supra diximus, scilicet Pastorum, seu Parochorum proprium esse Eucharistiam administrare. Quamvis nunc juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam ab iisdem tacita licentia detur cæteris etiam Sacerdotibus illam distribuendi præsertim intra Missam, ut fidelium devotioni facilius satisfiat, non tamen semper omnino, et ubique, et quibusvis personis : nam quandoque pro tempore, loco, et aliis circumstantiis Superiores Ecclesiastici opportunum minime ducunt, ac proinde vetant Sacerdotibus administrare saltem sine speciali licentia Eucharistiam, veluti in Oratoriis privatis, in Nocte Nativitatis Domini, et in die Paschæ; quem diem expresse excipit Gavantus noster in Rubr. Miss. part. 2, tit. 10, agens de communione, quæ fit intra Missam, et memorans objectum Tridentini locum; inquit enim : « Quilibet autem Sacerdos communicare potest in Missa alios, « excepto die Paschatis, quo neque possunt Regulares : « et illud placet Navar. cap. 21, numer. 52. Man. fa« vet Triden. Concil., quod in Missis singulis optat as« tantium communionem.»

CAS. III. — Theodosius e diverso volens differre infra Octavam Paschæ Communionem Paschalem in Ecclesia Parochiali, petit die ipso Paschæ a Sacerdote celebraturo in alia non Parochiali Ecclesia, ut ipsum ex devo-

tione communicet intra Missam. Potestne Sacerdos ei Eucharistiam administrare?

Resp. neg. et responsio patet ex resolutione Casus proxime antecedentis; imo multo minus licita videtur administratio Eucharistiæ in hoc altero casu, quam in præcedenti. Nam si ex ibi dictis nequit die Paschæ extra Ecclesiam Parochialem sine licentia administrari Eucharistia ei, qui jam ante in sua Parochia præcepto Paschalis communionis satisfecerit, certe multo minus administrare poterit ei, qui nondum præceptum implevit, quamvis affirmet velle se illud implere alia die infra Octavam.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Simplex Confessarius audiens Pœnitentem accusantem se de peccato, cui annexa est Excommunicatio latæ sententiæ, et quidem reservata, cum interrogat, an sciverit excommunicationem illam: et respondentem se ignorasse, statim judicat eam non incurrisse, nec aliud interrogans ipsum absolvit. Rectene se gerit hujusmodi Confessarius?

Resp. male se gerere. Ratio est, quia ignorantia excommunicationis latæ contra simpliciter agentes aliquid a lege prohibitum, vel omittentis aliquid præceptum, tunc solum excusat, quando est invincibilis, seu inculpabilis, non autem quando est ignorantia crassa, vel supina, i. e. ex propria negligentia, et culpa, ut patet ex cap. *Ut animarum*, de constit. in 6. Et ideo in hujusmodi casibus attendenda est a Confessario qualitas personæ, quæ si potuit, ac debuit legem illam scire, quam alii ejusdem conditionis, et status communiter sciunt, non potest ob ignorantiam excusari. Nisi ageretur de sententia excommunicationis, lata contra *scienter* agentes, aut *temerario ausu* præsumentes, etc.; nam tunc ignorantia legis, si non fuerit affectata, quæ æquiparatur scientiæ, etiamsi crassa fuerit, vel supina, excusat ab hujusmodi excommunicatione subeunda, ut videre est passim apud DD.

CAS. II. — Pœnitens, quem simplex Confessarius agnoscit in excommunicationem reservatam incidisse, orat eumdem Confessarium, ut facultatem obtinere velit ipsum absolvendi, simulque ab eo quærit, quid interim agere debeat, ut misericordiam, et veniam a Deo consequatur. Cui Confessarius respondet, et suadet, ut Missæ Sacrificio ad placandum Deum efficacissimo frequenter, et devote assistat; ut processioni, atque benedictioni, quæ in proxima die Dominica cum SS. Sacramento habenda est, intersit, necnon publicæ recitationi Rosarii, ac Vesperis. Quæritur, an hic Confessarius rectum consilium Pœnitenti dederit?

Resp. neg. Nam ea omnia, quæ facienda suggessit, sunt eidem pœnitenti excommunicato illicita. Excommunicatus enim etiam toleratus, utpote a corpore Ecclesiæ recisus, privatur communione fidelium tum in civilibus, tum præsertim in divinis, adeo ut ei non liceat Missæ Sacrificio, aliisque divinis officiis, et publicis precibus, aut supplicationibus interesse. Et quamvis alii Fideles per Extravag. Martini V. *Ad evitandum*, in Consil. Constant. editam, ut testatur S. Antoninus 3, par. Sum. tit. 25, cap. 3, non teneantur excommunicatum hujusmodi toleratum evitare: ipse tamen excommunicatus nequit se ultro ingerere ullis divinis, et Ecclesiasticis officiis, aut ullo pacto cum cæteris Fidelibus communicare, quia Martini constitutio nullum favorem ipsis excommunicatis toleratis concedit.

CAS. III. — Sacrum facturus quidam Capellanus in Oratorio publico, ad quod jam multi convenerunt Missam audituri, die quadam Dominica, in qua Officium erat de ea, et jam indutus paramentis albis, ut fret ritus, dum in Missali fere novo, eoque unico, Missam legendam quærit, videt deesse folium, in quo Missa propria esse debebat. Quid faciet Capellanus in hoc casu?

Resp. Licet juxta Rubr. Miss. Missa dici debeat secundum ordinem Officii, ac proinde de Dominica, si de ea sit Officium, et quidem *sicut in propriis locis assi-*

gnatur, ut dicitur in Rubr. de Semidup., et simpl., tamen si propositus casus contingat, ut non possit Missa assignata in ea Dominica legi, dici poterit alia Missa alterius similis Dominicæ vel antecedentis, vel subsequentis, prout haberi poterit in eo unico Missali. Cæterum si id contingeret in aliqua Dominica vel post Epiphaniam, vel post Pascha, ut præsefert casus, et folium deficiens paucas illas Missas omnes contineret, nec ulla similis legenda superesset, tunc dici optime posset Missa votiva de Sanctissima Trinitate, quæ inter votivas habetur pro feria secunda, præsertim quum Missa illa optime conveniat Dominicæ dici, quia, ut ait Merat in addit. ad Gav. p. 1, tit. 2, n. 1, *etiam dedicata est hæc dies in honorem Sanctissimæ Trinitatis, ut patet ex cap. Quoniam de Feriis, et ex Ritibus, Hymnis, et Responsoriis, quibus utitur Ecclesia diebus Dominicis.* Et ideo SS. Pontifex feliciter regnans Clemens XIII, nisi propria Præfatio occurrat, præfationem de Sanctissima Trinitate legendam decrevit in unaquaque Dominica. Accedit, quod color etiam albus Missæ illi congruit, quo indui debet Sacerdos in Dominicis post Epiphaniam, et post Pascha, de eis Missam legens.

MENSE MAII.

CAS. I. — Juvenis quidam procax, in quadam Ecclesia, in qua festum cum magno populi concursu celebrabatur, consistens ad vas aquæ benedictæ, quod in ea Ecclesia unicum erat, Mulieres omnes, quæ Ecclesiam ingressæ eo adveniebant, ut se aspergerent, malitiose inspiciebat, et vetulas quidem ac deformes verbis contumeliosis ad iracundiam, alias vero obscenis tum verbis, tum nutibus ad libidinem provocabat, et identidem has, aut illas aqua ipsa benedicta ridens aspergebat. Quæritur : quot specie peccata juvenis ille hisce actibus commiserit ?

Resp. Juvenem illum primo peccasse contra castitatem malitiosis illis aspectibus, et obscenis verbis, ac nutibus ad libidinem provocantibus ; et si quidem ali-

quam morosam delectationem, aut pravum desiderium habuit in hujusmodi aspectibus, verbis, et nutibus, potuit etiam varias malitias specie infima diversas contraxisse, juxta varia objecta, quibus delectatus fuerit, quæve concupierit, velut adulterii, stupri, etc. quum dicat Christus Dominus Matth. 5, v. 28. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Secundo peccasse contra justitiam (quæ nos obligat ad honorem unicuique debitum deferendum) per verba contumeliosa prolata, quippe quibus honor proximi læditur; et quidem graviter peccasse, si intenderit, aut saltem adverterit posse illis contumeliis graviter dehonestari, et contristari mulieres illas. Tertio peccasse contra charitatem, scilicet peccato scandali, tum provocando alias quidem mulieres ad iram verbis contumeliosis, alias vero ad libidinem verbis ac nutibus obscenis; tum publice abutendo aqua benedicta, quæ est quoddam sacramentale, et etiam loco sacro ad exercendam suam petulantiam, seu procacitatem: hæc esse publica irreverentia vix aut ne vix quidem potest enim sine scandalo pusillorum, qui ex hujusmodi pravo exemplo facile occasionem arripiunt ridendi, ac irreverenter se habendi circa res sacras, et in Templo. Quarto denique peccasse contra religionem, seu peccato sacrilegii, violando protervis illis actibus tum illud sacramentale, tum ipsum sacrum locum, seu Ecclesiam. Neque enim violatur Ecclesia iis duntaxat actibus, quibus juxta Canonicas leges tit. *de consecr. Eccl.* polluitur, et indiget reconciliatione, sed omnibus etiam iis actibus externis, qui sanctitati loci repugnant. Nam lex divina tum naturalis, tum positiva, et leges etiam humanæ, præsertim Ecclesiasticæ, ex virtute Religionis prohibent actiones quascumque loco sacro indignas in eo fieri; ita ut eas ibi exercens irreligiosus habeatur, seu sacrilegus. Certe ipsa naturalis ratio docet deberi locis Sacris, seu divino cultui dicatis, reverentiam respectu ipsius Dei, cui colendo destinata sunt; ac proinde contra debitum Deo cultum, seu contra Religionem peccare eos, qui loca illa violant perpetrando ibi quæcumque sunt prorsus profana, ac præsertim illicita. Præterea si Christus Dominus tan-

quam Templi violatores ejecit vendentes et ementes in eo etiam illa quæ erant ad usum ipsius Templi, ob hanc rationem, quia Templum *Domus Orationis est.* Luc. 19, 46. scilicet solis piis operibus destinatum: *et non sinebat, ut quisquam transferret vas per Templum.* Marc. 11, 16, id est, sicut exponunt sacri interpretes, ut quis ad viæ compendium faciendum transiret per templum, et in illud sarcinas inferret, ac merces; quanto magis violatores Templi, ideoque sacrilegi habendi sunt, qui actiones per se malas ibidem exequuntur? Denique cap. *Decet*, de Immun. Eccles. in 6. Gregorius X, in Concilio Generali Lugdunensi II, expresse prohibet fieri in Ecclesiis tum omnes actus mere profanos, veluti sæculares congressus, negotiationes, ac fori cujuscumque tumultus, et strepitus omnes sæcularium judiciorum, atque alia hujusmodi, tum vero præsertim peccata quæcumque externa. *Decet*, inquit, *Domum Domini sanctitudo, decet, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Ecclesias humilis, et devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solum instruat, sed et reficiat.* Et infra: *Cessent vana, et multo fortius fœda, et profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet. Sint postremo quæcumque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ ajestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio aut deprehendantur peccata committi. Cessent in Ecclesiis, earumque cœmeteriis negotiationes, etc.* Postea autem subdit: *Ordinarii locorum hoc faciant observari, etc.*

CAS. II. — Antonius sponsus de futuro ad Nundinas in quamdam Urbem extra hanc Diœcesim cum suo Patruo profectus, sciens illuc etiam adventuram Sponsam suam cum ipsius Patre, ac Matre, postquam ejus adventum novit, eam quadam die invisit, et cum soli per accidens remansissent in quodam cubiculo, tentatione victi copulam habuerunt. Ad id tamen Antonius nonnisi cum magno conscientiæ remorsu devenit, ratus gravis-

simum esse illud peccatum, propterea quod audierat in hac Diœcesi Bononiensi, ad quam ipse spectat, puniri pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Quare conscientiæ stimulis agitatis ad Cathedralem Ecclesiam illius Urbis proxima die Dominica perrexit, ut hujusmodi peccatum Pœnitentiario confiteretur, sed ex errore in alium Confessarium incidit, qui a peccato illo utpote ibi reservato facultatem non habebat absolvendi. Quare verecundia victus quærendi in eadem Ecclesia Pœnitentiarium, propediem reversurus ad Patriam distulit usque ad reditum in hanc Diœcesim confiteri. Quæritur, utrum hic possit a quolibet simplici Confessario absolvi?

Resp. cum distinctione. Vel Antonius per copulam habitam cum sponsa eam defloravit, et stuprum commisit, quatenus ea ante copulam erat virgo; vel non. Si primum, a simplici Confessario in hac Diœcesi non potest absolvi, quia stuprum est peccatum reservatum. Si secundum, dici eum a quolibet simplici Confessario absolvi posse. Nam licet copulæ cum sponsa ante contractum matrimonium sit annexa in hac Diœcesi ex Synodo pœna excommunicationis reservatæ: quia tamen peccatum illud fuit patratum ex cap. 2, de constit. in 6, et ideo ex hac parte potest in hac Diœcesi a simplici Confessario absolvi, quippe hic non est reservatum nisi ratione censuræ, quæ si contracta non est, nulla remanet reservatio.

Nec obest, quod peccatum illud ibi erat reservatum, ubi fuit commissum; peccans autem ratione delicti fit subditus ejus, in cujus territorio peccat. Subditus autem alterius Episcopi, si data opera se conferat in aliam Diœcesim, ut ibi absolvatur a peccato illi Episcopo reservato, non potest absolvi, licet in illa alia Diœcesi, ad quam se contulit, reservatum non sit, ut patet ex Const. Clem. X. incip. *Superna*. Non obest, inquam; quia primo Clemens X. proprie loquitur de subditis ratione domicilii. Secundo de iis loquitur, qui in fraudem reservationis alio se conferunt præcise ut absolvantur: quod non contingit in casu nostro. Nam Antonius et volebat ibi absolvi, et non præcise huc se contulit ad obtinendam absolutionem, sed ut in patriam rediret, ad quam

reversus esset nihilominus, etiamsi peccatum illud ibi reservatum non commisisset.

CAS. III. — Sacerdos, qui quadam die, qua Officium fiebat semiduplex de Sancto Episcopo et Conf., rogatus fuerat a largiente eleemosynam, ut pro se diceret Missam Votivam de Sancto Venantio Martyre (cui ipse rogator valde erat devotus, et Novendium ejus festum præcedens pie celebrat) non potuit obtinere ab Archipresbytero, in cujus Ecclesia ad Altare ibi existens ipsius S. Venantii debebat Missam dicere, paramentum rubri coloris ; contendente eodem Archipresbytero debere Sacerdotem se conformare colori ipsius Ecclesiæ, qui ea die erat albus. Quæritur, an Archipresbyter jure ac merito id contenderet; et an Sacerdos ille in paramento albi coloris posset rite Missam dicere de S. Venantio Martyre?

Resp. ad primam quæsiti partem, Archipresbyterum nimis rigide, ac male se gessisse cum illo Sacerdote. Nam etsi ex Decretis S. R. C. illud constet, quod *Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares, conformare se debent ritui Ecclesiæ, in qua celebrant*, ut habet Decretum 29 Januar. 1752, relatum a Talu in secunda edit. sub num. 1261, tamen id intelligendum est, quando in Ecclesia, ad quam Sacerdotes celebraturi accedunt vel peragitur festum cum solemnitate, et concursu populi; vel fit Officium duplex; vel cum sit dies Dominica, celebratur de ea: vel in summa quando prohibentur Missæ votivæ et Defunctorum. Etenim in mox cit. Decr. 1752, ante relata verba dicitur: *Serventur Decreta alias edita in una Tertii Ordinis S. Francisci die 11 Junii* 1701. Porro Decreta illa tria sunt, quæ refert Meratus in Indice Tom. I. sub n. 558, 559, 560, hisce verbis concepta: « Sacerdotes etiam Regulares « diebus, quibus propria Officia recitant sub Ritu du« plici, celebrantes in alienis Ecclesiis, quando peragi« tur Festum cum solemnitate, et concursu populi, « debent celebrare Missam conformando se Ritui et co« lori earumdem Ecclesiarum. In aliis vero diebus pos« sunt, sed quando prohibentur Missæ Votivæ, vel De-

« functorum, debent se uniformare saltem quoad colo-
« rem. S. R. C. 11 Junii 1701, in una Tert. Ord. S.
« Franc. »

» Sacerdotes exteri confluentes ad Ecclesias etiam
« Regularium, et celebrantes de Sanctis etiam Ordinis,
« quando Festum celebratur cum solemnitate, et con-
« cursu Populi, debent in Missis se uniformare cum
« Sacerdotibus illius Ecclesiæ etiam Regularibus quoad
« *Credo*, et numerum Orationum more duplicium; in
« aliis vero diebus possunt, S. R. C. 11 Junii 1701. in
« una Tert. Ord. S. Franc. «

« In Ecclesiis Regularium diebus Dominicis, quibus
« tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica,
« possunt exteri uti coloribus Paramentorum, quibus
« utuntur Regulares, ratione alicujus Octavæ; et Re-
« gulares celebrantes in alienis Ecclesiis uti coloribus
« juxta ritum earumdem; et tam exteri in Ecclesiis Re-
« gularium, quam Regulares in alienis possunt appo-
« nere commemorationem Octavæ, ut supra, occur-
« rentis, servata Rubrica de duplici Oratione habenda
« in Dominicis infra Octavam. S. R. C. 11 Junii 1701,
« in una Tert. Ord. S. Franc. »

Quare Decretum illud superius citatum anni 1752, non debet extendi etiam ad dies, quibus permittuntur Missæ Votivæ, vel Defunctorum, i. e. cum fit Officium semiduplex, aut simplex, aut de Feria non privilegiata. Nam si Missæ votivæ privatæ dici possunt pro arbitrio Sacerdotis quocumque die ex prædictis, cum Officium non est duplex, quamvis id passim fieri non debeat nisi rationabili de causa, ut habet Rubr. Miss. Tit. de Missis Votivis: Missæ autem votivæ celebrari debent cum colore eis congruo, et respondente, ut habetur in Rubr. de color., profecto et poterat Sacerdos die illa, de qua sermo est in casu proposito, Missam Votivam celebrare de S. Venantio, et proinde rubrum colorem adhibere convenientem Missæ de S. Martyre, licet juxta Ritum illius Ecclesiæ, ubi fiebat Officium de S. Confessore, adhibendus esset color albus. Proinde Archipresbyter ille denegans hanc facultatem illi Sacerdoti, nimis rigide et male se gessit.

Ad secundam vero quæsiti partem, in qua quæritur : *An sacerdos ille in paramento albi coloris possit rite Missam dicere de S. Venantio Martyre.* Resp. negative : erat enim S. R. C. Decretum 7 Maii 1746, apud Talu 2. edit. sub. num. 1229. sic expressum : « Recitantes « Officium de Martyre, et celebrantes in Ecclesiis, ubi « dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare « in colore illis Ecclesiis, etiamsi nulla ibi sit solemni- « tas? Responsum fuit affirmative, etiam quoad Mis- « sam, quæ non poterit celebrari de Sancto Confessore, « si color fuerit rubeus.» Quod quidem Decretum, licet quoad primam partem, scilicet quod debeant se conformare *etiam quoad Missam*, intelligendum sit cum supradicta limitatione, nempe *quando prohibentur Missæ votivæ, vel Defunctorum;* tamen manifeste innuit, nunquam celebrandum esse in paramento albi coloris, cum dicitur Missa de Martyre ; nec vicissim adhibendum esse colorem rubeum, cum Missa dicitur de Sancto Confessore. Quamvis autem quod attinet ad Ritum, hoc verum sit et servari debeat ; attamen quoniam juxta aliquos Auctores, inter quos recenseri potest etiam noster Gavantus, Rubrica de coloribus est duntaxat directiva, non præceptiva; ideo si aliqua necessitas, vel rationabilis causa postulet, in eorum sententia licebit, præciso omni scandalo, et contemptu, Missam celebrare cum paramento alterius coloris atque exigat Rubrica ipsa; juxta quam sententiam si Sacerdos, de quo in casu, putavit, debere se ea die onus susceptum subire celebrandi Missam illam votivam juxta mentem ejus, qui eleemosynam dederat, excusatione dignus fuit, si non *rite*, atque aliter ac Rubrica præscribit, Missam de Sancto Martyre in paramento albi coloris celebravit.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Juveni peccato mollitiei assueto Confessarius remedium præbiturus præscripsit, ut quoties hujusmodi peccatum in posterum commiserit, toties in

pœnam simul et antidotum recitet quinquies Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam. Satisne Confessarius iste consuluit saluti illius juvenis?

Resp. Etsi pia oratio sit universale remedium adversus omnes animi morbos, et præsertim adversus incontinentiam, quippe continentia unum est ex illis Dei donis, quæ plerumque nonnisi petentibus conceduntur, cum dicat sapiens Sap. 8, v. 21, *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ scire, cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum:* attamen in casu proposito non satis videtur Confessarius consuluisse saluti juvenis pœnitentis præscribendo ei solam recitationem illarum precum, tanquam remedium aptum ad puniendum, et emendandum illud vitium. Nam in hujusmodi casu verendum est, ne id contingat, quod contingere frequenter solet, ne scilicet ex levitate, ac facilitate remedii propositi, occasione accepta, peccata leviora putans in eadem pœnitens facile relabatur, atque ita majores radices agat vitium, ad quod eradicandum magnam vim habere propositum remedium falso arbitrabatur Confessarius minus prudens. Quare medicinales hujusmodi pœnæ tanquam nimis simplices, ac suaves adhiberi quidem possunt, sed non solæ, bene vero mixtæ aliis aliquanto acrioribus, quæ animum magis moveant, et in admissi criminis horrorem inducant, veluti sunt jejunia, humi cubatio, cædere se flagellis, et aliæ ejusdem generis pro personarum varietate afflictationes, ad quas evitandas utpote valde molestas libenter ac facile quis abstinet a peccato, secum reputans minus grave esse carere vetita voluptate, quam sese injicere in necessitatem subeundi tam asperas corporis vexationes. Cæterum hujusmodi morbo laborantibus, sicut et aliis assuetis cuicumque vitio, in cujus actum nemo relabitur nisi advertens, remedia apta non tam in pœnam iterati peccati, si forte in posterum committatur, quam ad illud ipsum præcavendum præscribenda sunt, juxta illud Eccles. 18, 20. *Ante languorem adhibe medicinam.* Nam remedia adhibita ante novum peccatum

post acceptam gratiam, præterquam quod animum melius dispositum magis afficiunt, et ita facilius præservant a morbo; hoc etiam utilitatis habent, quod in statu gratiæ peracta sunt, et plurimum valent ad uberius, atque efficacius auxilium obtinendum a Deo ad evitandum peccatum.

Ut autem apta remedia præscribantur ad peccatum in posterum præcavendum, investiganda in primis est, et cognoscenda origo, ex qua ipsum nasci solet, eaque est intercludenda. Nam si juvenis ille, de quo nunc agitur, in illud turpe peccatum labitur, propterea quod sine ulla necessitate, aut nimis libere agit cum aliis ejusdem, aut diversi sexus, quorum præsentia, et familiaritas ipsum incitat ad libidinem; hujusmodi libertas et familiaritas, imo et ipsa conversatio, si non sit necessaria, omnino tollenda de medio est. Si ejus peccatum originem ducat a liberiori oculorum usu, aspiciendo varia objecta, ex quibus excitantur in mente impuræ imagines, quæ animam movent ad luxuriam; præscribenda ei est sedula oculorum custodia, ut nunquam de industria, ac data opera eos figat ad intuenda objecta illa; nam oculi sunt fenestræ, per quos ut plurimum peccatum carnis intrat in animam. Si ab obscenis colloquiis, pravisque sodalibus incitatur ad turpitudinem illam, præcipiendum est ei, ut ab eisdem prorsus declinet: nam Apostolus monet 1. Cor. 15, v. 33. *Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala.*

Præterea vitio illo irretitis commendanda maxime est humilitatis exercitatio; nam sæpe Deus permittit eos in turpia illa peccata labi ad puniendam eorum superbiam, quod satis in nuitidem Apost. Rom. 1. v. 21 et 24. *Evanuerunt in cogitationibus suis etc. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Proponenda etiam temperantia in cibo, et potu, præsertim vino, *in quo est luxuria*, Ephes. 5, 18., ut proinde idemmet Apost. ad Tit. 2, scribat: *Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.* Fuga pariter otii summopere suadenda est: *multam enim malitiam docuit otiositas.* Eccli. 33, 29. Eleemosyna quoque pro conditione per-

sonæ suggerenda : *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat*, ut dicitur Tob. 4, 11. Denique suadenda maxime est, utpote efficacissima ad omne peccatum præcavendum, ad vitium quodcumque eradicandum, seria et frequens novissimorum hominis consideratio, juxta illud Eccli. 7, 40. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

CAS. II. — Apronius vir iracundus contumelias etiam graves facile evomit contra homines æqualis, vel inferioris conditionis ; sed paulo post, iræ impetu sedato, nihil odii, aut indignationis in animo retinet contra eosdem, paratus eos, ubi ferat occasio, salutare, et alloqui. Atque ideo putat se nec graviter peccare, nec ulli satisfactioni esse obligatum. Potestne Confessarius hanc Apronii opinionem approbare?

Resp. Vel Apronius graves illas contumelias animo deliberato evomit, intendens, vel saltem advertens per eas notabiliter lædi in honore, et graviter contristari homines illos sive æqualis, sive inferioris conditionis ; et tunc graviter peccat, et gravi obligatione adstringitur eisdem pro injuria illata satisfaciendi. Vel Apronius ex subito iræ impetu erumpit in eas contumelias absque animo, seu cogitatione dehonestandi, et contristandi proximum suum; et tunc distinguendum iterum est. Aut enim certo novit Apronius homines illos nec graviter offendi, nec graviter contristari ob illas contumelias, propterea quod ejus animum, et consuetudinem norunt, aut alia de causa ejus verba contumeliosa non curant ; et tunc nec graviter peccare videtur, nec graviter obligari ad reparandam offensam. Aut vero alias advertit homines a se contumeliis affectos graviter fuisse offensos, et contristatos; tunc etenim si debitam diligentiam non adhibuit ad sese corrigendum, pravamque illam consuetudinem deponendam, graviter quidem peccat, quoties advertit, et negligit emendationem, quia se exponit periculo graviter offendendi, et contristandi proximum : ac præterea si quos novit ob contumelias in ipsos prolatas graviter fuisse offensos, et contristatos, tenetur

utique sub gravi eisdem satisfacere, aut veniam petendo, si de æqualibus agatur, aut aliqua extraordinaria honoris, et benevolentiæ significatione allatam injuriam compensando, si sermo sit de inferioribus. Atque ex his patet, quando, et quatenus possit Confessarius, vel non possit Apronii opinionem approbare.

CAS. III. — Capellanus vehementer dubitat vinum, quod Parochus suppeditat pro Missis, cœpisse jam acescere: monet proinde hac de re Parochum, qui fidenter negat id verum esse, quia id ipse non sentit. Quæritur, an Capellanus, licet sensu ipso percipiat vinum illud tanquam acescens, possit nihilominus eo ad Missam uti?

Resp. Quoniam vinum, quod cœpit acescere, licet sit materia valida, est tamen graviter illicita[1], et inconveniens conficiendo Sacramento, ut post D. Th. 3, p. q. 74, art. 5, ad 2, notat Rubrica Missalis de defectu vini, et ex utroque refert, ac observat Eminentis. olim Archiepiscopus noster Prosper Lambertinus, postea SS. Pontifex Benedictus XIV, fel. record. in sua Instit. Italicæ editionis 10, tom. 4., Latinæ vero 77, num. 2, et 9., debet utique Capellanus in casu proposito ex vi ejusdem Instut. num. 11. exposcere aliud vinum idoneum, monendo scilicet Parochum, si ad ipsum spectat vinum pro sacrificio suppeditare, de illius vini defectu, seu aciditate. At si Parochus in sua opinione persistat vinum illud nequaquam esse subacidum, tunc Capellanus vel potest prudenter dubium deponere, sibique persuadere illud vinum nondum revera cœpisse acescere, et tunc dubio deposito potest licite eo uti in Sacrificio: vel non potest ullo pacto dubium deponere, et tunc, si commode potest, debet aliud vinum aptum pro Missa celebranda sibi comparare, secus vino illo vere subacido utens incurreret pœnam *suspensionis a Divinis* latam cit. num. 11., seu paragrapho ultimo laudatæ Institutionis. Quod si neutrum possit, i. e. nec dubium deponere, nec aliud vinum sibi parare, et si Capellanus inserviens Parocho, aut Missæ celebrationi in Parochiali Ecclesia obligatus, tunc ei videretur aptari posse, quod in cad. Instit. num. 2. dicitur = *Ille solum Sacerdos*

culpa immunis, et vacuus declaratur, qui Sacrum facere debeat, nec tamen commutandi vini potestatem habeat, quod Regularibus contingit. Tunc enim (nisi vinum corruptum penitus fuerit, sed acescere solum inceperit) in Præsides omnis culpa confertur, aut in Ministros, qui vinum pro Missæ Sacrificio suppeditare tenebantur. Ita sentiunt Quartus, ac recens Consultor Sacrorum Rituum P. Meratus, qui Gavanti opus explicavit, commentariisque exornavit.

MENSE JULII.

CAS. I. — Quidam Pœnitens confitetur se pluries turpibus cogitationibus immoratum, ac delectatum esse, et petit a Confessario remedium, ut ab hoc peccato, quod frequenter committit, liberatur. Quodnam remedium suggeret Confessarius?

Resp. Investigare in primis debet Confessarius originem illarum turpium cogitationum, in quibus frequenter pœnitens immorari solet, ac delectari: nam si cæ proveniunt ab aliqua occasione voluntaria quam eis præbet, potissimum et maxime necessarium remedium, sine quo cætera parum, aut nihil prodessent, erit amotio illius occasionis.v. g. Si ideo pœnitens ille sit obnoxius turpibus cogitationibus, quibus libera delectatione consentit, propterea quod absque ulla necessitate, et solum, ut genio suo indulgeat, versatur cum personis diversi, aut ejusdem sexus, quarum impuro amore sentit se affici, quarumve imagines postmodum animo observantur, aut quia nimis liber est in aspiciendis quibuscumque obviis mulieribus, aliisve objectis, quæ impura phantasmata in animo excitant, tunc profecto præcipuum remedium erit abstinere ab illis conversationibus, illisve aspectibus. Atque idem dicendum de pravis colloquiis, dissolutisque sodalibus, qui aut cantilenis, aut gestibus obscenis in causa esse possunt, cur menti occurrant turpes illæ cogitationes. Si vero harum cogitationum occasio necessaria est, ac prorsus involuntaria, attamen eisdem menti occurren-

tibus pœnitens ille morose consuevit delectari : tunc pia oratio, frequens renovatio propositi non consentiendi, fuga otii, novissimorum meditatio, et alia, quorum meminimus in resp. ad I. Cas. mensis Junii, ac præsertim devotio singularis erga Beatissimam Immaculatam Virginem Mariam opportuna, et efficacia erunt remedia curando spirituali hujusmodi morbo.

CAS. II. — Proculus unicam audiens Missam die festo de præcepto, voluntarie per notabilem ejus partem distrahitur, loquendo sine ulla necessitate cum vicinis; circumspiciendo Ecclesiam; observando quis ingrediatur, quis exeat: satisfacitne Ecclesiæ præcepto?

Resp. negat. Ut enim præcepto Ecclesiastico audiendi Missam satisfiat, necessaria est non solum physica corporis, sed etiam moralis animi præsentia, scilicet attentio, et pia aliqua affectio erga Deum, resve divinas. Præcipitur namque ab Ecclesia ea Missæ auditio, quæ sit actus Religionis, qua nimirum Deus vere colatur; vere autem colitur Deus non utique sola externa corporis præsentia, sed potissimum interna mentis attentione. Nam *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare* Joan 4, 24. Quare de voluntaria mentis distractione quoad audiendam Missam æque judicandum est, atque de omnimoda corporis absentia. Sicuti ergo qui per notabilem Missæ partem abesset omnino, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ; ita neque dicendus est satisfacere, qui voluntarie distrahitur per eamdem notabilem partem. Quamquam in proposito casu Proculus contra præceptum audiendi Missam peccat non solum defectu debitæ internæ devotionis, et attentionis, quæ ad verum Dei cultum requiritur, quem exigit Ecclesia a Fidelibus, præcipiendo ut Missæ Sacrificio assistant; sed etiam defectu debitæ præsentiæ externæ, quæ in quadam religiosa corporis compositione consistit. Etenim loquendo absque necessitate cum vicinis, circumspiciendo Ecclesiam, observando quis intret, quis exeat, profecto etiam exterius irreligiose se habet, ac irreverenter se gerit, adeo ut ei desit ea etiam corporis præsentia, quam Sacrosancta illa actio ab astan-

tibus postulat; præsertim cum ipsi etiam astantes suo modo simul cum Sacerdote Sacrificium offerre debeant, ut constat tum ex multis precibus, quæ in Missa dicuntur a Sacerdote non suo tantum, sed etiam astantium nomine sub plurali numero, ac potissimum ex formula oblationis Calicis, tum vero maxime ex eo, quod Sacerdos ad astantes conversus ait: *Orate fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat, etc.*

CAS. III. — Sacerdos Sacrum facturus ex obligatione die festo in quodam Oratorio publico procul posito ab omni alia Ecclesia, non invenit Candelas cereas, quas Custos ipsius Oratorii emere debebat, sed oblitus erat. Quare quum domi suæ, quæ parum ab Oratorio distat, haberet Candelas ex sevo, iis usus est ad Missam dicendam. Ritene id facere potuit?

Resp. Etsi communis consuetudo sit, ut adhibeantur in Missa candelæ cereæ, quæ quidem consuetudo omnino servanda est (nisi aliud necessitas postulet) ob majorem scilicet decentiam, et munditiem; ut proinde in Rubrica de defectibus in ministerio ipso occurrentibus enumeretur inter præcipuos defectus etiam hic: *Si non adsint luminaria Cerea*, tamen urgente aliqua necessitate, ut in casu proposito, licebit uti (dum nullum sit periculum scandali in astantibus) candelis etiam ex adipe, vel sevo confectis, quia Rubricæ generales Tit. 20, de præparatione Altaris et ornamentorum ejus, præscribunt quidem duas candelas, sed non determinant earum materiam. *Super Altare collocetur Crux, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc, et inde in utroque ejus latere.*

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Quidam Confessarius putat se satisfacere muneri suo, si postquam confitentium peccata audivit, quæ ipse possit absolvere, ubi sibi non constet eos esse indispositos, statim imposita pœnitentia illos absolutos dimittit absque ulla prorsus monitione, aut exhorta-

tione. Atque ita cum omnibus fere confitentibus se gerit. Vere ne hujusmodi Confessarius ministerium suum satis implet, ac tutus in conscientia esse potest?

Resp. negat. si ita indiscriminatim se gerat cum omnibus fere confitentibus, cujuscumque ii sint generis. Eo enim pacto agens recte exequi non potest duo præcipua munera, quæ in suo ministerio exercere debet Confessarius, judicis videlicet, ac medici spiritualis. Nam ut judex justam sententiam ferre debet; ut medicus vero opportuna remedia pro varietate morborum præbere. Neutrum autem præstare poterit, nisi diligenter inquirat et peccatoris circumstantias et peccati; i. e. nisi præsentem pœnitentis statum, et dispositionem bene noverit. Potest quidem Confessarius pœnitentes illos, quos cognoscit frequenter ad confessionem accedere, et diligentes esse tum in examinanda conscientia, tum in concipiendo dolore, ac proposito, tum etiam in explicandis peccatis, quandoque confessione venialium duntaxat peracta, impositaque pœnitentia statim absolvere, ac dimittere absque ulla monitione, quippe qua indigere non videantur. At id agere etiam cum rudibus, et ignotis quibuscumque pœnitentibus sive venialia, sive mortalia peccata confessis, nullo modo ei licet. Ut enim observant qui de officio Confessarii agunt, nimis constat aliquos imparatos accedere non satis discussa conscientia, aliquos præ verecundia non audere quædam peccata exponere, aliquos putare se sufficienter contritos, si contritionis formulam oretenus recitaverint. Porro solertis Confessarii est, qui officium suum rite, ac recte implere velit, istos, aliosque graves defectus, qui identidem in rudium hominum, veluti puerorum, adolescentium, mulierum, ac præsertim puellarum, et rusticorum Confessionibus fortasse contingunt, prudenter interrogando investigare ac reparare, ne loco Sacramenti sacrilegium fiat. Ex his etiam si qui gravia peccata confessi sunt, moneri debent, ut malum, quod admiserunt, agnoscant, et horreant, ac debitam operam impendant propriæ emendationi. Etenim si absque ulla correptione dimittantur, peccata illa levia putantes parvi pendunt, nec student corrigere, atque ita in ea-

dem facile relabuntur. Quare Rituale Romanum de Sacram. Pœnit. Confessarium instruens § *Demum* ait: *Demum audita confessione, perpendens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem, et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.*

Cæterum casum hunc jam pridem resolvit Sum. Pontifex Benedictus XIV. felic. record. in sua Constit. 19. tom. 3, sui Bullarii, quæ est Epistola Encyclica scripta ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos de præparatione ad annum universalis Jubilæi; ubi inter alia de officio Confessarii luculenter agens n. 19, hæc habet: «Primo loco monemus, ut meminerint sus-« cepti muneris partes non implere, imo vero *gra-« vioris criminis reos* esse eos omnes, qui cum in sacro « Pœnitentiæ Tribunali resident, nulla tacti sollicitu-« dine, pœnitentes audiunt, *non monent, non inter-« rogant*, sed expleta criminum enumeratione, Abso-« lutionis formam illico proferunt. Id sane a solertis « Medici, qui oleum ac vinum vulneri infundit, mori-« bus nimis alienum est. Equidem Medicum agit quis-« quis Pœnitentiæ Sacramentum ministrat, hinc debet « nedum criminum circumstantias, sed etiam illius, « qui in crimina lapsus est, indolem, ac ingenium se-« dulo inspicere, ut illi præsto sit opportunis reme-« diis, ex quibus animæ salutem consequatur, etc.» Num. autem 22, postquam monuit Confessarios, ut memores propositionum a suis Prædecessoribus damnatarum, ac præ cæteris propositionis ordine 60, cum tribus sequentibus ab Innoc. XI. proscriptæ, discant, quibus in casibus concedenda, deneganda aut protrahenda sit absolutio, infra hæc subdit: «Ubi vero absolutio-« nem concedunt iis potissimum, qui aut raro, aut non « sine multis criminibus ad Pœnitentiæ Sacramentum « solent accedere, eos hortari non desinant; vitam, « quam sub peccati jugo duxere miserrimam, illis ape-

« riant, criminum turpitudinem explicent, ut nimirum « ex corde doleant, ac se in posterum a peccatis reces- « suros serio proponant..... Nec Confessarii reponant « id fieri non posse, si frequentior pœnitentium nu- « merus suadeat brevitatem; jam enim difficultatem « dissolvit aurea illa Sancti Francisci Xaverii sententia « apud P. Tursellinum in ejus Vita lib. 6, cap. 17, « hisce verbis concepta: *Confitentibus porro non fe-* « *stinatam, sed diligentem navandam operam cense-* « *bat; monens ut præoptarent confessiones paucas* « *rite factas audire, quam multas temere properatas.*»

CAS. II. — Obstetrix infantem paulo ante natum, ob mortis periculum, quod imminens videbatur, baptizare festinans, digitos immisit in vas aquæ benedictæ pendens prope lectum, eaque caput infantis inclinatum in modum crucis aspersit, rite proferens eodem tempore, et cum debita intentione formam Baptismi. Sed quia infans multos habebat capillos, dubitat nunc Obstetrix, an ulla aquæ gutta cutem infantis tetigerit, solive capilli fuerint aspersi. Quærit autem a suo Parocho, utrum infans certo sit, et valide baptizatus. Quid respondebit?

Respondebit Parochus, stante hujusmodi dubio, dubitari etiam posse de valore baptismi, ac proinde infantem esse sub conditione baptizandum. Etsi enim nonnulli DD. putent capillos esse veram hominis, seu humani corporis partem, quippe quia ad ejus ornatum spectat, eique intima conjuncta est; ideoque capillis ablutis homo simpliciter ablutus dici potest: communior tamen sententia negat capillos esse proprie dictam hominis, sive corporis humani partem, utpote quæ licet vegetabilis sit, attamen sensu per se caret, et veluti quædam superfluitas habetur; adeo ut ablutis capillis vere nequeat homò dici ablutus; eo pacto quo neque ablui diceretur homo, si ejus duntaxat ungues abluerentur: capillorum porro, et unguium eadem videtur esse in humano corpore ratio. Quare postrema nostra Synodus lib. 2, c. 2, de Sacr. Bapt. § *Cum Baptismi*, monet: *cutem capitis attingat aqua, dum infunditur, nec si superficiem capillorum tetigerit, ablutus infans cen-*

seatur. Quod utique juxta tutiorem Theologorum sententiam statutum est, qui notant in praxi sub gravi curandum esse a Ministro Baptismi, ut aqua ad carnem pertingat, et quidem in ea quantitate, ut qui baptizatur, secundum communem hominum æstimationem censeri possit ablutus.

CAS. III. — Die Dominica celebraturus Missam Capellanus in quodam publico Oratorio, in quod ad eam audiendam multi convenerunt, neminem reperit, qui sciat Missæ inservire, nec facile tunc est aliquem invenire ad hoc idoneum ; nam Oratorium distat a Parochia, et prope est meridies. Quid agere debet Capellanus ?

Resp. debere Capellanum in hujusmodi casu adhibere aliquem virum, qui sibi in ministerio Missæ porrigat vinum et aquam. Quod autem attinet ad preces, quæ vel alternatim a Sacerdote, et a Ministro, vel ab hoc solo recitari debent, poterit illas solus Celebrans per se recitare, sibique respondere. Nam in casu necessitatis, est casus propositus, id licere consentiunt communiter Doctores. Et certe si Rubrica Missalis in celebratione Missæ Tit. 4, de *Kyrie eleison* expresse admonet n. 2, in fine : *Si minister, vel qui intersunt, celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.* Et Tit. 7, n. 7, item monet, quod si a Ministro, vel circumstantibus ad *Orate fratres*, non respondeatur : *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis*, ipse Sacerdos per se ipsum dicat *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus meis etc.*, usque ad finem : quidni possit celebrans etiam reliqua dicenda in Missa cum Ministro, vel ab hoc dumtaxat, ipse solus dicere, si Minister nesciat respondere ? Nam vetitum quidem est sine Ministro prorsus Missam celebrare, ut habetur in Rubrica de Defectibus tit. 10, num. 1, ubi dicitur : *Si non adsit Clericus, vel alius deserviens in missa, vel adsit qui deservire non debet, ut ulier :* at non est vetitum in casu necessitatis ministrum adhibere, qui respondere nesciat, dummodo tamen possit vinum et aquam in ipso Ministerio suppeditare, præsertim ad abluendos digitos tum ante consecrationem, tum post consummationem.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Transiens sæpe quidam Rusticus per agros, et vineas alienas, nunc pirum, nunc pomum, nunc racemum uvæ ad sedandam sitim colligit, non sine conscientia modici quidem, sed tamen furti. Hujusmodi conscientia estne recta, an erronea?

Resp. Quia Deus in lege veteri inter alia præcepta judicialia, quæ dederat populo Hebræo, hoc etiam statuerat, ut posset quis ingressus vineam alterius comedere ibi uvas pro libito, non tamen inde efferre, et alio asportare: *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum.* Deut. 23, v. 24: idcirco nonnulli DD. docuerunt etiam nunc licitum esse cuique in transitu per vineam colligere, et comedere aliquem uvæ racemum, et similiter unum vel alterum pomum statim comedendum ex pomario auferre. Verum quum præcepta judicialia veteris legis post Christi mortem cessaverint prorsus, nec ullam amplius vim obligandi exinde habeant, ut probat D. Thomas 1, 2, q. 104. art. 3, nempe, quia ad statum Hebræorum disponendum, et ordinandum erant idonea, quo statu mutato post Christum, etiam ipsa præcepta judicialia oportuit mutari; ideo ex præcepto illo nihil potest ad rem nostram inferri. Imo superstitiosum esset velle præceptum illud observare, tanquam ex vi veteris legis adhuc obligaret, ut ostendit ibidem Doctor Angelicus. Possunt quidem Christiani Legislatores, si subditis suis utile censent, aliquod veteris legis judiciale præceptum in suis ditionibus renovare, et per legem sancire. Idque constat ex nonnullis legibus Pontificiis in corpore juris inclusis, quæ ex præceptis judicialibus Mosaicæ legis vel ad verbum, vel paulo aliter descriptæ sunt, velut cap. 1, de Homic. cap. item 1, de Adult., pariter cap. 1, de Furt., et quinque priora capita Tit. de Injuriis in Decretalibus Gregorii IX. At possunt æque iidem Legislatores quasdam leges condere, quæ directe, vel in-

directe alicui judiciali præcepto Mosaico opponantur, si eas convenientes, et profuturas subditis existiment. Sic leges municipales plurimarum civitatum prohibent sub gravibus pœnis, ne quis ingrediatur vineas ad comedendum uvas. Et quamvis nonnulli putent leges hujusmodi obligare dumtaxat ad pœnam, et in foro tantum externo : tamen probabilior sententia videtur obligare etiam in conscientia graviter, vel leviter pro ratione materiæ, ut colligitur ex cap. 13. Epist. ad Rom., ubi dicitur : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt..... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et quod attinet ad rem nostram, quoniam Statuta Bononiensia Rubr. 196. § 1, prohibent et ipsa ingressum in alienas vineas sub pœna; et jubent emendari damnum, si quod datum est : « Statuimus, et ordinamus, quod nulla persona intret, vel intrare debeat, vel præsumat vineam per alium possessam, et qui contrafecerit, condemnetur possessori vineæ pro qualibet vice in solidis viginti Bononenorum, et emendet damnum, si quod dedisse diceretur, et condemnetur Communi Bononiæ in solidis viginti Bonon.» Idcirco in casu proposito dicendum est, conscientiam Rustici rectam esse, putantis se parvum furtum committere comedendo uvas, et fructus, quos carpit transiens per vineas alienas etc., quia injuste id facit, utpote contra manifestum jus id vetans, et proinde invito rationabiliter domino, nisi de hujus voluntate oppositum expresse, vel tacite constaret.

CAS. II. — Paterfamilias nuptui traditurus filiam suam promiserat Sponso dotem quinquaginta aureorum; sed quia celebratis nuptiis eos in promptu non habet, interim dat in pignus Genero suo vineolam, quam possidet, ejusdem circiter pretii. Teneturne Gener computare in sortem fructus, quos, detractis omnibus expensis, ex vineola illa colligit?

Resp. neg., dum tamen, ut supponitur, Gener, non Socer, alat uxorem : habetur hujus casus resolutio cap. *Salubriter* 16, *de usuris*, ubi dicitur : *Sane generum ad fructus possessionum, quæ sibi a Socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum : cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.* Quia vero generatim certum est creditorem deberc computare in sortem principalem fructus perceptos ex re sibi pignori data, ut patet ex cap. 6, de *Pignoribus*, et cap. 1, de *Usuris;* idcirco doctoribus tam Jurisperitis, quam Theologis difficilis non immerito visa est præsens decisio, eique varias attulerunt interpretationes, quarum pleræque eam potius obscurant, quam illustrant: cæteris omissis, maxime ea nobis probatur, quæ affertur ab Emanuele Gonzalez in suo Comment. ad citat. cap. *Salubriter* num. 7, ubi ait : « Ut veram præsentis textus rationem assignemus, » præmittendum est, Maritum, cui dos promissa non » solvitur, non teneri sustinere onera matrimonii ; imo » patrem, seu extraneum dotem promittentem marito, » teneri, dum dos non solvitur, onera matrimonii sup- » portare. *l. Si is, qui* 56, § 1, *ff. de jure dot. l. Si filia* » *nupta* 20, § 2, *l. Si Maritus* 46, *famil. ercisc.* » probant Felicianus *de Censibus, lib.* 2, *c.* 5. Petr. Barb. » *in rubric. solut. matrim. part.* 1, *a. n.* 68. Arias de » Mesa *lib.* 3, *var. cap.* 46, *n.* 20. Deinde præmitten- » dum est, quod si ab initio, cum de dotis constitutione » agitur, conventum sit inter Maritum, et dotem con- » stituentem, ut dos intra mensem, vel annum solvatur, » pignoribus datis, et si interim sustineat onera matri- » monii, non tamen idcirco potest fructus pignoris lu- » crari, aut usuras dotis petere, nisi pactum interces- » serit, ut interim, dum dos non solvitur, aliquid in- » teressis nomine solvatur : quod pactum late probant, » et defendunt Sese *tom.* 1, *decis.* 68, *per tot.* Gibal. » *lib.* 4, *de usur, cap.* 5, *art.* 15, *consect.* 3, *per tot.* » In præsenti autem textu dos de præsenti constituta » fuit, nulla temporis dilatione data patri ad ejus solu- » tionem. Quibus præmissis, apparet vera ratio, quare

» in præsenti maritus fructus pignoris percipere possit,
» nec teneatur eos in dotem imputare, quia videlicet
» eos accipit non ratione mutui, nec dilatæ solutionis, sed
» ex ea causa, quia scilicet uxorem aluit, et cætera omnia
» sustinuit absque dote; quæ sustinere debebat socer.
» Quare quid mirum, si gener ex rebus soceri, videli-
» cet ex fructibus pignorum, onera matrimonii sustinuit,
» quæ pater sustinere debebat; et ideo non tenetur si-
» miles fructus imputare in sortem principalem?.. Tota
» ergo ratio, quare in præsenti casu rite, et recte Ma-
» ritus lucratur fructus pignorum, consistit in eo, quia
» sustinet onera matrimonii, quæ socer sustinere de-
» bebat. »

CAS. III. — Parochus, cujus Ecclesiæ titulus est S. Michael Archangelus, exigit a Sacerdotibus quibuscumque in ea Ecclesia Missam celebrantibus infra octavam ejusdem Festi, ut in Missa commemorationem ejus faciant, et recitent *Credo*. Jurene ac merito id exigit?

Resp. cum distinct. Vel enim Sacerdotes celebrantes infra Octavam Festi ejusdem Titul. Missam dicunt juxta Ritum ejusdem Ecclesiæ, vel non. Si dicunt juxta Ritum ejusdem Ecclesiæ, tunc certe debent et commemorationem Octavæ facere, et recitare *Credo*, ut Ritus illius Ecclesiæ fert, idque jure exigit Parochus. Si vero dicunt Missam juxta Ritum ejus Ecclesiæ, sed quisque ad eam aliunde adveniens Missam dicit aut convenientem Officio recitato, aut votivam in die infra octavam in qua fiat Officium semiduplex, tunc nulla est obligatio faciendæ commemorationis Octavæ, aut recitandi Symbolum, quod quidem in Missis votivis privatis nunquam dicitur, in quibus Octavæ commemoratio fieri debet ab iis tantum, qui etiam obligantur in Officio. Sine justa autem causa exigeret Parochus, ut Sacerdotes omnes etiam qui eidem Ecclesiæ non sunt addicti, ad ejus Ritum, cum in ea celebrant, sese conforment, præterquam in casibus expresse statutis per Decreta S. R. C., quæ attulimus in resp. ad cas. 3. Mensis Maii hujusce anni.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Rusticus quidam multis debitis gravatus, desperans se unquam posse ea omnia extinguere, nullam diligentiam adhibet ad satisfaciendum suis Creditoribus. In eo statu estne capax absolutionis?

Resp. negat. Nam eo ipso, quod diligentiam, quam potest, et debet adhibere, voluntarie omittit in re gravis momenti, cujusmodi supponitur in casu summa totius debiti, graviter peccat, et est in continuo statu mortalis peccati, quousque pravam voluntatem mutet, et efficaciter proponat debitam diligentiam ponere ad satisfaciendum suis creditoribus. Quamvis enim vero quis sibi persuadeat, nunquam se fore solvendo integram summam; tamen curare debet, ut saltem partem aliquam solvat: nam qui nequit totum restituere, potest autem partem, ad hanc tenetur: et qui non potest restituere nunc, debet voluntatem habere restituendi, cum primum poterit; ac proinde adhibere debet moralem diligentiam, ut possit; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad eum consequendum necessaria.

CAS. II. — Curiosus quidam sæpe ad domum sui vicini clam accedit, ut quid ille agat, quidve loquatur cum suis domesticis, per rimas portæ, aut fenestræ inspiciat, et audiat, non quidem animo nocendi, sed causa dumtaxat nutriendæ suæ curiositatis. Dicendusne est graviter in hoc peccare?

Resp. Etsi peccatum curiositatis, quod studiositati per excessum opponitur, ex genere suo videatur esse leve peccatum; attamen evadere potest mortale, si pertrahat hominem ad aliquod grave præceptum sive Divinum, sive humanum violandum: veluti si quis alium induceret ad sibi manifestandum aliquid magni momenti sub naturali secreto ei ab amico communicatum; aut divinatione uteretur ad cognoscendas res futuras, vel occultas; aut si librum prohibitum scienter legeret.

Porro in casu proposito licet videatur esse pura curiositas clam inspicere, et audire facta, et sermones vicini absque ullo pravo fine; tamen quia ibi dicitur curiosus ille *sæpe* id facere: ex frequentia hujusmodi actuum gravis injuria fieri videtur vicino, qui graviter posset offendi, si id resciret. Nemo enim jus habet sine causa accedendi ad ostium, aut fenestras domicilii alterius, ut introspiciat, et audiat, quid ille domi suæ agat, vel loquatur. Quod autem non jure fit, injuria fieri dicitur l. 1. ff. *de injur.* Et unusquisque est graviter, ac rationabiliter invitus, ac moleste fert, et multum contristatur, si sciat extraneum frequenter clam observare, et rimari, quæ domi facit, vel dicit; *quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum est:* ut dicitur l. *Plerique* 18, ff. *de in jus vocan.* Quare nisi defectus considerationis, aut judicii, seu levitas hujusmodi curiosi ipsum excuset, arguendus videtur peccati mortalis, quia id facit quod graviter potest contristare proximum suum, si forte id resciat; quodque ipse curiosus graviter ferret, si alter secum ita se gereret. Est autem naturale præceptum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

CAS. III. — Duo Capellani contendebant inter se, an verba illa Canonis, quæ dicuntur pro commemoratione Fidelium tam vivorum, quam defunctorum, scil. *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum,* sint alta voce pronuncianda, an autem secreto; et alter quidem affirmabat, alter negabat ea esse alta voce proferenda. Cui standum?

Resp. standum ei, qui negat. Nam in Rubricis satis aperte indicatur, quando aliquid sive extra Canonem, sive in Canone est aut secreta, aut alta voce dicendum. Quum autem quæ præcedunt, et subsequuntur *Memento* tam vivorum, quam mortuorum secreto dici debeant, ut habetur in Rubr., seu *Ritu celebr. Miss.* Tit. 8 et 9, *de Canone etc.* num. 1, et ubi vox elevanda est, adnotetur, ut ad illa verba: *Nobis quoque peccatoribus*, et alibi: idcirco quoniam ad ea verba *Memento etc.* nihil a Rubr. quoad elationem vocis notatur, satis con-

stat ea secreto esse dicenda. Et si sunt qui aliter faciunt, abusus est, qui facile, cum aliis hujusmodi contra Ritum, de medio tolleretur, si unusquisque Sacerdos identidem attente Rubricas legeret. Certe ad propositum casum quod attinet, P. Merati in suis novis observ. ad Gavan. part. 2, tit. 8, n. 7, loquens de commemoratione vivorum ait: « Advertere etiam debet omnis Sa» cerdos, quod dum profert illa verba: *Memento fa» mulorum etc.* non debet ea, et sequentia verba alta » voce, sed secreta proferre. » Et Tit. 9, n. 4, de Defunctorum Commemoratione agens hæc habet: « Sa» cerdos in pronunciandis primis verbis hujus formu» læ, et dicendo *Memento etc.* debet secreto, non vero » mediocri voce prædicta verba proferre, ut clare Ru» brica disponit. »

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I.— Dives quidam detinet ruri magnam copiam tritici eo fine, ut illud rusticis vendat hyberno tempore; vendit autem eo pacto, ut solvatur pretium, quod toto eo anno usque ad novam messem fuerit majus. Estne licitus hic contractus?

Resp. contractum hujusmodi per se esse injustum. Venditor enim per se nullum jus habet paciscendi pretium illud majus, ad quod per totum annum usque ad novam messem triticum ascenderit. Nam justitia commutativa, quæ in omnibus contractibus utrinque onerosis servanda est, requirit æqualitatem rei ad rem, ideoque æqualem etiam contrahentium conditionem: porro in proposito contractu hujusmodi æqualitas non servatur. Etenim si rustici emerent triticum hyberno tempore justo pretio, vel legitimo, vel vulgari, quod tunc obtinet; tunc utique haberetur æqualitas inter triticum, et pretium, et æqualis esset conditio emptoris, et venditoris. At dum emunt pretio majori, ad quod intra annum usque ad novam messem pervenerit, non est amplius æqualis ementis, et vendentis conditio; quia ven-

dens certus est, se non posse eo anno pluris vendere : at emens nullam spem habet se posse minoris emere.

CAS. II. — Cajus homo pecuniosus Colonis hyeme indigentibus dat pecuniam eo pacto, ut pro singulis scutis reddant tempore novæ messis totidem mensuras tritici : quæ licet tempore contractus plus valeant, utrum plus vel minus tempore novæ messis sint valituræ, verosimiliter dubitatur. Debetne reputari usurarius?

Resp. præcise ex vi hujusmodi contractus Cajum non esse usurarium reputandum. Nam usura, sive aperta sive palliata, tunc committitur, cum lucrum ratione mutui dumtaxat sive expliciti, sive impliciti, percipitur, vel quæritur. Porro contractus, de quo in casu nostro agitur, non est mutuum, sed emptio, venditio cum anticipata solutione taxati pretii. Et quamvis anticipata pretii solutio possit esse mutuum quoddam implicitum, et tunc usura palliata committi queat, si emptor ratione duntaxat anticipatæ solutionis velit rem emere vilius, quam sit justum pretium : tamen in nostro casu id minime contingit. Etsi enim taxetur pretium tritici ob anticipatam solutionem; quia tamen tempore contractus dubium est tam ex parte emptoris, quam venditoris, an in nova messe triticum sit pluris, an minoris valiturum, nullum venditori propter solutionem anticipatam gravamen ab emptore infertur, æqualisque est utriusque conditio, quia æquales ambo sunt tam in spe lucri, quam in periculo damni. Atque hæc est ratio, ob quam etiam cap. *Navigandi* ult. *de Usuris* contractum ejusmodi iniens dicitur non debere ex hoc usurarius reputari.

CAS. III. — Dicturus Missam festo die Capellanus ex officio in quodam publico Oratorio, ad quam audiendam multi jam ex variis locis venerunt, nullum invenit Purificatorium, quippe festo præcedenti omnia ad Parochiam procul positam detulerat lavanda, et oblitus est aliud mundum illuc deferre. Quid in tali casu facere debet Capellanus?

Resp. posse Capellanum celebrare Missam etiam sine purificatorio, quod non est tantæ necessitatis, ut propter ejus defectum debeat omitti Sacrum, præsertim die festo, aliisque occurrentibus circumstantiis in casu expressis. Licet enim necessarius videatur in Missa usus purificatorii (cujus loco antiquitus alia mappula adhibebatur, ut notat Gavantus noster in Rubr. Miss. part. 2, tit. 1, lit. 1.) tum ad extergendum Calicem, antequam in eum infundatur vinum, et aqua; tum ad abstergendas guttulas, quæ forte in ipsa infusione potuerint separatæ adhærere interiori cuppæ; tum ad cooperiendam Patenam ante consecrationem, eamque extergendam, antequam Hostia consecrata in ea collocetur; tum denique post Calicis, et digitorum ablutionem facta communione: tamen in casu necessitatis aliqua ex his omitti, aliqua aliter præstari poterunt. Nam si calix intus, et ad labrum circumquaque sit omnino mundus, poterit prima illa extersio omitti, sicut et alia post ablutionem, quæ differri poterit ad aliam Missam etiam alia die celebrandam: utraque enim omittitur etiam in duabus Missis Nativitatis Christi. Abstersio autem guttularum et evitari facile potest infundendo diligentius vinum, et a quam, ut fit pariter in duabus Missis Nativitatis Christi Domini; et si quæ guttula forte adhæserit separata, ea inclinato paululum Calice ex ea parte a reliquo liquore poterit abripi. Patena autem tota potest sub corporali abscondi, atque hujus inferiori, extremaque parte extergi, et, si opus fuerit, etiam Calix ante vini infusionem: nam si licitum est super ipsum corporale ambos digitos, pollicem et indicem utriusque manus extergere, antequam Hostia mox consecranda in manus sumatur, ut notat ipsamet Rubr. in Rit. celeb. Mis. tit. 8, num. 4., cur etiam corporalis parte inferiori, et extrema uti non poterit Sacerdos ad extergendum, si necesse sit, Calicem et Patenam? Digiti autem post ablutionem communione facta poterunt abstergi eadem mappula, qua abstersi sunt ad *Lavabo*. In sententia tamen eorum, qui negant purificatorium esse benedicendum, et praxim allegant, defectum purificatorii supplere posset mappula munda, seu parvum mantile, cujus est usus in Missa ad tergendas manus,

dummodo postea lavaretur cum cæteris purificatoriis, nec ante lotionem ad alium usum etiam in Missa adhiberetur.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Mulier, quæ olim infantem in lecto detentum suffocavit, lactans hyeme alium infantem valde molestum, quem noctu nequit a vagitu cohibere, nisi in eumdem lectum secum recipiat, cognoscit se, utpote facilem concipiendo somno, dum in lecto infantem lactat, aut ibi secum detinet, exponere periculo suffocandi etiam hunc. Quæritur, utrum cum hujusmodi periculo possit licite infantem in lecto detinere, et lactare, stante gravissimo incommodo, quod alioquin singulis noctibus ex vigilia et frigore tolerare deberet.

Antequam respondeam, breviter adverto casum hunc nullam præ se ferre difficultatem, nisi intelligatur de muliere, quæ mater sit ipsius infantis, et adeo inops, ut nullo modo possit alteri mulieri cum lactandum tradere. Nam si de nutrice ageretur, quæ alienum infantem lactandum susceppisset, ea utique deberet in hoc casu infantem restituere, atque ita tum se a gravissimo incommodo, tum infantem ipsum a periculo suffocationis liberare. Si autem sermo esset de matre, quæ aliquo pacto facultatem haberet tradendi filium alicui nutrici, quæ nocte lac præbendo non æque esset obnoxia concipiendo somno, et in qua proinde non æquale esset periculum suffocandi infantem; tunc utique mater teneretur vitare periculum suffocationis tradendo infantem alteri lactandum. Licet enim mater, si possit absque gravi incommodo, teneatur ipsa per se filios suos lactare : attamen ex gravi aliqua causa potest aliis lactandos committere. His præmissis,

Resp. cum distinctione. Vel periculum, cui mulier cognoscit sese exponere suffocandi infantem, dum ipsa facilis concipiendo somno cum lactat in lecto, est periculum saltem quoad ipsam proximum, vel est pericu-

lum dumtaxat remotum. Si proximum est, per se loquendo nequit infantem eo pacto lactare, quia mors infantis etiam in solo ordine naturali est majus malum quam sit incommodum, quod ferre deberet mulier, surgendi etiam pluries e lecto ad ipsum lactandum : ordo autem charitatis postulat, ut majus malum proximi præsertim innocentis nostro minori præferamus, quia debemus diligere proximum sicut nos ipsos. Idque maxime exigere videtur pietas matris erga proprium filium, ne scilicet eum manifesto periculo suffocationis exponat ad evitandum suum quantumvis grave incommodum : hoc enim minus malum æstimare debet, quam occisionem proprii filii. Dixi *per se loquendo*, quia si incommodum illud adeo sit grave, ut moraliter ferri non possit, et acerbissimam reddat vitam matris, et morte ipsa amariorem ; aut periculosæ alicui infirmitati, ideoque et mortis periculo æque matrem exponat, tunc profecto ordo ipse charitatis exposcit, ut in corporali necessitate æquali quis sibi potius subveniat, quam alteri privato : nemo enim tenetur diligere proximum magis quam se ipsum, sed sicut se ipsum, imo juxta multos quoad vitam temporalem, et bona ejus conservationi necessaria, debet quis seipsum magis diligere, quam proximum parem, vel inferiorem, nam ut docet D. Augustinus lib. de mend. cap. 6. *Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdet, hoc non est jam diligere sicut se ipsum, sed plus quam se ipsum : quod sanæ doctrinæ regulam excedit.* Verum hoc omisso, non tenetur itaque mater cum tanto incommodo, quantum æquiparari possit morti, evitare periculum etiam proximum involuntarium prorsus, et per accidens necessarium mortis infantis filii sui. At si incommodum non sit tam grave, debet mater illud tolerare, maxime quum ei libere sese exposuerit, atque subjecerit contrahendo Matrimonium in statu adeo indigenti.

Si vero periculum sit remotum dumtaxat, videtur in iis circumstantiis posse mater infantem eo modo lactare, quia gravissimum incommodum, quod alioquin pati deberet, eam excusat, et sufficiens est ratio tale periculum permittendi, quale, ut experientia constat, rarissi-

me incurritur : dummodo tamen diligentiam omnem adhibeat, ut vigilet, cum infantem in ulnam receptum, pectorique admotum lactat. Et quamvis in ultima nostra Synodo lib. 2, de Bapt. prope finem intimanda præscribatur pœna excommunicationis ferendæ matribus, nutricibus, sive aliis fœminis, quæ curam alendi, aut custodiendi puerum suscipiunt, si per annum ab ortu in lecto retineant, ob periculum suffocationis : id tamen intelligi debet, ubi gravissima necessitas aliud non postulet.

Cæterum curare omnimodis debet mulier illa, ut periculum prorsus removeat, adhibendo cunabulum, aut repagulum aliud æquivalens, quo infans tutus omnino sit a suffocationis periculo, id enim pauperi etiam mulieri, sed diligenti non admodum difficile esse potest. Qua de re can. *Consuluisti* 2, q. 5. Stephanus V. Humberto Episcopo Moguntino scribens ait : *Monendi sunt namque, et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet provenicnte suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.*

CAS. II. — Petulans quidam juvenis hyeme nocturnis illis horis, quibus solent rustici in stabulis morari, coram adolescentibus et puellis, nullo malo fine, sed solatii tantum gratia, fabulas narrat obscenas, et scurrilia quædam verba profert, quæ possunt in audientibus turpes cogitationes excitare. Quæritur, an graviter peccet?

Resp. affirm. Nam etsi sola narratio obscenarum fabularum, sola item scurrilium verborum pronunciatio absque fine pravo, et solatii tantum gratia, per se non sit nisi veniale peccatum : tamen si per id præbeatur audientibus occasio, seu periculum probabile gravis peccati, grave utique peccatum evadit, scilicet scandali, non quidem directi, quippe quod non intenditur, bene vero indirecti, quippe aliquid ponitur, quod aptum est ad conjiciendum proximum in periculum probabile peccati gravis. Porro id contingit in casu nostro. Etenim si obscenæ illæ fabulæ, quas narrat petulans

juvenis, et scurrilia verba, quæ profert, possunt turpes cogitationes excitare in adolescentibus, et puellis audientibus: ex turpibus autem cogitationibus facile oriuntur in sensu turpes, seu libidinosæ, ac venereæ delectationes; atque his nimis pronum est in ea ætate consentire; *Sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, ut legitur Gen. 8, 21., manifestum est per obscœnas illas fabulas, per ea scurrilia verba, quæ a juvene illo dicuntur, conjici adolescentes, et puellas audientes in periculum probabile gravis peccati: dicente etiam Apostolo 1 Cor. 15, 33. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Igitur ex audientium, qui grave scandalum pati possunt, circumstantia, quam advertere et potest et debet petulans ille juvenis, id quod per se leve dumtaxat peccatum esset, grave peccatum fieri dicendum est.

CAS. III. — Petronius vir piissimus instantissime desiderat, et flagitat Parochum suum, ut in Missa Nativitatis D. N. J. C. quæ nocte dicitur, velit ipsi Sacramentum Eucharistiæ administrare. Potestne Parochus ejus desiderio indulgere?

Resp. non posse, quia varia Decreta S. R. C. generatim prohibent in Nocte Nativitatis Domini fideles communicari, ut constat ex Decreto 20 Aprilis 1641, in *Pisauren.;* et alio 7 Decembris ejusdem anni, quod utrumque refert P. Merati in Indice Decretorum tom. 1, sub num. 282. Sed præ aliis luculentissimum est illud anni 1686. 25 Mart. in *Senen.* relatum ab eodem P. Merati cit. loc. sub num. 481, hisce verbis: *Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam non possint successive aliæ duæ Missæ celebrari, nec Communio exhiberi Eucharistica Fidelibus deposcentibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Jesu, tum omnes cujuscumque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandi. Neque possunt excipi in Ecclesia Confessiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum est, ut illucescat Aurora tam*

pro confessionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia ministranda Fidelibus utriusque sexus. Ex hoc autem Decreto satis clare infertur Communionem Fidelium inhibitam esse non solum extra, sed etiam intra Missam in dicta nocte. Nam licet initio dicatur : *post Missam decantatam*; quia tamen in fine aperte decernitur : *sed expectandum est, ut illucescat Aurora, pro Eucharistia ministranda Fidelibus utriusque sexus*, patet nocturno tempore omnino prohiberi, ne Sanctissima Eucharistia ulli Fideli in Ecclesia administretur. Præterea speciatim quoad hanc Diœcesim in ultima nostra Synodo Diœcesana lib. 1, c. 5, de Sacrif. Miss. etc. §. *Ante auroram*, inhibetur in nocte Nativitatis D. N. J. C. Sacerdotibus etiam in Ecclesiis Parochialibus *sub pœna suspensionis ipso facto, ne Fidelibus Eucharistiam ministrent.*

ANNO MDCCLXVII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Joanna in casu necessitatis baptizavit filium Catharinæ, quem, dum baptizaretur, tenuit Sempronius Baptismi formam ignorans. Nunc Sempronius Matrimonium inire vellet cum alterutra, quoniam ambæ modo sunt liberæ; sed dubitat, an cum utraque cognationem spiritualem contraxerit, et Parochum suum consulit. Quid respondebit Parochus ?

Respondebit ipsum cum Joanna quidem nullam certissime contraxisse spiritualem cognationem, quippe inter baptizantem, et suscipientem, seu tenentem nulla oritur spiritualis cognatio ; cum ex Tridentino sess. 24, in Decr. de reform. Matr. cap. 2, « inter susceptores, « ac baptizatum ipsum, et illius patrem, et matrem, « necnon inter baptizantem, et baptizatum, baptizati- « que patrem, et matrem *tantum* spiritualis cognatio « contrahatur. »

At quod attinet ad Catharinam matrem filii quem ipsemet Sempronius in baptismo illo privato tenuit, non ita certo poterit Parochus respondere ob oppositas in hac re gravissimorum Doctorum sententias. Nam multi statuunt spiritualem cognationem inter suscipientem, seu tenentem et baptizatum baptizatique patrem, et matrem non oriri nisi ex baptismo solemni, in quo dumtaxat est cæremonia ex præcepto necessario adhibere suscipientem, sive tenentem, et ad quem tantum spectare videtur Tridentini dispositio, utpote quod statim post citata verba subdit: « Parochus antequam ad « baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad « quos spectabit, sciscitetur quem, vel quos elegerint « ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum, vel « eos tantum ad illum suscipiendum admittat, etc.» Quæ quidem intelliguntur de baptismo solemniter administrato.

Alii autem ab opposito existimant tanquam longe probabilius posse suscipientem, seu tenentem voluntarie adhiberi etiam in baptismo privato collato domi etiam a laico, vel muliere ob urgentem necessitatem, omissis proinde cæteris cæremoniis in Ecclesia postea, si baptizatus supervixerit, supplendis; et tunc vere contrahi cognationem spiritualem, quia tunc revera ille est susceptor, aut tenens, de quo jura loquuntur. Aiunt autem, Concilium Tridentinum nihil hac in re innovasse, quod juri antiquo sit contrarium. Et quamvis decernat, susceptorem debere designari ab iis, ad quos spectat, eumdemque a Parocho admittendum; tamen id intelligendum esse dicunt ordinarie, et in baptismo utique solemni, quin tamen excludatur designatio, et admissio susceptoris etiam in baptismo privato, in quo si non præcipitur suscipientis interventus (quia sæpe non posset haberi, cum frequenter contingat baptismum privatum improviso, ac celeriter administrari ob imminens mortis periculum) certe neque prohibetur.

Et hæc quidem sententia merito probabilior dici potest ob gravissimam tunc auctoritatem, tum etiam rationem, cui innititur. Nam ut omittam, eam doctissimis, primique subsellii Theologis probari, veluti sunt Suarez

in 3 p. D. Th. tom. 3, commentario in art. 8, q. 67, prope fin. Sylvius supp. q. 56, art. 3, et alii, sicut etiam recentioribus plerisque Canonistis, hujusmodi sunt Anaclet. Reiffenstuel. Henr. Piring. Ludov. Engel, Reinhar. Baumgartner in 4. Decretal. tit. XI. de cognat. Spirituali, accedit magnus Synodorum numerus, qui eamdem sententiam adoptarunt, et juxta eam nonnulla decreta ediderunt. Aliquot autem hic a nobis afferentur ad faciendam in re tanti momenti fidem. Et primum quidem locum dabimus Synodo Diœcesanæ celebratæ ab Emin. Card. Hieronymo Columna Archiepiscopo Bononiensi anno 1734., in cujus part. 1, cap. 7, de Sacr. Bapt. §. *Si supervixerit*, hæc statuuntur: « Si supervixerit infans « extra Ecclesiam baptizatus, ad ipsam deferatur, ut « cæteræ statæ, solemnesque consuetæ cæremoniæ ex- « pleantur, quo quidem casu Parochus ne quem admit- « tat (præter eos, qui forte in hujusmodi necessitatis « casu, quum aqua elementaris fuit infusa, *Patrini*, *aut* « *Patrinæ officio functi fuissent*) ad ipsum de fonte « suscipiendum, cum per ipsas cæremonias nulla con- « trahatur spiritualis cognatio, etc.»

Id ipsum statuit etiam Synodus Placentina habita anno 1589, sub Illustris. et Reverendiss. Philippo Sega ejusdem Urbis Episcopo de Sacr. Bapt. §. *Quæ tamen*.

Synodus Veneta celebrata anno 1592. ab Illustriss. et Reverendiss. D. Laurentio Priolo Patriarcha Venetiarum etc. cap. 1, de Sacr. Bapt. §. *Ubi vero*, hæc, habet. « Ubi vero infans domi baptizatus fuerit, curet Pa- « rochus, ut dum ad Ecclesiam defertur pro absolvendis « solemnioribus cæremoniis, *vocetur patrinus*, *qui* « *domi baptizatum suscepit*, *tunc enim vere cognatio* « *spiritualis contrahitur*, *cum baptismi caracter im-* « *primitur*: quod si is haberi non possit, alium ad- « mittat, et singulorum nomina separatim, et distincte « describat, ut facile percipi possit, quisnam fuerit « Patrinus in baptismo, et quis in Catechismo.

Eadem leguntur in Decretis Diœcesanæ Synodi Ravennatis celebratæ a Cardinali Aloysio Capponio Raven. Ecclesiæ Archiepiscopo an. 1627. de Baptismo n. 21.

Neque mirum videri debet, memoratas aliasque Synodos Diœcesanas tanquam certum supposuisse, et Patrinos in baptismo etiam privatim, atque ex necessitate absque aliis cæremoniis collato adhiberi licite posse, et ab eisdem spiritualem cognationem contrahi, quandoquidem duo etiam Concilia Provincialia Mediolanensia celebrata sub Divo Carolo Borromæo Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo idipsum satis aperte indicarunt, nempe Provinc. 4. Constit. p. 2. tit. *Quæ pertinent ad Sacr. Bapt.* § *infantis*, ubi dicitur: « Infantis, qui do- « mi ob necessitatem baptizatus est, baptismus in libro « baptizatorum a Parocho de more referatur; *notato* « *patrini nomine, et qui domi ad baptismum*, et qui « in Ecclesia ad Catechismum, exorcismumque adhi- » bitus est.» Et Provinc. 6, tit. *de Baptismo* sub ipso initio statuens: « Eorum, *qui domi*, aut in Ecclesia tan- « quam *compatres* ad baptismum adhibiti sunt, nomi- « na in libro Baptizatorum Parochus notet: *Ne im-* « *pedimentum matrimonium contrahendi ignoretur.*

Verum præter tam præclaram, tantique ponderis auctoritatem ratio etiam manifestissima suffragatur. Cum enim baptismus sive privatim absque consuetis cæremoniis, sive solemniter administratus, sit unum, idemque baptisma, nempe spiritualis regeneratio, profecto, quæ ratio ostendit quam [convenienter Ecclesia susceptorem instituerit in baptismo solemni, eadem etiam valet pro baptismo privato, nempe juxta D. Th. 3, p. q. 67, art. 7. Quod sicut in generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, et pædagogo: ita et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vices nutricis, et pædagogi, informando et instruendo eum quasi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, et vitam Christianam etc. Et quamvis Ecclesia susceptoris officium non exigat in baptismo privato, quippe, ut jam diximus, sæpe privatim confertur baptismus ex urgenti necessitate, imminentique periculo, ubi non suppetit tempus quærendi suscipientem; nunquam tamen vetuit eum adhibere, si tunc adsit aptus aliquis ad hujusmodi officium; quod qui exercet tenendo, vel suscipiendo in baptismo ille

privato verus susceptor, seu patrinus habetur, spiritualemque cognationem contrahit non minus ac ipse baptizans in casu necessitatis, quem constat apud omnes cognationem spiritualem contrahere.

Quamquam DD. fere omnes tum Theologi, tum Canonistæ discrimen hoc statuunt inter baptizantem, tenentem, sive suscipientem in baptismo privato, quod baptizans etiam nihil cogitans de cognatione contrahenda, ex solo ministerio, quod præstat, cognationem illam spiritualem certo contrahat, excepto dumtaxat naturali ac legitimo parente baptizante in necessitate proprium filium, tunc enim baptizans parens non contrahit cognationem cum conjuge, nec privatur jure petendi, vel reddendi debitum conjugale, ut patet ex c. *Ad limina*, 30, q. 1. Tenens vero, vel suscipiens, si non intendat patrini munus exercere, sed solum auxilium quoddam materiale, ut ita dicam, præbere ipsi baptizanti, cognationem spiritualem nequaquam contrahat. Quia, ut ait Suarez, loco superius citato, tam obligatio instruendi scilicet baptizatum, ubi necesse sit, in rebus ad fidem, et vitam Christianam pertinentibus, quam spiritualis cognatio oritur ex proprio munere, et actu susceptoris: hoc autem quamvis requirat aliquam actionem externam, non tamen in illa sola consistit, sed requirit intentionem aliquam saltem exercendi actum ab Ecclesia institutum.

Itaque ex hactenus dictis quoad alteram partem propositi casus videtur posse concludi: debere Parochum sciscitari a Sempronio, utrum tenens Filium Catharinæ in baptismo illo privato intenderit illum veluti spiritualiter tenere, exercendo circa illum quoddam Ecclesiasticum munus, et sub cura sua illum suscipiendo, i. e. Patrini, seu compatris officium exequi, an non. Si dicat, se habuisse revera intentionem exercendi munus Patrini, cum insuper interroget, an ab iis, ad quos spectabat, rogatus accesserit ad hujusmodi munus exercendum, an vero sua sponte dumtaxat, et non manifestata eisdem sua intentione, aut ab iis recusata, in illud officium se intruserit. Si dicat se rogatum, ut Patrini munus obiret, accessisse; Parochus ei respondeat ipsum

cum Catharina contraxisse spiritualem cognationem dirimentem matrimonium. Si vero dicat, se ultro ingessisse in illud munus non manifestata, aut recusata sua illa intentione: tunc respondebit Parochus, dubium esse, an spiritualem cognationem contraxerit. Nam etsi Concilium Tridentinum decrevit cit. c. 2, sess. 24. « Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint; cognationem spiritualem nullo pacto contrahant,» non tamen definivit, nullam contrahi spiritualem cognationem ab eo, qui solus licet non designatus baptizatum tanquam Patrinus teneat, vel suscipiat. Quemadmodum si nullus sit designatus vel ex malitia, vel ex ignorantia, vel ex incuria, plures quam duo simul baptizatum tenerent, aut de fonte susciperent, omnes veri essent patrini, omnesque veram spiritualem cognationem contraherent cum baptizato, ejusque parentibus, ut communior est Theologorum, et Canonistarum sententia, quamvis Tridentinum statuerit, ut unus tantum, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant. Quod si denique Sempronius asserat, se materialiter tantum tenuisse Filium Catharinæ absque animo exercendi Patrini officium, aut Ecclesiasticam cæremoniam; tunc poterit Parochus juxta communiorem probabilioremque sententiam respondere ipsum nullam spiritualem cognationem contraxisse.

CAS. II. — Mulier quædam rustica Bononiam veniens visitavit Fœminam quamdam consanguineam suam in Monasterio degentem, eamque alloquens plura verba obscena miscuit, quæ turpes cogitationes excitare poterant. Potestne a quolibet simplici Confessario absolvi?

Resp. Si verba illa adeo sint obscena, ut ad mortalem malitiam solâ etiam ratione scandali pertingant, et mulier illa annum duodecimum excesserit (ut nomen ipsum mulieris non tam sexum, quam adultam fœminæ ætatem apud nos communiter significans satis indicat) nequit ea mulier a simplici Confessario absolvi, quia incidit in casum reservatum num. 5, ubi dicitur. «Obs- « cenitates, aliave crimina cum Monialibus, sive *aliis*

« *fœminis in Clausura degentibus*, quomodolibet com-« missa, vel tentata; *nec non verba obscena.*» Quidem casus afficit etiam fœminas peccata hujusmodi committentes, dummodo exteræ sint, i. e. non degentes in ipsa Clausura, ut constat ex declaratione *ad Quintum*. Quare sola ætas ante annum duodecimum completum ab incurrenda hujusmodi reservatione potest excusare juxta declarationem *ad omnes in genere*; secus ac alia peccata reservata contra sextum Decalogi præceptum, quæ intelliguntur *quoad Masculos tantum* completo decimo quarto ætatis anno, ut habetur in fine n. 4.

CAS. III. — Dum sibi occurrerent duo Sacerdotes parati ad Missam, quorum alter pergebat ad Altare, alter revertebatur in Sacrarium, unus inclinato aliquantum capite alterum salutavit; hic autem salutationi non respondit, sed rectus viam suam perrexit. Postea vero cum ille quereretur, atque huic exprobraret, quod salutationem non reddidisset; hic respondit hujusmodi cæremonias in paramentis Sacerdotalibus non esse adhibendas. Quæritur : an Sacerdotes parati ad Missam sibi invicem occurrentes debeant sese mutuo salutare, nec ne?

Resp. Si præcise spectentur Rubricæ Missalis, negandam potius esse hanc mutuam salutationem. In his enim, ubi agitur de ingressu Sacerdotis ad Altare, dicitur : *Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore.* Et in fine Missæ hæc habentur : *Eodem modo, quo venerat, redit ad Sacristiam.* Porro si Sacerdos paratus eundo ad Altare ac redeundo procedere debet demissis oculis, videtur nec debere, nec posse etiam facile advertere quis ipsi occurrat, aut obviam veniat, ideoque nec debere paratum alium Sacerdotem sibi forte in itu, vel reditu occurrentem salutare. Quia tamen plerique Rubricistæ, qui hac de re agunt, monent, quod si Sacerdos accedens ad Altare obviam habeat alium Sacerdotem ab Altari redeuntem, sequens viam a latere suo dextero, cum tecto capite salutet; sicut etiam salutare debet Clerum in Choro existentem, si ante ipsum, aut per medium transeat, nam et Episcopus paratus

cum fuerit prope Altare, salutat exigua capitis inclinatione Canonicos paratos apud eorum sedilia stantes, ut præscribit Cærem. Episc. lib. 2, c. 8, n. 28. Idcirco nonnisi laudabiliter se gerent Sacerdotes parati, si dum sibi invicem occurrunt honore invicem prævenientes (Rom. 12, 10.), ac Superiores sibi invicem arbitrantes (Phil. 2, 3.) juxta monitum Apostoli, sese aliqua capitis inclinatione mutuo salutaverint, non quidem sæcularis urbanitatis causa, sed observantiæ, et charitatis, et religionis gratia, considerantes nempe sese invicem in eo præsertim habitu tanquam Sacerdotes Dei Altissimi, ideoque maxima reverentia, et honore dignos.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Titium filium Caji in alia Diœcesi apud quosdam suos consanguineos commorantem, ibique Sacramentum Confirmationis suscipientem tenuit Martha ibidem tunc per accidens existens. Cajus, mortua sua uxore, transire volens ad secundas nuptias, sponsalia de futuro contraxit cum eadem Martha, quoniam neuter meminerat de Titio in Confirmatione tento. Id postea advertens Cajus, et dubitans de aliquo impedimento, sponsalia contrahit cum Apollonia sorore ipsius Marthæ ignorante priora sponsalia Caji, qui alterutram ducere vellet ob pinguem hæreditatem utrique obventuram. Verum intelligens postmodum ab aliquibus in dubium revocari, an Fœmina possit tenere Marem in Confirmatione : ex alia parte advertens oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus, hæsitat primo, an impedimentum contraxerit cognationis spiritualis cum Martha ?

Resp. Cajum revera contraxisse impedimentum dirimens cognationis spiritualis cum Martha, quæ ejus filium Titium in Confirmatione tenuit. Nam etsi Pontificale Romanum de Confirmandis agens dicat, loquendo de adultis : *Neque masculi fœminis patrini, neque fœminæ masculis matrinæ esse deberent*: Quod ipsum etiam Concil. Provinc. V. Mediolanen. sub. D. Carolo Borromæo

tit. *Quæ ad Confirmationis Sacramentum pertinent* § *ut ne fœminis* decrevit; idemque servari voluit et bon. mem. Gabriel Cardinalis Palæotus in suo Archiepiscopali Bonon. part. 3, de Sacr. Confirm. in Ord. serv. a Parochis § *Moneant :* et Eminent. olim Prosper Lambertinus Archiep. Bonon., postea fel. rec. SS. Benedictus XIV. in sua Notif. seu Institutione 6. tom. 1, n. 14. inquiens: *Volumus insuper, ut maribus erga fœminas, et e contrario fœminis erga mares Patrini officium persolvere omnino denegetur:* atque in aliis etiam Diœcesibus hoc ipsum Synodali Decreto statutum est: tamen si ex ministrorum incuria aliquando contingat, ut vel masculus fœminam, vel fœmina masculum in confirmationis Sacramento teneat, id quidem illicite, non tamen invalide fit, h. e. id minime obstat, quin spiritualis cognatio contrahatur inter tenentem et confirmatum, confirmatique patrem, et matrem, ut statuit Concil. Trid. sess. 24, in Decr. de refor. Matr. c. 2, in fin.

CAS. II. — Secundo, an incurrerit impedimentum justitiæ publicæ honestatis quoad utramque sororem ex sponsalibus cum utraque initis, adeo ut neutram amplius possit ducere. Utrumque dubio proponit suo Parocho. Quid hic respondere debet?

Resp. Cajum incurrisse quidem alterum impedimentum justitiæ publicæ honestatis cum Martha, non vero cum Apollonia hujus sorore. Ratio est, quia sponsalia inita cum Martha post jam contractum impedimentum cognationis spiritualis cum eadem fuerunt invalida, utpote inita inter personas, quæ ad contrahendum suo tempore Matrimonium canonico impedimento detinebantur. Porro Concil. Trident. sess. 24, de refor. Matr. c. 3. Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non fuerint, prorsus abstulit: ideoque Cajus ex sponsalibus illis initis cum Martha nullum hujusmodi impedimentum incurrit cum Apollonia hujus sorore, cum qua proinde valide contraxit posteriora sponsalia, ex quibus certe ortum est impedimentum justitiæ publicæ honestatis cum Martha

sorore ipsius Apolloniæ. Consequenter hanc ducere poterit, ac debebit, non vero illam.

CAS. III. — Sacerdotem celebrantem in Altari, in quo servatur SS. Sacramentum, observat Parochus solitum esse, antequam Missam incipiat, prius genuflectere, tum statim profundam inclinationem addere, ac deinde signum Crucis producere. Eum proinde admonet Parochus satis esse ibi genuflectere, nec unquam opus esse alia profunda inclinatione. Quæritur, an eum Parochus recte admoneat?

Resp. affirm. Id enim manifeste colligitur ex ipsa Rubrica Missalis in Rit. serv. tit. 3. de. princ. Miss. n. 1. ubi dicitur: *Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare, ubi. . . . . facta prius Cruci, vel Altari profunda reverentia, vel si in eo sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti facta genuflectione erectus incipit Missam.* Porro si *facta genuflectione erectus incipit Missam* profecto post illam genuflectionem non debet inclinari, ideoque profunda illa inclinatio facta ibi a Sacerdote post genuflectionem non solum non est necessaria, imo est contra Ritum a Rubrica præscriptum. Quamobrem Meratus in suis Observat. et Addit. ad Gavant. Comment. in cit. Rubr. expresse notat: «Si in eo Altari sit « Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, tunc faciet ge« nuflexionem unico genu, cui non addenda est alia in« clinatio.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Sejus, qui septem circiter abhinc annis non confitetur nisi in Quadragesima, occasione itineris, quod singulis annis agit ob sua negotia, semel unoquoque anno mense Septembri peccare solet cum quadam muliere serviente in hospitio publico, eoque unico in illa via, ad quod omnes illinc itinerantes divertere solent ad hospitandum nocte.

Quæritur: quomodo cum illo confitente nunc denuo

in Quadragesima idem peccatum se gerere debeat Confessarius, si præcedentibus annis semper admonitus a Confessariis, promiserit quidem ex corde peccatum illud prorsus vitare, at nunquam promissa servaverit ?

Resp. Multa in hoc casu inquirenda, et perpendenda sunt a Confessario, ut prudenter, ac recte se gerat. Nam in primis advertere debet, atque ea de re, si opus sit, interrogare Sejum, an negotia, ob quæ iter illud quotannis arripit, possit per alium agere, an vero nonnisi per se ipsum. Præterea, utrum ex gerendis negotiis illis pendeat aut omnimoda, aut saltem magna ex parte tum sua, tum suæ familiæ, si hanc habet, sustentatio. Insuper utrum possit per aliam viam pergere ad locum illum, ad quem tendit : et sin minus, ita saltem iter invertere, ut illud hospitium aut prorsus vitet, aut ad illud non pernoctandi, ut solet, sed potius prandendi dumtaxat causa se conferat. Denique an remedia olim ei proposita adhibuerit, an vero neglexerit ; et si quidem executioni mandaverit, an aliquod aliud aptum vitando illi peccato adhuc supersit, quod sit paratus amplecti, et exequi. Nam ex hujusmodi circumstantiis diligenter consideratis facile intelliget prudens Confessarius quodnam consilium præbere debeat Sejo, quodve experimentum sumere ad spiritualem ejus salutem. Nam demus ex. gr. Sejum necessario agere debere iter illud, et suggesta hactenus remedia adhibuisse, licet ob ejus infirmitatem inutiliter ; attamen adhuc alia superesse, quæ ipsum executurum, et efficacia ei fore Confessarius sibi prudenter persuadeat. Quidni possit, si aliunde videatur dispositus, Sejus absolvi? Cum enim agatur de occasione proxima quidem, sed necessaria, ut supponitur ; ex alia vero parte probabilis, ac prudens spes adsit emendationis, quid obstat, quominus Sejus, si cæteræ requisitæ adsint dispositiones, recte a Confessario absolvatur ? Quod si ponamus Sejum non posse quidem sine gravissimo damno suo, suæque familiæ, iter illud omittere, sed negligentem superioribus annis fuisse in exequendis iis remediis, quæ proposita ei fuerunt a Confessariis ut sese contra occasionem illam

muniret fortioremque redderet ad vitandum peccatum, tunc Confessarius eum obliget, ut ad se redeat aut semel, aut iterum, aut etiam tertio, atque interim se præparet, ac muniat contra peccatum opportunis propositis remediis, v. g. assiduis precibus, novissimorum meditationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque hujus generis pro conditione personæ : et si eum constantem invenerit in usu remediorum, atque in proposito, et spe, quam fretus Dei auxilio habebat vitandi in posterum peccatum illud, post sufficientem dilationem poterit utique Confessarius eidem absolutionem impertiri, si nihil aliud obsit. At si fingamus, Sejum aut posse per alium sua illa negotia gerere, adeoque iter illud evitare: aut per aliam viam ad statutum locum pergere; aut certe divertere ab illo hospitio saltem noctu: et hæc quidem promisisse præteritis annis in suis Confessionibus, sed promissis postea suo tempore non stetisse, nec prudenter posse Confessarium sperare Sejum hoc anno fidelem fore in servandis, quæ nunc iterato promittit. Denique si tentata omnia remedia frustranea fuerint, nec aliud amplius restet, quod suggeri possit, nec proinde spes ulla affulgeat, fore Sejum hoc anno fortiorem; præsertim si fœmina illa impudens, ac scelesta ipsum etiam renitentem malis artibus, ac blanditiis, ut aliquando contingit, alliciat, vel quacumque alia ex causa probabile omnino sit, ac prorsus verisimile periculum, quod Sejus in eadem occasione positus in idem peccatum iterum incidat, tunc Confessarius videtur posse denegare, seu potius differre Sejo absolutionem, quoad usque experimento ipso comprobet, ac ostendat, se iter illud revera omittere, adeoque occasionem illam proximam ac liberam peccandi deserere. Neque refert nimis in longum, scil. ad plures menses hujusmodi dilationem fore protendendam. Etenim Concil. ipsum Later. IV. cap. illo celebri: *Omnis utriusque sexus*, ubi annuam Confessionem, et Paschalem Communionem præcipit, et permittit, ut quis *de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus* (nec præscripit quantum hoc esse debeat, quia commensurari debet necessitati ipsius pœnitentis, dum-

modo sit intra annum) ab Eucharistiæ perceptione abstineat; ac insuper Confessarium admonet, ut *more periti medici* diversis experimentis utatur ad salvandum ægrotum.

CAS. II. — Sempronium, qui pluries infra annum confiteri solet, et semper in die Cinerum, ac præterea in Dominica Resurrectionis ad satisfaciendum præcepto Communionis Paschalis, confitentem hoc anno in Paschate, reperit Confessarius consuevisse jam a pluribus annis violare multoties quadragesimale jejunium vitio gulæ dumtaxat, et semper admonitum nunquam sese emendasse; quamvis unoquoque anno confitens initio jejunii Quadragesimalis, et in die Paschatis, semper emendationem ex animo proposuerit. Quid cum eo aget Confessarius?

Resp. Quoniam hic non agitur de ulla proxima occasione, sed tantum de prava quadam consuetudine ex mala concupiscentia exorta removenda, idcirco satis esse videtur, si Confessarius hujusmodi pœnitenti pro satisfactionis parte ante absolutionem implenda præscribat, ut aliquoties tempore ipso Paschali jejunet magis vel minus arcte, prout et peccati, et peccatoris circumstantiæ ferunt. Quod si pœnitens præstet, et cætera habeat ad obtinendam absolutionem requisita, poterit eum Confessarius post ejusmodi experimentum absolvere. Sperandum est enim fore, ut pœnitens iste memor in sequenti Quadragesima pœnitentiæ anteactæ, seu jejunii servati Paschali tempore malit gulam vincere, et congruo tempore jejunare, quam peccatum incurrere, et tempore importuno cum majore incommodo jejunii legibus subjacere.

CAS. III. — Die quadam Quadragesimæ in qua fit Officium semiduplex de aliquo Sancto, aut vero de feria, rogatur Capellanus a pio quodam viro, ut celebret pro se Missam votivam S. Marci, cujus ipse nomen gerit, et cui est valde devotus: nam ejus intercessione sperat, se obtenturum a Deo gratiam quamdam, cujus valde et cito indiget. Potestne Capellanus ei morem gerere? et dum possit, quamnam Missam recitabit?

Resp. ad 1. Capellanum utique posse morem gerere petenti Missam illam votivam S. Marci : nam et singularis istius devotio, et spes obtinendæ gratiæ ipsi necessariæ satis rationabilis causa videtur esse recitandi etiam in festo semiduplici, aut in feria Quadragesimæ non privilegiata Missam votivam. Ad II. respondeo recitandam esse Missam, ut in Festo S. Lucæ die 18 Octobris, præter Orationes, et Epistolam, quæ dicuntur ut in Missa ejusdem S. Marci. Tractus autem, qui hoc tempore dici debet, desumitur ex Missali de Communi unius Martyris Pontificis, scilicet : *Beatus vir, etc.* Ita Guyet lib. 4, cap. XXI. q. 5, de Missis, et Orationibus votivis. Hoc solum addo, quod licet in ea Missa votiva facienda sit commemoratio feriæ, in fine tamen non erit dicendum feriæ Evangelium, sed consuetum S. Joannis : id enim notat P. Merat. part. 1, tit. 4, de Miss. votiv. §. 10, n. 51, inquiens : « Quoad ultimum » Evangelium omnium Missarum votivarum, tam pri» vatarum, quam solemnium, semper dicitur Evan» gelium S. Joannis : *In principio erat Verbum, etc.* » hæc colliguntur ex Rubrica tit. 13, hujus primæ partis. » Imo habetur hac de re expressum Decretum S. R. C. quod ipsemet Meratus affert in suo Indice tom. 1, in fol. sub num. 689. editum 23 Junii 1736 *in Einsidlen.*

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Quidam Parochus obligat suos Parochianos reddere sibi ante Dominicam in Albis schedulam eis traditam pro signo peractæ Communionis Paschalis, et si quis differre velit Communionem usque ad Dominicam illam, acriter ab eo, et publice etiam reprehenditur ; quia in die illa Dominica Parochus comitari solet magnam sui populi partem pergentem ex sola devotione ad templum quoddam extra Parochiam Deo in honorem B. V. M. dicatum. Quæritur an Parochus iste in hoc recte se gerat?

Resp. male se gerere. Cum enim tempus præfinitum implendo præcepto Communionis Paschalis sit juxta

declarationem Eugenii IV. Constit. apud Cherubinum XX. et communem consuetudinem expressam etiam in Synod. Diœces. Emin. Jacobi Card. Boncompagni, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, non potest Parochus licite, et absque injuria hujusmodi terminum restringere, suosque Parochianos obligare ad satisfaciendum præcepto illi ante diem Octavam Paschæ; id enim perinde est, atque eosdem privare jure, quod habent, differendi usque ad illam diem Communionem Paschalem. Quare nonnisi injuste eos reprehenderit, qui usque ad diem illam Communionem differunt. Neque Parochum excusare potest inveteratus forte in sua Parochia usus supplicationis, seu Processionis in Dominica in Albis peragendæ ad templum illud Deo in honorem B. M. V. dicatum. Nam præterquam quod ex sola devotione supplicatio illa instituta est, atque ideo facile potest in aliam Dominicam transferri; illud etiam accedit, quod nulla prorsus est necessitas, ut Parochus ipse Processionem comitetur: siquidem alium Sacerdotem possit populus rogare, qui ipsum comitaretur, et Parochus ea die in Parochia manere deberet ad Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Parochianis illis administranda, qui nondum Paschali præcepto satisfecerint.

CAS. II. — Joannes habens pravam consuetudinem cum muliere quadam in alia Parochia commorante, et nolens eam dimittere, pergit in Dominica in Albis ad suum Parochum, eumque rogat, ut velit sibi prorogare tempus implendi præcepti Paschalis ob quamdam suam spiritualem necessitatem; idque ei Parochus concedit. Quæritur: utrum Joannes ob illam Parochi concessionem evitet mortale peccatum, cujus alioquin esset reus differens sine justa causa, et ex propria tantum malitia ultra tempus ab Ecclesia præscriptum Communionem Paschalem?

Resp. negative. Nam ex Concil. Later. IV. sub Innoc. III. cap. *Omnis utriusque sexus* potest utique quis *de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam* differre post præstitum tempus Communionem

Paschalem : at sine rationabili causa nequaquam potest. Quare nihil eidem suffragabitur subreptitia, vel obreptitia licentia, nempe ob suppressam veritatem, vel expressam falsitatem obtenta a Parocho : quippe qui nequit dilationem concedere, nisi causa aliqua rationabili interveniente, quam si Parochianus simulat, ut prorogationem obtineat, invalida est licentia, adeoque obtinentem minime a peccato excusabit. Cum itaque in casu nulla rationabilis causa revera occurrat, sed tantum simuletur a Joanne, qui si semper tenetur pravam consuetudinem cum muliere illa prorsus dimittere, multo magis tunc tenetur, cum instat præceptum Communionis Paschalis, ad quod implendum se disponere debet, atque aptum reddere, consequens profecto est, Joannem immunem non esse a peccato mortali ob violationem Ecclesiastici gravis præcepti Eucharistiam sumendi in Paschate, quamvis a Parocho decepto licentiam obtinuisse videatur differendæ Communionis.

CAS. III. — Rogatus quidam Sacerdos a pia muliere data eleemosyna, ut in Altari SS. Crucifixi dicat pro se Missam votivam de Passione Domini in una ex feriis occurrentibus intra hebdomadam Passionis, dubitat, an in hujusmodi Missa dicere debeat initio Psalmum *Judica me, Deus* cum *Gloria Patri*, et hoc etiam ad Introitum, et in fine Psalmi *Lavabo*. Qua de re interrogat Parochum. Quid hic respondere debet?

Resp. debet affirmative. Ratio est, quia juxta Rubricas, et omnes Rubricarum interpretes Psalmus *Judica*, et *Gloria Patri* ad Introitum , necnon ad finem Psalmi *Lavabo* omittuntur solum in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, non autem in Missis de Festis, aut votivis si sint de Passione, vel de Cruce, et tempore Passionis dicantur, i. e. in ipsa Passionis hebdomada. Videantur Rubricæ generales tit. 8, *de Introitu* n. 1., et Ritus servandus in celeb. Miss. tit. 3. de principio Missæ n. 6., et tit. 7. de Offertorio n. item 6., et in Proprio de Temp. proxime ante Dominicam de Passione, et sub Introitu ejus-

dem Dominicæ. Videri etiam potest P. Meratus part. 1, tit. 4. de Missis votivis §. 7, n. 38.

MENSE MAII.

CAS. I. — Nobilis quædam Matrona ruri existens reparandæ valetudinis causa, quippe quæ nondum convaluit ab ægritudine non multo ante tolerata, satis tamen habens virium, ut per proprium viridarium ferme quotidie post prandium deambulet, rogat Parochum, ut die quadam Dominica, qua recurrit Festum cujusdam Sancti sui Protectoris, cujus imaginem in tabula depictam habet in Altari Oratorii sui domestici, velit in eodem Oratorio suam confessionem audire, adhibito medio quodam Confessionali, cujusmodi etiam in Ecclesiis adhiberetur, ibique Missam juxta intentionem suam celebrare, et intra eamdem Missam Eucharistiam sibi administrare. Quæritur autem primo, utrum possit Parochus ea die in Oratorio illo privato, et juxta intentionem illius Matronæ celebrare Missam?

Resp. cum distinctione. Si alii sint Sacerdotes, qui debeant publice intra Parochiam Missam celebrare, adeo ut in Ecclesia Parochiali Missa dicatur, et nullum subsit periculum, ne aliqui de populo, non celebrante publice Parocho, Missam omittant; tunc si Parochus possit per alium Sacerdotem ea die Missam applicare pro populo, poterit utique ipse in Oratorio illo privato Missam dicere, et applicare juxta mentem Nobilis illius Matronæ. Nam si permittente Synodo Eminent. Jacobi Boncompagni lib. 3, cap. 3, *de Parochis et eorum residentia* § *Non bene*, potest Parochus quandoque etiam extra Parochiam in aliena Ecclesia Sacrum facere *ob solemnitatem aliquam inibi celebrandam*, præmonito populo *de provisione facta Sacerdotis pro Missa, ne interim Missa priventur oves sibi concreditæ:* quidni etiam possit adhibita eadem cautela Missam celebrare in Oratorio privato posito intra Parochiam? At si periculum subsit, ne aliqui de populo priventur Missa,

tunc certe non poterit Parochus in privato illo Oratorio Missam celebrare. Sicut etiam non poterit, si nullum inveniat Sacerdotem, qui possit ipsius vice Missam applicare pro populo, quippe alii Sacerdotes Missam debeant necessario offerre pro aliis oneribus implendis. Nisi forte Parochus sit pauper, qui idcirco facultatem habeat ab Ordinario applicandi diebus festis Missam pro offerente eleemosynam, et differendi applicationem Missæ pro populo infra hebdomadam juxta Constit. fel. rec. Bened. XIV. incip. *Cum semper* 103. tom. 1. ejus Bullar., quæ est *de Applicatione Missæ Parochialis pro populo etc.* Ratio autem horum, quæ in hac altera responsionis parte diximus, satis manifesta est, quia nimirum Parochus nequit ad satisfaciendum privatæ devotioni illius Matronæ exponere aliquos suæ curæ commissos periculo omittendi Missam die illa Dominica, neque universum suum populum privare fructu, qui ei obvenit ex applicatione Missæ pro eodem, ad quam applicationem omnino obligatur Parochus tum ex Trident. sess. 23. de reform. cap. 1, juxta repetitas declarationes S. Cong. ejusdem Concilii, tum ex laudata Const. Bened. XIV., tum etiam ex tit. Synodo.

Cæterum etsi quod attinet præcise ad Missam, Parochus cum cautelis in prima responsionis parte expositis, videatur licite posse die illa Dominica eam in Oratorio illo privato celebrare, et applicare pro Matrona ; tamen si propterea alicui alteri suo muneri, cujus executio ex aliqua circumstantia urgeret, deberet deesse, veluti ex. c. explicationi Evangelii, forte antecedentibus diebus festis ex causa intermissæ, aut excipiendis confessionibus ea die fortasse frequentibus, aut hujusmodi, tunc certe teneretur Parochus se eximere, et curare, ut ab alio Sacerdote Missa in privato illo Oratorio celebraretur, ut ipse in sua Ecclesia munus suum impleret.

CAS. II. — Secundo. Utrum liceat ei excipere ibidem illius Confessionem ?

Resp. Si Ecclesia Parochialis a domo illius Matronæ ita distet, ut ipsa ratione suæ valetudinis nondum satis firmæ nequeat pedibus ad eam se conferre; et curru

etiam, ac sella gestatoria careat, ut ad eam commode ducatur, poterit utique Parochus ejus Confessionem in illo Oratorio privato, medio illo confessionali, quod in casu memoratur, audire. Nam quamvis in ult. Synodo lib. 2. c. 5. de Sacr. Pœnit. §. *Audituri* dicatur: *Confessiones extra Ecclesiam nullatenus excipiantur, nisi infirmitas diversimode poscat:* tamen positis omnibus dictis circumstantiis haberi potest Nobilis illa Matrona tanquam infirma, atque ideo ejus Confessio ibi excipi, dummodo interim Oratorium pateat. Hæc enim cautio juxta Rit. Rom. tit. de Sacr. Pœnit. est adhibenda, cum ex rationabili causa, quæ in nostro casu videtur adesse, in privatis ædibus Confessiones audiuntur.

CAS. III. — Tertio. Utrum ibidem possit ei intra Missam administrare Sacramentum Eucharistiæ?

Resp. Nisi Nobilis illa Matrona privilegium habeat, quod quibusdam conceditur, Eucharistiam sumendi intra Missam in suo privato Oratorio celebratam, nequit profecto sine speciali licentia Ordinarii ei SS. hoc Sacramentum ibidem ministrari, quamvis ponamus eamdem non posse ad Ecclesiam Parochialem pergere. Id enim expresse prohibetur in Notif., seu Instit. Eminent. olim Prosperi Lambertini Archiep. Bonon. postea SS. Pontif. Bened. XIV. fel. rec. Edit. Ital. 14, tom. 2, Latin. vero 34. §. 3, seu num. 12., ubi in fin. dicitur: «Jubemus, ne in Sacellis hujusmodi, quamvis « Sacrum fieri liceat, Eucharistiæ Sacramentum per re- « gularem, aut sæcularem Presbyterum administretur, « nisi prius per Nos, aut Vicarium nostrum Generalem « id permittatur. »

Neque quis dicat in eadem Instit., codemq. §. num. 11, prohiberi etiam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ: ibi enim legitur. « Monendos singulos duci- « mus Pœnitentiæ Sacramentum in Sacellis ejusmodi « administrari non posse: » attamen a nobis in antecedentis casus resolutione concessum, posse ibi a Parocho Confessionem excipi nobilis illius Matronæ. Nam facilis est responsio ob manifestum discrimen. Etenim in privatis Oratoriis prohibetur administratio Sacramenti

Pœnitentiæ tunc solum, quando nulla adsit rationabilis causa, et ideo Rituale Romanum ibidem citatur Confessario præscribens : « In Ecclesia, non autem in pri-« vatis ædibus Confessiones audiat, nisi ex causa ratio-« nabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti, « ac patenti loco præstare. » Porro in antecedenti casu causa rationabilis aderat eo ipso quod nobilis illa Matrona ad Ecclesiam nullo modo pergere poterat, et confiteri Parocho volebat, esto ex devotione; sed quia aliquando Sacramentum hoc, quod ex devotione petitur, potest esse animæ necessarium, idcirco sufficiens est causa illud administrandi extra Ecclesiam, si petatur ab eo, qui ad Ecclesiam nequit se conferre. At Sacramentum Eucharistiæ nunquam nisi in extrema necessitate, et tunc etiam dumtaxat, quando nequit haberi recursus ad Ordinarium, potest administrari in Oratorio privato, aut ex eo ad ægrotum in eadem etiam domo jacentem deferri; id enim saltem in Italia ubique fere præscriptum est sive ex decretis Episcoporum, aut Synodorum, sive ex inducta consuetudine; qua constat Eucharistiam ad infirmos, aliosve impotentes ad Ecclesiam accedere publice ex Ecclesia a Sacerdote deportari.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Proculus vir iracundus Filios suos aliquid contra ipsius voluntatem facientes sæpe ita minatur: *Per Deum*, si iterum id facitis, volo vobis frangere brachia, crura, cervices. Quæritur, an, et quomodo peccet?

Resp. Proculum utpote usurpantem ex iracundia, ideoque irreverenter, Dei nomen, utique peccare, ut per se manifestum est, an autem graviter, vel leviter, id ex animo Proculi pendet. Etenim vel Proculus verba illa *Per Deum* assumit animo jurandi, seu vocandi Deum in testem suæ voluntatis, vel non. Si non intendit jurare, sed solummodo verba illa usurpat ad quamdam significationem animi sui graviter commoti, aut ex prava quadam consuetudine, quæ, heu nimium, apud mul-

tos invaluit, pronunciandi frequentissime hujusmodi verba in quacumque occasione non solum indignationis, sed etiam risus, ac familiaris sermonis, dico eum per se loquendo leviter peccare ; sed ex circumstantia scandali, quod præbet filiis suis, aliisque forte audientibus, posse peccare graviter ; quippe filii, aliique discunt passim usurpare sic irreverenter, et etiam cum periculo pejerandi Sanctissimum Dei nomen, et juramenti formulam ; unde abusus hujusmodi detestabilis transit a generatione in generationem non sine magna piorum admiratione et commotione. Si autem vere jurare intendit, tunc vel habet animum revera efficiendi quod ore pronunciat, vel solum inferendi gravem pœnam illis vocibus utcumque significatam, non vero iis modis exequendam. Si quidem jurando intendit velle se dumtaxat graviter punire filios si forte iterum committant quod in ipsis redarguit, idque revera gravem pœnam mereatur, tunc nonnisi leviter videtur peccare ob defectum scilicet judicii, quod cum veritate et justitia ad licitum juramentum requiritur. Si vero advertens jurat se velle exequi id, quod verba illa significant, tunc graviter peccat, et quidem triplici malitia, altera nempe contra religionem jurando rem illicitam ; altera injustæ vindictæ, neque enim pater jus habet vel occidendi, vel mutilandi, vel vulnerandi filios suos, quia ista ad publicam potestatem pertinent, quæ sola exercere potest hoc pacto justitiam vindicativam : pater autem, qui privatæ familiæ præest, non habet potestatem nisi imperfectam, puniendi scilicet filios levioribus pœnis, veluti moderatis verberibus, quæ damnum irreparabile non inferant ; tertia denique malitia est contra pietatem, quæ virtus licet principaliter obliget filios ad cultum et obsequium erga parentes, obligat tamen secundario vicissim etiam parentes erga filios, nempe ad specialem eorum curam habendam, adeo ut id, quod commissum adversus extraneum esset simplex injustitia, si committatur contra filios, aliam malitiam necessario explicandam inducat, scilicet pietati contrariam.

CAS. II. — Solet quidam rusticus confirmandi causa

quæ vel narrat, vel promittit, si forte in dubium ab aliquo revocentur, serio addere: *Per deum Bacchum* ita est, aut illud faciam. Quæritur, quodnam peccatum sic loquendo committat?

Resp. Etsi per falsum numen, seu deum ex animo jurare esset blasphemia hæreticalis, imo superstitionis species, ac vera idololatria, quippe creaturæ tribuitur infallibilis auctoritas propria solius veri Dei, simulque supremus quidam cultus soli vero Deo debitus; nam juramentum est actus latriæ, quo jurans tacite testatur Deum, quem invocat, sive assumit in testem, habere rerum omnium cognitionem, et veritatem infallibilem, ac rerum humanarum providentiam, cujus proinde judicio se subjicit; ac propterea Exodi 23, v. 13, dicitur: *Per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro:* attamen dum Christiani, ut nimis sæpe ex quadam inveterata corruptela contingit, voces illas *per deum Bacchum* aliquid asserentes aut promittentes serio etiam usurpant, nequaquam intendunt vere jurare per falsum deum, aut divinum honorem, seu cultum deo falso tribuere, sed tantum significare volunt, se quod asserunt vel promittunt paratos esse juramento firmare, si opus esset; interim autem ne jurent, verique Dei nomen frustra assumant, ubi necessitas non exigit, verbo tenus jurant *Per deum Bacchum*, in hujus quodammodo contemptum, quem pro nihilo habentes nihil etiam verentur frustra nominare. Atque ita interpretandus videtur communis hujusmodi vocum usus. Cæterum quoniam Deus unus est, ejusque nomen sanctum, et terribile, atque idcirco nunquam nisi reverenter usurpandum, immunis esse non videtur a veniali saltem peccato, utpote ab otiosa, et irreligiosa quadam Divini nominis usurpatione ille dicendi modus, a Christianorum ore, si fieri posset, omnino extirpandus, atque perpetuo excludendus.

CAS. III. — Quidam Sacerdos dum paratus pergit ad Altare ad faciendum Sacrum, per viam recitare solet submissa voce Psalmum *Miserere*, quem si complere non potest, antequam ad Altare perveniat, eum ad

finem usque prosequitur, dum explicat Corporale, et Missale aperit, ac disponit; atque interdum, si brevissima fuerit via a Sacrario ad Altare, immoratur paululum in medio Altari, ut Psalmum illum perficiat, priusquam descendat ad incipiendam Missam. Quæritur, an id totum sit contrarium Ritui a Rubrica præscripto?

Resp. id totum sin minus contra Ritum positive, quippe expresse a Rubrica non prohibetur, certe præter eum dici debere, quia a Rubrica nequaquam præscribitur. Hinc P. Meratus in suis Additionibus ad Gavantum part. 2, tit. num. 6, quærens an Sacerdoti procedenti ad Altare liceat recitare submissa voce Psalmum aliquem ex gr. *Miserere*, aut aliquid aliud, ait Doctores non convenire, quum alii affirment, alii negent; tum subdit: *Ego negativæ sententiæ adhærendum esse crediderim; quia nihil imperatur in Rubrica recitandum in accessu ad Altare; sicut imperare debuisset, et ut de facto imperat in recessu.* Cæterum si Sacerdoti ad colligendum animum in Deum, cum pergit ad Altare, conferat recitatio alicujus Psalmi, vel Cantici, vel alterius precis, posset eam sola mente perficere sine vocali pronunciatione, eamque seligere, quæ ipsi ad Altare ingresso moram non afferret incipiendæ Missæ.

MENSE JULII.

CAS. I. — Volens Petrus emere a Francisco decem corbes frumenti, ductus est ab hoc in granarium, ubi ex duobus acervis unum Petrus selegit, ex quo decem illæ mensuræ desumendæ essent; et quum ambo convenissent de pretio unius aurei in singulas corbes, promisit Petrus se intra octo dies illuc venturum ad accipiendum, et solvendum frumentum. Sed quia interim Petro oblatæ fuerant totidem corbes frumenti æqui boni, et viliori pretio, distulit ultra octo dies reditum ad Franciscum, qui eum sibi in via occurrentem monuit, ut fidem sibi datam liberaret, ac veniret ad mensurandum, solvendum, asportandumque frumentum illud. At Petrus sperans se aut rescissurum eum contractum,

aut alium emptorem inventurum, distulit adhuc plures dies. Interea quadam die tonante cœlo fulmen in granarium Francisci delapsum combussit totum illum acervum frumenti, ex quo debuerat Petrus decem illas corbes asportare. Quæritur, an Petrus illarum pretium teneatur Francisco solvere?

Resp. affirm. Ratio est, quia licet in iis, quæ pondere, numero, mensurave constant, veluti frumento, vino, olco, etc. etiamsi de pretio convenerit in singulas mensuras, aut in singula corpora, non tamen aliter videatur perfecta venditio, quam si admensa, et appensa, adnumeratave sint, quia venditio quasi sub hac conditione videtur fieri, si venditor tot libras appenderit, tot oves v. gr. numeraverit, tot modios tritici admensus fuerit, juxta l. 35, § 6. ff. de contrah. empt., ideoque periculum interim sit solius venditionis, ut habetur l. 1, ff. de peric. et com. rei vend., et l. 2, c. cod. tit. Attamen si dies præstituta fuerit, in qua res mensuranda aut numeranda esset, et emptor monitus moram interposuerit, et tunc periculum ad emptorem transit; unde pereunte toto acervo frumenti, vel grege, aut vino, etc. tenetur nihilominus emptor ad solutionem pretii, ut manifesto colligitur tum ex citat. l. 2, C., tum etiam ex l. 5, et l. 17. ff. eod. tit.

CAS. II. — Veniens rusticus ad urbem venditurus caseum, ova, legumina, pullos gallinaceos, et alia id generis, fraudibus, et mendaciis inducit emptores ad res illas emendas majori pretio, quam alias emerent, licet non excedente summum. Peccatne contra justitiam?

Resp. affirm. Nam etsi pretium, quo rusticus vendit eas res, non excedat limites summi justi pretii, quia tamen injusto modo, scilicet fraudibus et mendaciis, inducit emptores ad emendas res illas pretio majori, quam alioquin emerent, certe est causa injusta emptoribus illius damni, sive lucri cessantis: quisque enim habet jus, ne fraude, vel mendacio, aut vi inducatur ad damnum aliquod patiendum, vel lucrum amittendum.

CAS. III. — Sacerdos, finita Missa, rediens ad Sacrarium, loco Cantici *Benedicite omnia opera Domini, etc.* et Psal. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, cum aliis precibus, quæ habentur in Missali post Rubricas pro Gratiarum Actione, recitat per viam Hymnum *Te Deum laudamus*. Potestne rite id facere?

Resp. negat. Id enim est manifeste contra Ritum in Missali præscriptum, ut videre est in *Ritu celebrandi Missam*, qui habetur in eodem Missali post Rubricas generales, tit. 12. num. 6, ubi de Sacerdote, qui Missam absolvit, dicitur «eo modo, quo venerat, redit ad » Sacristiam, interim dicens Antiphonam *Trium puerorum*, et Canticum *Benedicite, etc.*»

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Quidam Sacerdos frequentat domum cujusdam mulieris sine ullo pravo fine, sed recreationis, et honestæ amicitiæ gratia dumtaxat: attamen vicini, qui frequentiam observant, finem autem nesciunt, murmurant, et forsan mali aliquid suspicantur. Teneturne Sacerdos iste resciens hujusmodi murmur vicinorum se abstinere a frequentanda illa domo?

Resp. affirm. Ratio est, quia Sacerdos ille resciens murmur vicinorum, potest prudenter dubitare tum de gravi aliquo eorum scandalo, tum etiam ne et sui ipsius, et illius mulieris fama, ac bonum nomen periclitetur; ideoque ex charitate tum propria, tum erga proximum debet statim a frequentanda domo, et conversatione mulieris illius abstinere. Certe quod attinet ad scandalum, mundani homines sæpe ex iis quæ vident aut audiunt fieri ab Ecclesiasticis viris, occasionem sumere solent eadem, et pejora etiam peccandi. Quare si etiam laicus dubitans prudenter de scandalo, deberet fœminæ quantumvis honestæ domum, et collocutionem non necessariam vitare, quum generaliter dicat Apostolus 1. Thes. 5, v. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos:* nimirum ut idem ait Rom. 12, v. 17. *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus ho-*

minibus, scilicet ne ulla iis spiritualis ruinæ occasio præbeatur : multo magis ad id tenetur Sacerdos, qui ex vi sui status debet seipsum in omnibus exhibere exemplum bonorum operum. Quod vero spectat ad propriam famam, præterquam quod unicuique dicitur Eccli. 41, v. 15, *Curam habe de bono nomine*, adeo ut nemini liceat sine causa bonam famam prodigere et amittere, quia id esset contra propriam charitatem; in Ecclesiastico præterea viro, ac præsertim Sacerdote, ex speciali quadam ratione requiritur cura boni nominis, nempe tum ex virtute Religionis, *ut non vituperetur ministerium nostrum*, juxta Apost. 2. Cor. 6, v. 3, tum etiam fortasse ex justitia saltem legali, quæ obligat unamquamque partem communitatis, ne aliquid sine justa causa faciat, quod vergat in damnum totius; siquidem plerumque vitium unius Ecclesiastici solet a laicis in totum Ecclesiasticum cœtum, atque ordinem refundi, ita ut sæpe redundet etiam ad alios innocentes damnum bonæ opinionis, atque existimationis, quod quis ex eodem cœtu sua culpa patitur. Certe quoad mulierem, si ob frequentem illius Sacerdotis ad ejus domum accessum, in suspicionem veniat apud vicinos tanquam fœmina inhonesta, ex charitate obligatur Sacerdos ejus conversationem omnino dimittere, ne ipsa tam grave suæ famæ detrimentum ferat. Denique ut magis pateat quam gravis sit obligatio in Ecclesiastico viro ordine Sacro insignito tollendi suspicionem omnem, quæ fuerit concepta de inhonesta ejus cum aliqua muliere conversatione, juvat hic exscribere caput 2, de cohabit. cler. et mulier., ubi dicitur: « Si quisquam « Sacerdotum i. e. Presbyter, Diaconus, vel Subdia- « conus, de quacumque fœmina crimine fornicationis « suspectus, post primam, secundam, et tertiam ad- « monitionem inveniatur fabulari, et aliquo modo con- « versari cum ea, excommunicationi subdatur, fœmina « vero canonice judicetur.

CAS. II. — Rixatus quidam rusticus mane diei festi cum Clerico ante fores Ecclesiæ Parochialis hunc percussit pugnis, calcibus, et fuste coram duodecim, vel

quindecim hominibus, qui audita paulo ante Missa ibi constiterant. Post dimidium horæ circiter idem rusticus de re quadam acturus cum Capellano ejus Ecclesiæ, qui adhuc celebrare debebat, et jam certior fuerat factus de percussione a rustico illo perpetrata, eum adiit; a quo reprehensus agnovit suum crimen, dixitque se velle postridie ad urbem venire, ut quamprimum, si fieri posset, ab excommunicatione, quam noveratse incurrisse, absolveretur. Sed his breviter expeditis, longius egit rusticus cum Capellano de re illa temporali, quæ inter ipsos vertebatur, et tunc vere eos non urgebat. Interim autem Capellanus dubitabat, utrum cum illo excommunicato posset licite hujusmodi colloquia, et tractatus habere; et vocatus ad audiendas Confessiones rusticum dimisit cum salutatione, ut de more; et diutius occupatus in Confessionibus audiendis, tum administrato etiam Eucharistiæ Sacramento, ultimam denique Missam prope meridiem non præmissa Confessione celebravit.

Quæritur, an Capellanus iste in excommunicationem minorem inciderit alloquens rusticum illum excommunicatum; an peccaverit, et quomodo, leviter scilicet, an graviter sic administrando Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, ac præsertim Missam celebrando; et an ideo irregularitatem incurrerit?

Resp. quoad 1 partem Capellanum revera incurrisse excommunicationem minorem alloquendo, et salutando rusticum illum excommunicatum vitandum ob publicam Clerici percussionem; nam Constitutio lata in Concil. Constantiensi sub Martino V., quam refert D. Antoninus 3, part. tit. 25, c. 3, incip. *Ad evitandum*, expresse excipit publicum Clerici percussorem: ibi enim hæc leguntur: «Salvo si quem, pro sacrilega manuum injec-« tione in Clericum, sententiam latam a canone adeo no-« torie constiterit incidisse, quod factum non possit « aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excu-« sari, nos a communione illius, licet denunciatus non « fuerit, volumus abstineri juxta canonicas Sanctiones.» Quum igitur in casu rusticus sententiam latam a celebri can. *Si quis suadente diabolo,* notorie incidisset etc. et

Capellanus id non ignoraret, ac insuper dubitaret, an posset eum alloqui, nec ulla esset necessitas urgens cum eo loquendi, profecto dicendum est Capellanum incidisse juxta canonicas sanctiones in excommunicationem minorem latam contra scienter communicantes cum excommunicato scilicet vitando.

Quoad 2 vero partem dico Capellanum minori excommunicatione ligatum aut nullo modo, aut venialiter tantum peccasse administrando Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ; nam effectus minoris excommunicationis est privare dumtaxat participatione Sacramentorum, ut patet tum ex cap. ult. de Cler. excom. etc. minist., tum etiam ex cap. penult. de sentent. excommunic. non autem etiam collatione, seu administratione. Quam licet aliqui graviter prohibitam affirment Sacerdoti excommunicatione minori irretito, quia cit. illo capite ult. de cler. excom. etc. dicitur : *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta* : alii tamen probabilius hæc verba intelligunt vel de peccato levi ob aliquam irreverentiam, quæ videtur inesse in eo, quod ille Sacramenta administret, qui cujusque Sacramenti recipiendi ob vinculum illud minoris excommunicationis est incapax ; vel referunt ad eam Sacramentorum collationem, quæ sit cum perceptione conjuncta, ut accidit in celebratione Missæ, quæ quidem graviter prohibetur Sacerdoti minori excommunicatione ligato, ut constat ex eodem capite, ubi initio dicitur : *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, etc.* Quare in casu nostro graviter quidem peccavit Capellanus Missam celebrando ob Eucharistiæ perceptionem, quæ tali vinculo innodato est illicita, non autem administrando extra Missam Sacramenta, *cum non videatur a collatione, sed participatione Sacramentorum* (*quæ in sola consistit perceptione*) *remotus*, ut ibidem legitur. Et ideo cum proxime ante hæc ipsa verba dicitur = *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta*, id vel debet intelligi de levi quadam indecentia, quæ apparet in eo quod ille conferat Sacramenta, qui a percipiendo quocumque Sacramento prohibetur, vel potius referri debet ad collationem cum perceptione conjunctam, ut accidit in

administratione Eucharistiæ intra Missam Sacerdote Excommunicatione minori ligato celebratam : qui certe non solum celebrando, sed etiam tunc Eucharistiam ministrando graviter peccat, quia gravis peccati reus SS. Sacramentum administrat.

Ad ultimam denique quæsiti partem facilis est, ac certa responsio ex initio ejusdem illius ultimi capitis de Cler. excomm. Ibi enim dicitur = *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit.* Cui quidem Gregorii IX. decretali responsioni ratio etiam manifesta suffragatur. Nam irregularitas ob violationem censuræ tunc incurritur, quando Clericus ob aliquam censuram ministrare prohibitus, nihilominus indebitam ordinis administrationem exercet. At ligatus excommunicatione minori non prohibetur simpliciter ministrare in suo ordine, sed tantum Sacramenta percipere, ut patet ex supradictis; ob meram autem perceptionem cujusvis Sacramenti cum censura aliqua, non contrahitur irregularitas.

CAS. III. — In vigilia Assumptionis quidam nomine Laurentius ad avertendum a se grave periculum, quod sibi imminens timet, data eleemosyna cuidam Sacerdoti, petit ab eo, ut Missam pro se celebret S. Laurentii, cujus Octava adhuc durat. Quæritur : an possit Sacerdos Missam illam dicere eodem modo ac infra Octavam, an vero dicere debeat tanquam Votivam ?

Resp. debere dicere tanquam Votivam. Ratio est, quia Missa propria illius diei est Missa Vigiliæ Assumptionis, non vero Missa infra Octavam S. Laurentii, quamvis de hoc recitatum fuerit Officium. Et ideo in nostro casu licet Missa, quæ dicitur de S. Laurentio, correspondeat Officio; attamen quia non est Missa præscripta a Rubrica tanquam dicenda illa die, sed est Missa, quæ dicitur pro libito Sacerdotis, semper habetur ut Missa votiva, adeoque dicenda sine *Gloria :* ut videre est apud Merat. part. 1, tit. 4, de Miss. votiv. § 4, sub num. 18, in fine.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Audiens Confessarius generalem Confessionem ex necessitate faciendam agnoscit pœnitentem obligatum esse multiplici restitutioni tum famæ, tum rei, et dubitat, an is in bona, an in mala fide sit. Quomodo se geret?

Resp. Admonebit Confessarius hujusmodi pœnitentem suæ obligationis, atque ab eo inquiret, cur non antea restituerit, nempe ut intelligat ejusdem pœnitentis statum, et quot peccata commiserit, si forte culpabiliter distulit restitutionem vel rei, vel famæ. Nam hujuscemodi admonitio, et inquisitio necessaria omnino videtur, ut Confessarius muneri suo tum judicis tum medici non desit, ac præsentem pœnitentis dispositionem agnoscat, ejusque saluti consulat; pœnitens enim sicut firmum habere debet propositum servandi totam legem Dei, ita etiam paratus esse debet cuicumque suæ gravi obligationi, prout potest, satisfacere.

CAS. II. — Rusticus singulis fere diebus festis cauponam frequentans, tantam ludendo et bibendo pecuniam ibi impendit, ut tametsi familiæ suæ quæ sunt absolute necessaria provideat, nihil tamen præterea, quod aut ad commoditatem, aut ad solatium miseræ vitæ pertineat, vel uxori, vel liberis suis unquam suppeditet, nec ulli pauperi eleemosynam præbeat. Debetne reputari immunis, ac tutus a peccato mortali?

Resp. Prætermissa consideratione scandali, aliarumque gravium circumstantiarum, quæ in hujusmodi casu occurrere possunt, quasque prudens Confessarius debet inquirere, non videtur rusticus iste posse excusari a peccato gravi, quippe graviter videtur deesse suæ obligationi. Tenetur enim paterfamilias, qui uxorem et liberos habet, eos convenienter alere, et sustentare juxta suum statum, suasque facultates, nec satis est, ut ea, quæ sunt *absolute necessaria* provideat: hæc enim etiam in carcere detentis, et ad triremes damnatis suppeditantur.

Præter hæc igitur debet maritus uxori, debet pater filiis suis sustentationem præbere suo statui, suisque facultatibus convenientem ; id enim et conjugalis amor erga uxorem, et paternus erga filios prorsus exigit ; ac propterea tum maritus, tum pater tenetur diligentiam et laborem saltem mediocrem adhibere ad bona acquirenda, et conservanda, ut possit suæ huic obligationi satisfacere ; sicut etiam, ut filias, si quas habet, convenienter dotet, ut liberis suis congruam aliquam hæreditatem relinquat : nam futuris quoque eorum necessitatibus, prout commode potest, providere debet : *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, ut ait Apost. 2 Cor. 12. Quare si rem familiarem non curet, si bona sua ludendo et bibendo, cauponam seu tabernam frequentando dilapidet, graviter profecto peccat, agens contra propriam et quidem gravem sui status obligationem, scilicet cum gravi familiæ suæ incommodo ac detrimento, adeo ut quadrare ei videatur quod ait idem Apostolus 1 Timoth. 5, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. Quandoquidem infideles ipsi naturæ quodam impulsu suorum curam gerere solent.

Quod vero spectat ad eleemosynam, cujus præceptum obligat etiam ad tribuenda pauperibus superflua statui, juxta illud Christi Domini Luc. 11, v. 41. *Quod superest, date eleemosynam*, graviter quoque peccare dicendus est rusticus noster, si bona quæ tam male expendit, sufficerent tum sustinendis cunctis familiæ oneribus, tum etiam eleemosynæ indigentibus pro suo statu erogandæ, ut moris est apud rusticos probos, et frugaliores. Et sane si peccat graviter contra justitiam qui prodigendo sua bona impotens redditur ad solvenda debita ; cur non debet dici graviter peccare contra præceptum eleemosynæ, seu contra charitatem, qui intemperanter ludis ac potationibus indulgendo, impar efficitur eleemosynæ, seu charitati pauperibus debitæ exercendæ?

CAS. III. — Recitantes duo Clerici in sacris constituti privatim quidem, sed tamen alternatim, ut fit in Choro,

Horas Canonicas, contenderunt inter se utrum non solum post Laudes, aut ultimam Horam successive post eas recitatam, sed insuper in fine cujusque Horæ, si in ea terminetur Officium, dici debeat Antiphona B. V., quæ recitatur in Completorio: et unus quidem affirmabat, negabat alter. Ambo consulunt Parochum. Quid hic respondebit?

Respondebit juxta Rubricas generales Breviarii tit. 36 ubi agitur de Antiphonis Beatæ Mariæ in fine Officii, num. 2, hæc haberi: « Dicuntur autem extra Chorum, tantum » in fine Completorii, et in fine Matutini, dictis Laudi- » bus, si tunc terminandum sit Officium; alioquin si » alia subsequatur Hora in fine ultimæ Horæ. In Choro au- » tem semper dicuntur, quandocumque terminata aliqua » hora discedendum est a Choro. » Et clarius difficultatem omnem dissolvi in Rubrica particulari, quæ habetur in fine Completorii post ipsas Antiphonas, ubi hæc leguntur: « Extra Chorum autem dicitur (scil. Antipho- » na B. M.) in fine Laudum, si tunc terminandum » sit Officium, alioquin in fine ultimæ Horæ. Post alias » vero Horas, quando terminatur Officium, dicitur tan- » tum *Pater noster* secreto. » Noster tamen Gavantus in supradictam Rubricam generalem num. 13, scribens de Antiphonis illis extra Chorum dicendis ait: *Possunt tamen semper dici post quamcumque Horam ex devotione.*

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Colonus quidam magna necessitate pressus, cum quindecim corbes tritici seminare deberet, ut præsenti suæ indigentiæ consuleret, tredecim dumtaxat seminavit, duasque reliquas sibi retinuit. Quid restituere debebit domino possessionis, cum quo pro media parte fructus ejus terræ dividit?

Resp. Debebit Colonus restituere domino mediam partem proventus, qui verosimiliter obvenisset, si duæ illæ corbes fuissent seminatæ, eumque proventum metiri debebit, cæteris paribus, juxta fructum, quem attulerunt reliquæ corbes terræ traditæ. Sic v. g. si

unaquæque corbis retulit fructum septuplum . quoniam duæ corbes retulissent quatuordecim, debebit Colonus domino dare corbes septem ultra mediam partem totius messis. Quod si contingeret, ut tota messis aut grandine, aut alio quocumque infortunio periret, teneretur adhuc Colonus unam corbem ex duabus non seminatis domino reddere, non quidem ratione damni illati, quippe etiamsi eas seminasset, nihil magis dominus haberet, sed ratione rei acceptæ, ut per se manifestum est.

CAS. II. — Lucia dum esset puella undecim annorum emisit votum recitandi ter in hebdomada integrum Rosarium B. V. M. præter tertiam ejus partem, quam quotidie Vespere una cum Matre, et reliqua familia recitare solet, idque fecit mota rationibus, quas quidam Concionator, quem attente audivit, congesserat ad hujusmodi precationem commendandam tanquam Deo, et B. V. gratissimam, eamque adhibenti utilissimam. Nunc grandior facta, et valde occupata a matre sua in rebus domesticis, difficulter admodum votum illud potest implere. Quærit proinde a Parocho suo, cui confitetur, quomodo possit a tam gravi onere liberari, præsertim quum pater suus cum primum audivit ab ipsa emissum hujusmodi votum, statim improbaverit, dixeritque si ad se spectaret, ablaturum se illico omnem obligationem. Quid respondebit Parochus?

Respondere probabiliter poterit eo voto utpote irritato a patre ipsam non obligari. Est enim communis Theologorum et Canonistarum sententia, vota quæcumque impuberum sive personalia, sive realia, posse a patre irritari, idque colligunt ex cap. 30. Numer. ubi dicitur : *Mulier si quippiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum, quod pollicita est, et juramentum, quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit : quidquid pollicita est, et juravit, opere complebit. Sin autem statim ut audierit, contradixerit pater, et vota, et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.* Quod totum refertur etiam can. *Mulier* 32, q. 2.

Quæ lex etsi a Deo per Moysen data sit Hebræis, tamen lex moralis dicenda videtur, et ad jus naturale pertinens, quod quidem docet filios impuberes etiam utentes ratione, utpote nonnisi imbecillem, ac tenuem ejus usum habentes, ita esse sub potestate patrum suorum, ut eorum voluntas ab horum voluntate pendere debeat, adeoque eorum vota non sint omnino firma quoad obligationem, donec a patribus suis approbentur. Si quis autem contendat legem illam non naturalem esse, sed positivam, hoc etiam dato, dicimus eam certe non cæremonialem, sed judicialem habendam esse, quæ etsi nunc per se vim legis non obtineat, quippe cum tota lege Mosaica abrogata per Christum, tamen ea fuit in lege etiam nova usu et consuetudine recepta, utpote domesticæ gubernationi valde utilis et opportuna, ac naturali legi jam explicatæ valde consona, et affinis. Dixi autem initio : *Respondere probabiliter poterit*, propterea quod in casu nostro non omnino constat patrem irritasse absolute puellæ votum, de quo est quæstio. Nam etsi illud improbaverit, dixeritque *si ad se spectaret, ablaturum se illico omnem obligationem*, per hæc tamen voluntatem potius irritandi, quam veram irritationem ejus voti ostendit; nec satis hic apparet contradictio illa, quæ in citata lege requiritur ad voti irritationem. Attamen quia voluntatem irritandi vere habuit saltem sub conditione, si auctoritatem haberet; hæc autem conditio revera tunc aderat, licet ipse eam ignoraret, probabiliter dici posse videtur, in foro Dei, de cujus causa et jure agebatur, suum effectum obtinuisse eam voluntatem, utpote quæ ex conditionali ob ignorantiam patris in absolutam vere transiit, (conditione coram Deo, sive auctoritate illa revera existente) et contradictionem sufficientem fuisse ipsam positivam voti improbationem, quam statim manifestavit. Cæterum si pater adhuc esset superstes, ad tollendam omnem dubitationem expediret, ut Parochus filiam ipsam instrueret, atque hortaretur, ut a patre irritationem ejusdem voti peteret manifestando eidem auctoritatem, quam antea habebat, et adhuc juxta multorum sententiam habet irritandi illius voti, dum tamen non fuerit istud post pubertatem ab ipsa confirmatum. Si

enim confirmatum fuisset post pubertatem, tunc pater posset ejus executionem suspendere, quatenus et quamdiu œconomicæ gubernationi præjudicium aliquod afferret; idque ipsum, mortuo patre, posset ob eamdem causam quilibet alius, in cujus cura esset filia grandior jam facta, seu pubes.

CAS. III. — Clericus obligatus recitationi divini Officii recitat quadam die ex errore Officium Sancti diei sequentis; postea autem die recitare vellet Officium Sancti diei præcedentis, ne bis de eodem Sancto Officium dicat, et omittat eo anno aliud alterius Sancti. Consulit hac de re Parochum: quodnam hic ei consilium dabit?

Resp. Suggeret ei, ut Officium ea die præscriptum recitet, etsi ex errore illud pridie recitaverit. Secus enim præcedentis diei errorem non emendaret, sed alio cumularet errore. Errat enim in recitatione Officii quisquis aliter recitat, quam fuerit præscriptum. Neque enim qualitas Officii ex præcepto recitandi cuique privato libera est, sed juxta Rubricas, et Decreta Sacræ Rituum Congregationis necessario est ordinanda, prout in unaquaque Ecclesia, ad quam quis spectat, legitime ordinatur. Quare cum minus malum sit errasse semel, quam bis errare, debebit Clericus iterum potius idem Officium recitare, quam privata auctoritate illud commutare in Officium diei præcedentis.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Vidua quædam valde inops petiit a viro item viduo, ut sibi mutuam daret corbem frumenti ad sui sustentationem in proxima hyeme, promittens se eam reddituram tempore novæ messis. At vir ille scelestus capta occasione promisit se ei mutuam daturum corbem frumenti, eo pacto tamen, ut sui corporis copiam interim sibi faceret; cui Vidua necessitate mota perperam consensit. Quæritur, utrum vir ille præter malitiam fornicationis, et scandali, aliam etiam specie diversam contraxerit?

Resp. eum etiam malitiam usuræ contraxisse. Ratio est, quia imponere mutuatario ratione ipsius mutui onus aliquod, seu aliam obligationem ultra solutionem sortis, est usurarium, ut DD. communiter docent. In casu autem nostro id accidit ob pactum scilicet adjectum mulieri mutuum accipienti valde onerosum. Ergo in hoc casu accidit etiam usuræ malitia, quæ proinde erit a mutuante in Confessione necessario explicanda.

CAS. II. — Civis quidam ruri diutius immoratus sæpe aliquos ex familia sui coloni occupavit nunc mittendo ad urbem, nunc detinendo domi ad sibi inserviendum; quibus proinde uti non potuit colonus ad operas suas non sine aliquo damno. Quærit exinde colonus a Confessario suo, an hujusmodi damnum quod passus est, possit sibi clam ex rebus domini compensare. Quodnam responsum dabit Confessarius?

Resp. Quoniam ut occulta compensatio licita sit, multa requiruntur, ac præsertim, ut debitum et quidem ex justitia sit omnino certum, et ut creditor non alia ratione rem sibi debitam possit obtinere saltem sine gravi incommodo, vel detrimento, interrogandus proinde erit colonus a Confessario, utrum ipse domesticorum suorum operam domino ruri degenti gratis concesserit, aut concedere simulaverit, an vero dominus propria auctoritate, ipso inscio, aut satis aperte repugante usurpaverit: ac præterea utrum dominus, tempore quo moratus est ruri, aliquid cibi et potus ei ejusve domesticis occasione hujusmodi operarum suppeditaverit, per quod ipse colonus commodum aliquod senserit, et quotidianæ expensæ saltem ex parte pepercerit; denique utrum dominus, si rogaretur compensare hujusmodi operas, quibus usus est, facile consentiret; aut saltem ex consideratione illarum operarum paratus sit gratificare ipsi colono, si casus contingeret, in re aliqua pretio æstimabili, ad quam alioquin minime teneretur. Nam ex responsione coloni ad singulas hujusmodi circumstantias cognoscere poterit prudens Confessarius, an in casu ea omnia concurrant, nec ne, quæ licitam reddere possunt occultam compensationem. certe si colonus ex qui-

dam benevolentia simulaverit gratis concedere domino suorum domesticorum operas; si aliquod commodum ex cibo et potu a domino suppeditato reportaverit; si dominus eo animo sit, ut cognito damno, quod colonus passus est, illud ultro compensaret; si denique colonus certam spem habeat, fore ut dominus ob illas operas, quas sibi gratis præstitas putat, facile sibi et ultra debitum, in necessitate aliqua posito subveniret, nullô pacto locum habere videtur occulta compensatio.

CAS. III. — In vigilia sancti Andreæ Apostoli occurrente ante Dominicam primam Adventus, cum adhuc dicuntur Suffragia ad Laudes, et fit Officium de ea, Capellanus addictus Ecclesiæ, cujus Titularis est idem S. Andreas, ejus commemorationem, quam alias facere debet, et solet infra annum, inter Suffragia omittit, ea ductus ratione, quia Oratio Officii est de eodem Sancto. Ritene ita se gerit?

Resp. affirm. atque hanc puto communem esse Rubricistarum sententiam. Certe Gavantus noster in Rubr. Breviar. sect. 5, c. 18, n. 14, hunc casum generatim proponens, ac resolvens ait: « Quid agendum erit in » Officio Vigiliæ Patroni, seu Titularis Ecclesiæ, qui » Vigiliam habet in Breviario? An in Laudibus cum aliis » Suffragiis facienda erit de more commemoratio Patro- » ni, seu Titularis? Omittendam puto in hoc casu, sum- » pto argumento a simili.... de Officio Sanctæ Mariæ, » quod excludit communem hanc Commemorationem de » eadem; ne scilicet de eodem bis fiat in eadem parte » Officii. »

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Sempronius justa de causa volens ante finem hujus mensis ducere in uxorem Agnetem, cum qua jam sponsalia de futuro contraxit, petit a Parocho suo, in cujus Parochia ambo morantur, ut consuetas denunciationes tribus continuis diebus festis peragat, et si ni-

hil obstet, ipsos in matrimonium conjungat in uno ex festis Natalitiis. Potestne ei Parochus morem gerere?

Resp. ex jure quidem communi nihil obstare, quominus etiam tempore Adventus usque ad Epiphaniam possit Parochus et denuntiare publice de more matrimonium contrahendum, et in matrimonium etiam conjungere contrahere volentes; nam eo tempore, sicut etiam a die Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive, prohibentur solum solemnitates nuptiarum; *ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest*, sicut ait Rit. Rom. de Sacr. Matr. §. *Postremo.* « Attamen cum in hac Diœcesi ob veterem consuetudinem « Matrimonia contrahi vel absque pompa non liceat, « dum feriarum tempus agitur, necessario facultas obtinenda est, ut ipsa licite conficiantur.... quamvis ob « ipsam nec vanus pompæ apparatus, nec ulla Ecclesiæ « solemnitas adhiberi possit, ut habetur in Institutione « Emin. olim Archiepiscopi nostri Cardinalis Prosperi « Lambertini, postea SS. Pontif. fel. rec. Benedict. XIV, « Ital. edit. 13, t. 4, Latin. vero 80, n. 15,» ubi etiam in fine traditur ex responsione Sac. Cong. Conc. ob hujusmodi facultatem seu licentiam ab Ordinario concessam, permissam quoque esse traductionem sponsæ, sive uxoris ad domum viri, *dummodo traductio fiat absque solemnitatibus.*

CAS. II. — Suscepit onus quidam Sacerdos fide data, et accepta eleemosyna, celebrandi octo Missas intra mensem, id exigente omnino necessitate eas postulantis. Sed quia quotidie urgebatur idem Sacerdos ab aliis, ut pro ipsis Sacrificium offerret, distulit usque ad octo postremos dies mensis celebrationem octo illarum Missarum. Antequam autem inciperet his satisfacere, ægrotavit, atque oblitus illius oneris non potuit per se, nec per alium eo mense suam obligationem implere. Quæritur, an possit sequenti mense illas Missas celebrare; an vero teneatur monere eum, qui Missas postulaverat, eique, si velit, eleemosynam restituere?

Resp. Si Sacerdos ille certo sciat perseverare adhuc occasionem, seu necessitatem, ratione cujus Missas postulans dedit eleemosynam, potest utique sequenti mense eas Missas pro eo celebrare, quippe adhuc ei prodesse possunt ad obtinendum illud bonum, quod a Deo desiderat, et exposcit. At si occasio, vel necessitas, ob quam ille Missas postulavit, jam præterierit, vel saltem dubitet Sacerdos, an sit elapsa, tenetur utique eum monere, et certior factus opportunitatem illam jam præteriisse, debet ei, si velit, eleemosynam restituere, ut sentiunt communiter DD., atque ipse etiam Eminentiss. olim Prosper Lambertinus, postea SS. Pontif. fel. rec. Benedictus XIV, in suo Opere de Sacros. Missæ Sacrificio, lib. 3, cap. 9, n. 7, aperte docet: « Qui eleemosynam « acceperit pro Missæ applicatione, cum teneri non « modo eleemosynam offerenti Missam applicare, sed « etiam applicare eodem tempore, quo offerens sibi ap- « plicari pro rerum suarum conditione petit; ita ut si « Sacerdos Missam celebret, et applicet extra illud tem- « pus, et extra offerentis opportunitatem, teneatur, elee- « mosynam restituere. »

CAS. III. — Dubitat quidam Capellanus, an vinum illud cum aqua, quo extra Calicem in alio vase ad id parato purificantur digiti post Communionem in duabus prioribus Missis, quæ dicuntur in die Nativitatis Domini, sumi debeat post primam ablutionem Calicis in tertia Missa, illud infundendo in Calicem ipsum; an vero projici debeat in sacrarium. Interrogat idcirco Parochum. Quid hic respondere debet?

Respondebit nullam esse obligationem sumendi purificationem illam, qua in alio vase abluti sunt digiti in prima et secunda Missa, ut satis colligitur ex Rubrica Missalis, quæ habetur post Missam Vigiliæ Nativitatis Domini, ubi dicitur: « Sacerdos quoniam in die Natalis « Domini celebrat tres Missas, in prima et secunda « Missa non sumat purificationem, sed in tertia Missa « tantum, et in prima et secunda abluat digitos in ali- « quo vase mundo. » Neque ibi aliud subditur per quod determinetur, quid de ablutione illa faciendum sit.

Cæterum quia in variis Ecclesiis varia invaluit consuetudo : nam alicubi vas mundum, vel cum aqua sola, vel simul cum vino initio primæ Missæ paratur in quolibet Altari, ut ab omnibus ibi celebrantibus abluantur digiti in duobus prioribus Missis; atque ibi non solet ea purificatio sumi, sed Missis omnibus absolutis projicitur in Sacrarium ; alibi vero vas ponitur, sed vacuum, et quilibet Sacerdos ibi digitos abluit infundente Ministro vel aquam solam, vel solum vinum, vel utrumque ; et inibi solet a singulis Sacerdotibus in fine tertiæ Missæ ea ablutio post primam purificationem Calicis sumi : ideo satius erit, ut quisque ejus Ecclesiæ, in qua celebrat, consuetudinem sequatur ; quamquam mos ille posterior, quem memoravimus, et laudabilior videtur esse, et fortasse etiam communior, quippe eum in Missa etiam solemni servandum monet P. Meratus in Comment. Gavanti part. 4, tit. 3, n. VII et X, in quo postremo loco hæc habet : « In hac tertia Missa prædicta omnia obser-
» ventur usque ad sumptionem Sacramenti inclusive,
» qua peracta, sumat Sacerdos purificationem ordina-
» riam, deinde ablutionem digitorum e vase argenteo,
» vel vitreo, immittat in Calicem, et sumat, ac denique
» faciat solitam in Calice digitorum ablutionem, et post-
» quam extersit Calicem, etiam vas, in quo fuit ablutio,
» purificatorio extergat. »

ANNO MDCCLXVIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — *Andreas de Ansaldis* cujusdam antiqui Laicalis Beneficii Fundator, in ipso limine Fundationis instituit, ut ejusmodi Beneficium nonnisi Clericis ab ipsomet descendentibus conferatur. Vacationis causa, cum nova provisio immineat, *Bernardus* quidam *de Ansaldis*, cui cum prædicto *Andrea* nihil est præter cognomen, probationibus falsis se cum eodem agnatum

esse supponit: ac propterea efficit, ut *Dominicus* ejus Filius prima Tonsura initiatus inter Clericos ab *Andrea* descendentes recenseatur, tum a Beneficii Patrono præsentetur, ac denique Ordinaria institutione eodem beneficio provideatur.

Qu. Utrum *Dominicus* Bernardi Filius, cognita decursu temporis paterna fraude, et quod in damnum tertii Beneficio sit provisus, teneatur quamprimum, ante omnem sententiam Judicis, et Beneficium dimittere, et fructus inde perceptos restituere?

Resp. Inter Regulas *Cancellariæ Apostolicæ*, quibus utitur Romana Curia in materia *Beneficiali*, celebris est *trigesima sexta*, quam Canonistæ de *Triennali* appellant, et quæ in Concilio Basileæ dictata, a Calixto III, rite postmodum firmata atque in hodierno ejusdem Cancellariæ edicto promulgatur his verbis » §. 36. Item sta« tuit, et ordinavit idem Dominus noster, quod si quis « quæcumque Beneficia Ecclesiastica, *qualiacumque* « *sint*, absque simoniaco ingressu, *ex quovis Titulo*, « Apostolica, vel Ordinaria collatione, aut electione, et « electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, « et institutione illorum, ad quos Beneficiorum hujus« modi collatio, provisio, electio, et præsentatio, seu « quævis alia dispositio pertinet, *per triennium* paci« fice possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, « si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in « corpore juris clausa, reservata fuerint, se non intru« serit) super eisdem beneficiis taliter possessis *mole« stari nequeat*; necnon impetrationes quaslibet debene« ficiis ipsis sic possessis factas irritas, et inanes cen« seri debere decrevit; antiquas lites super illis motas « penitus extinguendo. »

Porro ex hac Regula omnis desumitur propositi Casus solutio; in ipsa enim edicitur, quemlibet Beneficiatum *qualecumque Beneficium*, ac proinde etiam *jurispatronatus laici* Beneficium Ecclesiasticum possidentem, non posse super eodem Beneficio, quantumvis *litigioso* molestari, quotiescumque simul, et conjunctim hæc tria concurrant. Primo: Quod *idem* Beneficiatus Beneficium

idem possederit *per triennium*, et hoc *continuum*, et *absolute completum*. Secundo: Quod integro triennio possederit *pacifice*; id est *absque lite, et omni prorsus cum bona fide*. Tertio: Quod integro triennio possederit pacifice *ex quovis titulo*, ac proinde etiam *titulo* quantumvis tantum *colorato*: quemadmodum celebriores Canonistæ præfatæ regulæ particulas communi calculo interpretantur.

Titulus coloratus tunc autem habetur, quando Beneficiatus fuit beneficio provisus vel a Papa, vel ab Episcopo, vel ab eo, qui originariam, seu legitimam de jure habet conferendi beneficia potestatem: tunc enim licet collatio beneficii, provisio, seu institutio ob aliquod vitium foret in se non justa, imo irrita, et nulla; nihilominus ex quo Beneficiatus ejusmodi vitium ignorans fuit a Summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel tandem ab eo, ad quem pertinet, de ejusmodi beneficio provisus, tale in ipsum beneficium acquirit jus præsumptum, sive *titulum coloratum*, ut una cum ipso titulo concurrente simul triennali pacifica possessione, a nemine possit super eodem beneficio sive in *possessorio* molestari; quemadmodum legitur in Basileensi Decreto, a quo, tanquam a matrice et fonte, eamdem *Cancellariæ* Regulam interpretationem sumere incongruum non est; sicuti ab ipsa praxi Romanæ Curiæ idipsum assidue comprobatur.

Jam vero idem *Titulus*, ut Canonistæ aiunt, *Discoloratus* evadit, quando Beneficiatus *interveniente simonia* beneficium ipsum ingressus est, vel non obtentis Apostolicis Litteris beneficio sese intrusit, quod erat reservatum reservationeclausa in corpore juris; tunc enim concurrat licet triennalis pacifica ejusdem beneficii possessio, nunquam beneficiatus acquirit jus in ipsum beneficium, sed potest a quocumque super eodem semper, et perpetuo molestari; ut ex verbis ipsius Regulæ per exceptionem firmatur.

Hisce præmissis, ad propositum deveniamus. *Dominicus* Bernardi filius, dum detegit decursu temporis paternam fraudem, vel illam detegit *post completum tri-*

ennium ab adepta beneficii possessione; vel illam antequam triennium ipsum *de momento in momentum* compleatur: Si primum, nullatenus tenetur aut beneficium dimittere, aut fructus inde perceptos restituere, sed potest *tuta conscientia* et beneficio frui, et illud pacifice possidere. Responsionis ratio hæc est, quia *Dominicus* habet omnia requisita, quæ juxta regulam *de Triennali* ad beneficium legitime præscribendum desiderantur; primo enim Ordinaria institutione, hoc est ab Episcopo, prout in Casu asseritur, fuit ipse de beneficio provisus; ergo habet *Titulum coloratum*. Secundo: Cum nonnisi post completum triennium agnoverit paternam fraudem, satis est argumenti, ipsum *Dominicum* omni prorsus cum bona fide per integrum triennium beneficium pacifice possedisse; et en cum *titulo colorato* simul, et conjunctim triennalis pacifica beneficii possessio: quibus positis consequitur, juxta præmissam *Cancellariæ* Regulam ab Apostolica Sede firmatam, non posse *Dominicum* super ejusmodi beneficio ab ipso *taliter possesso* ulla ratione in foro externo *molestari*; ac consequenter ne in foro quidem conscientiæ ipsum teneri aut beneficium dimittere, aut fructus inde perceptos restituere; secus si in foro conscientiæ ad id teneretur, et simul, *etiam detecta fraude*, non posset in foro externo molestari, sequeretur manifestam injustitiam ab Apostolica Sede solemniter foveri, quod sane absurdum est.

Si vero dicatur secundum. Quamvis *Dominicus* non fuerit conscius paternæ fraudis, nihilominus tenetur quamprimum, ante omnem sententiam Judicis, et beneficium dimittere, et fructus inde perceptos restituere: discriminis ratio hæc est, quia statim ac ipse detegit paternam fraudem, et triennium non est completum, interrumpitur ei bona fides, et legitima beneficii possessio; sicque non amplius juvari potest privilegio *Regulæ* quæ non defendit, ut supra innuimus, nisi triennalem pacificum, et quidem bonæ fidei possessorem; atque idcirco, ut habetur in *can. Si virgo* 34, *q.* 2, tanquam *possessor* factus *malæ fidei*, et tanquam rei alienæ *injustus* detentor, tenetur *statim*, ut docet Angelicus 2,

2, *q.* 62, *art.* 8, *in corp.* ante omnem sententiam Judicis, sola conscientia remordente, et beneficium resignare, et inde perceptos fructus restituere; hac tamen adjecta limitatione. Primo: Si iidem adhuc extant. Secundo: Si existentes fuerint consumpti *mala fide.* Tertio: Si deductis expensis alias factis in utilitatem Ecclesiæ, vel jure acquisitis in beneficii oneribus sustinendis, Beneficiatus factus sit locupletior: et sic generatim juxta regulas in jure traditas, et a Theologis firmatas de *quantitate restitutionis faciendæ a bonæ fidei possessore.* V. D. Raymundum *lib.* 2, *tit.* 6, *de furtis*, § 3, et D. Thom. 2, 2, *q.* 100, *art.* 6, *ad* 3.

Hic vero non me latet, quosdam esse Theologos, tum etiam Canonistas, quibus videtur *Cancellariæ* Regulam esse tantum pro foro externo, non autem pro interno; ideoque in ipsa dici quidem triennalem possessorem non posse molestari, sed non dici posse beneficium tuta conscientia retinere. Secundo: Nullam esse rationem sufficientem, cur credamus, Apostolicam Sedem per simplicem triennalem possessionem velle transferre jus alicujus peculiaris beneficii in extraneum cum damno tertii, imo contra mentem Fundatoris, præsertim Laici, cujus jura sarta tecta servanda omnino esse edicunt Sacri Canones, ne fideles a beneficiorum fundatione retrahantur. Ergo, etc.

At contra dicendum est, quod quamvis *Cancellariæ* Regula, de qua disserimus, multiplici de causa respiciat forum externum, primario tamen, et principaliter respicit internum; est enim pars licet extravagans juris Canonici, ita ut de ipsa mentio fiat expresse *in cap.* 1, *de Treuga et Pace, lib.* 1, *Extravagantium comm. tit.* 9. *Jus* autem *Canonicum*, ut inquit Lancellotus, *lib.* 1, *tit.* 1, *p.* 2. Institutionum Canonicarum, *civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit.* Porro si triennalis possessor non posset tuta conscientia beneficium retinere, et ob *Cancellariæ* Regulam non posset molestari, sequeretur, ut jam diximus, apertam injustitiam solemniter defendi, ipsum possessorem non *ad æternam beatitudinem dirigi*, sed per eamdem *Cancellariæ* Regulam *ad inferos deduci*, quemadmodum recte notat Rebuffus

tract. de pacif. possessionibus, n. 17, quod quam maxime absurdum sit nemo non videt.

Neque sane Apostolica Sedes absque gravi ratione decrevit, ut jus singulare alicujus beneficii translatum ipso jure intelligeretur etiam in extraneum, completa triennali possessione: hoc enim statuit ob bonum commune universalis Ecclesiæ. Primo: ut in materia beneficiali tam diuturnæ et exitiosæ lites, præfixo termino, amputarentur. Secundo: ne diutius in incertum maneret quis esset legitimus beneficiorum Rector. Tertio: ne ob hujusmodi incertitudinem divinus Cultus, Templorum, et Altarium cura, necnon eorumdem beneficiorum onera negligerentur. Cui profecto tam maximo totius Ecclesiæ communi bono cedere debet quodcumque bonum particulare; ideoque licet, admissa *Cancellariæ* regula, quandoque damnum tertii, prout in casu, eveniret, est æquo animo perferendum, cum ejusmodi damnum per majus commune Ecclesiæ bonum compensetur: et quemadmodum jus Civile pro bono Reipublicæ et civium pace potuit inducere præscriptionem ita ut, præscriptione completa, scientia superveniens rei alienæ præscribenti non obsit, quominus hæreditatem alienam possit sibi tuta conscientia licet extraneus, retinere; ita Rom. Pontifex, qui est supremus Hierarcha, et qui in Beneficialibus plenitudinem habet potestatis, jure et juste potuit pro totius Ecclesiæ bono novam methodum inducere, acquirendi scilicet jus in alienis beneficiis, et quidem cum conscientiæ securitate per triennalem possessionem. Vide Rebuff. *tract. de Pacif. Possessionib.* Cabassut. *prax. juris canon. lib.* 2, *cap.* 20. Van Espen. *jus Eccles. univ. part.* 2, *tit.* 26. Gilbert *corpus jus canon. tom.* 3. *Tract. de Benef. tit.* 8, *sect.* 3, et novissime Rigant. *commentaria in Reg. cancellariæ, tom.* 3, *reg.* 36. apud quem Auctores de hac re agentes abunde citantur.

CAS. II. — Walafridus Clericus in adepta cujusdam beneficii possessione pacifice vivens, in cognitionem venit, se amicorum, et parentum opera, ipso tamen penitus inscio, fuisse de tali beneficio simoniace provisum.

Qu. Utrum Walafridus statim ac id agnoscit, beneficium dimittere teneatur?

Resp. Tenetur statim beneficium dimittere, et quidem etiamsi elapsum esset triennium, ex quo ejusmodi beneficium bona fide pacifice possideret. *Usque eo*, inquit Synodus Tusculana a Celsitudine Regia Eminentissima Henrici Cardinalis Ducis Eboracen. an. 1755, celebrata, *cap.* 28, *de Simonia*, §. 11. *Usque eo Simoniæ scelus detestatur Ecclesia, ut si illud in beneficii collatione, non quidem ab eo, cui beneficium confertur, sed illo prorsus inscio, ab alio fuerit admissum, Beneficiatus adhuc, cum primum simoniam esse commissam agnoscit, etiam ante sententiam judicis beneficium dimittere jubeatur; nam* SECUNDUM SACRORUM CANONUM INSTITUTA ETIAM PARVULI, QUI CUPIDITATE PARENTUM ECCLESIAS PER PECUNIAM SUNT ADEPTI, EAS DIMITTERE TENENTUR.

Et sane id expresse sancitum legitur *cap. Ex insinuatione* 26, *de Simonia*, ubi refertur, quod quidam pater, interveniente pecunia, proprio Filio adhuc infanti præbendæ beneficium acquisivit: cumque Filius ad annos discretionis perveniens Simoniam a patre commissam intellexisset, protinus præbendam ipsam in manu Præpositi, et Fratrum, idest aliorum Canonicorum, libere resignavit: at illi ei compatientes, ipsum de novo in suum Canonicum elegerunt, ita tamen quod per istam electionem sive in choro, sive in aliis postremum locum obtineret. Verum hanc adjectam conditionem ipse forsitan ægre ferens, summum Pontificem Clementem III, consuluit, utrum nempe primum locum, quem habuerat secundum primam electionem jure posset recuperare: cui Papa respondens inquit: *Indulgentia qua Fratres tui misericorditer tibi fecisse noscuntur, contentus existens ratione primæ receptionis nihil audeas in ipsa Ecclesia vindicare.*

Ex qua Pontificis responsione hoc ad rem nostram efformatur argumentum: ideo Summus Pontifex districte injunxit, ne auderet ille ratione primæ receptionis aliquid sibi in ipsa Ecclesia vindicare, quia juxta Sacrorum Canonum instituta pro certo supponebat, pri-

nam illius electionem, interveniente paterna cupiditate, ipso licet ignaro, non fuisse Canonicam ; ideoque quod ei nullum jus tribuebat, ut primum locum quem habuerat, jure posset recuperare. Ergo pariter in casu nostro collectio Beneficii facta Walafrido cum amicorum, et parentum opera, quamvis ipso penitus inscio, fuerit Simoniaca, nulla ratione censeri potest Canonica, ideoque eidem Walafrido nullum potest tribuere jus ad ejusmodi beneficium taliter adeptum sibi juste retinendum ; ac propterea statim ac id agnoscit, ita tenetur beneficium dimittere, ut nihil in ipso sibi amplius de jure valeat vindicare.

Accedit altera probatio ex *cap. Cum nobis* 27 *tit. eod.* Cum enim a quodam Capitulo *quatuor essent constituti, qui debebant quemdam eligere in plebanum, amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni, vel omnibus eligentium promiserant, se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui, hujusmodi promissione interveniente, postmodum est electus.* Super qua electione consultus summus Pontifex Cœlestinus II. respondit: *Quamvis ipse (electus) tempore promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tanquam simoniaca pravitate præsumpta est penitus reprobanda.* Ergo per Sacros Canones explorata res est, quamcumque provisionem beneficialem Simoniace factam penitus esse nullam; nullumque jus tribuere proviso, quocumque modo Simoniaca pravitas, etiam illo ignorante, fuerit ab alio perpetrata.

Neque silentio prætereundum est factum illud, quod de Malguino Niverniensi Episcopo relatum legitur *in actis diei tertiæ* Concil. Rhemensis anno 1049, præsente Leone IX, celebrati. «Niverniensis Episcopus (in« quiunt acta) surrexit, et pro Episcopio plurimum « pecuniæ confessus est a parentibus datum fuisse, « *se tamen ignorante* . . . ideoque si Domino Papæ, « et præsenti conventui dignum videretur, idem offi« cium velle dimittere potius, quam in ejus retentione « *animam suam pessundare.* Qui, ubi dixit, Pastorale « Pedum ante pedes ipsius Apostolici posuit; ille vero « tanti viri flexus devotione, favente Synodo, eumque ,

« quod *absque suo consensu* eadem pecunia data fuerit, « sacramento comprobare fecit; sicque illi per aliud « Pedum Ministerium Episcopale reddidit. » Ex qua narratione illud est adnotandum, Nerviensem Episcopum velle potius dimittere episcopatum, *se licet ignorante* taliter obtentum, quam illud cum animæ dispendio retinere : ergo periclitatur æterna salus retinendo beneficium, aliena cupiditate, etiam nobis ignorantibus, acquisitum.

Dictum est responsionis initio, teneri Walafridum beneficium dimittere, etiamsi elapsum esset triennium, ex quo illud bona fide pacifice possideret : ratio autem hæc est, quia in proposito Casu locum non habet *Cancellariæ Regula de Triennali*, quæ non defendit possessorem, esto Triennalem, et pacificum, quoties ille *Simoniaco ingressu* beneficium adeptus est; tunc enim, licet adsit pacifica beneficii triennalis possessio, deest possessori *Titulus coloratus*, qui, statim atque simonia intervenit, *discoloratus* evadit, quemadmodum satis innuimus in antecedenti solutione.

Verum non est dissimulandum, plerosque adesse inter Theologos, et Canonistas, quos recenset Rigantius *tom.* 3. *Comment. in Reg. Cancell. Reg.* 36, *num.* 132, qui ponunt discrimen inter ignorantem Simoniam, et alium, qui intra triennium sciens Simoniam a tertio commissam, beneficium nihilominus cum ejusmodi scientia prosequitur possidere. Scienti, inquiunt, proculdubio non prodest Regula *de Triennali*, eo quia antequam triennium compleatur, efficitur possessor malæ fidei ; ideoque tenetur statim, etc. Ab opposito favet ignoranti, quia si *per triennium* cum hujusmodi ignorantia possedit beneficium, ei non defuit bona fides una cum *Titulo colorato* ; ideoque juvari debet privilegio Regulæ de *Triennali possessore*. Rursus, inquiunt, non datur pœna sine culpa ; daretur autem, si quis ob simoniam, eo ignorante ab alio commissam, teneretur beneficium etiam post *triennium* resignare. Ergo, etc.

Hæc tamen objecta ejusmodi non sunt, ut nos a responsione nostra vel leviter valeant dimovere : Primo, quia oppositi Auctores in eorum sententiæ probationem

assumunt id tanquam certum quod est in quæstione; dicunt enim ignorantem simoniam juvari regula de *Triennali*, quia per integrum triennium possedit beneficium cum bona fide *una cum Titulo colorato*; hoc autem est id, de quo summopere quæritur, et quod a nobis ex supra relatis Sacrorum Canonum testimoniis apertissime denegatur. Ex illis enim manifeste edocemur, quod statim atque in beneficii collatione Simonia intervenit, non quidem ab ipso beneficiato, sed vel illo prorsus inscio, ab alio admissa, ita *Titulus discoloratur*, ut eadem collatio etiam post completum triennium intrinsece, et in se omni careat firmitate, quemadmodum absolute loquitur Benedictus XIV. *Tom.* I. *Notif.* 12. §. 12. *p.* 157. *Edit. Ital. Bononien.* hisce verbis: *Interdum accidit casus, in quo Simonia committitur a tertio, quinid beneficatus sciat. In his circumstantiis, ea ignorantia non obstante, collatio omni valore caret.* Secundo: quia adductum discrimen inter ignorantem, et scientem intra triennium Simoniam etc. est omnino arbitrarium; adeo ut ipsimet ejusdem Patroni nullum afferant juris textum ad illud astruendum. Neque sane eruitur ex verbis ipsius Regulæ, quæ generaliter improbat quemcumque ingressum Simoniacum; nec distinguit utrum ante, vel post triennium Simoniacus ingressus detegatur. Ergo juxta illud effatum Bartholi communiter firmatum, *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.* Tertio: quia ut docent Juristæ *ex L. Præcipimus* 32. §. 6. *Cod. de appellationibus: non est recedendum a jure antiquo, nisi quatenus per novum exprimitur.* Quis autem dicet, verba Regulæ *ingressu Simoniaco* talem sensum, et interpretationem præseferre, ut tot antiquis, et tam apertis Sacrorum Canonum textibus jure valeant derogare? Tandem enuntiatum discrimen directe repugnat Ecclesiæ menti, quæ Simoniæ scelus in collatione beneficiorum quocumque modo admissum, semper, et perpetuo detestata est; adeo ut Van Espenius vir cæteroquin in Re Canonica peritissimus *p.* 2. *juris Eccles. Univ. Tit.* 30. *de Simonia cap.* 2. *num.* 14. aperte testetur, se nescire: *An primis undecim sæculis exemplum dispensa-*

tionis reperiri possit, quo ostendatur, indultum fuisse, ut quis Simoniace Ecclesiam ingressus permitteretur in ea ulterius ministrare, sive in suo Ministerio, quod per Simoniam obtinuit, perseverare. Et si sæculo undecimo tum in Concilio Rhemensi superius relato, tum in Synodo Romano anno 1099, sub Urbano II, contra Simoniacos convocata, aliquod apparet dispensationis exemplum, præsertim circa illos, *qui cum adhuc essent parvuli* Ecclesiarum beneficio *cupiditate parentum* fuerant adepti, id tamen tanta moderatione, et adjectis conditionibus factum legitur, ut nemo non intelligat, id omnino nimiæ temporum necessitati, *pro magna misericordia*, tribuendum; quemadmodum sese exprimit id. Urbanus II, relatus *in man. Quicumq.* 1, *p.* 2. *caus.* 1, *quæst.* 5, hisce verbis: *Quicumque sane cupiditate parentum CUM ADHUC PARVULI ESSENT, Ecclesias, vel Ecclesiarum partes per pecuniam adepti sunt, postquam eas omnino dimiserint, si canonice in eis vivere voluerint, PRO MAGNA MISERICORDIA ibidemeos esse concedimus*: ex qua auctoritate *colligitur*, inquit Gratianus *eod. cit. loco, quod ignorantia tales excusat a reatu criminis, non a fructu emptionis, cum in Ecclesiis, quas parentum pecunia adepti sunt, non nisi postquam eas omnino dimiserint, et ex misericordia, ibidem eis esse conceditur: in quo patet, quod etsi, illis ignorantibus, Simoniæ peccatum esset admissum, fructum tamen paternæ emptionis reportare non possunt.* Quæ quidem privatio reportandi fructum paternæ emptionis non est pœna, sed est æquissimus Ecclesiæ rigor ad detestandam etiam in Filiis paternam Simoniacam pravitatem.

Teneamus itaque sententiam nostram, quæ in re tam gravi, et quæ respicit jus Divinum, probalilior semper et tutior est, et magis conformis Rom. Pontificum praxi, qui etiam in præsentiarum, dum super Simoniam, causa cognita, dispensant, etiam proviso ignorante commissam, non distinguunt, utrum ante vel post completum *triennium* ejusmodi Simonia fuerit detecta. sed absolute in litteris dispensationis adjungunt, *et committatur Ordinario, in cujus manib. antequam*

ad absolutionem, et NOVAM provisionem procedat, dictum beneficium dimittere teneatur.

CAS. III. — Parocho vita functo, cum nova electio ad Parochianos pertineat, fama est, Willelmum spectatæ vitæ Sacerdotem in novum Parochum fore eligendum. Sempronius autem cum æque sciat, electionem Ecclesiasticam simoniace factam esse nullam, in odium Willelmi plures Parochianos simoniace pertrahit ad illum eligendum, ut ita electus, re in posterum patefacta. a beneficio decedat. Qu. Utrum Willelmus, detecta Sempronii fraude qua fuit simoniace electus, beneficium Parochiale jam adeptum pacifice valeat retinere?

Resp. Willelmum in casu proposito beneficium Parochiale jam adeptum posse sibi pacifice retinere: Quamvis Ecclesia summopere abhorreat simoniæ scelus quocumque modo admissum in suorum ministrorum electione, ita ut electionem ipsam ita nullam declaret, ut electus, cum primum noverit simoniam in ejus electione, ipso licet penitus inscio, fuisse ab alio admissam, teneatur statim, et ante omnem sententiam judicis beneficium jam adeptum resignare; nihilominus expressam in jure Canonico hanc exceptionem habemus, nempe, nisi quis in odium illius, cui beneficium conferendum est, ipso prorsus ignorante, simoniam perpetraret. « *Electio tanquam simoniaca pravitate præsumpta est penitus reprobanda*, inquit Cœlestinus III. *cap. Nobis* 27, *de simoniaca . . . . Nisi constaret illos, qui promissum tale* (*simoniacum*) *fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse.*» Ubi Glossa ad verbum *Malitiose* hanc affert rationem, quia *malitiis hominum non est indulgendum, et alterius odio alius prægravari non debet;* et ut notat Innocentius III. *caput Sicut* 33, *de Simonia, Alioquin contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis ei damnosum existeret, cui penitus displiceret, et sic aliquis de fraude sua commodum reportaret.*

Aliam affert Van Espen, et quidem acutissimam rationem *p.* 2, *juris Eccles. Univ. tit.* 30, *de Simonia cap.* 6, *n.* 25, *eo quod hoc casu ipsa Simonia proprie*

ipsam electionem non infecerit, cum supponatur, quod, etiam ea non interveniente, electio facta fuisset. Cum igitur Simonia a Sempronio, prout in casu, commissa fuerit *malitiose, seu in fraudem, non ad promovendam electionem, sed potius ad eam corrumpendam, seu vitiandam, quæ futura prævidebatur*, hinc fit quod Willelmi electio vere et proprie Simoniaca dici nequit; ac consequenter, ut diximus, Beneficium Parochiale jam adeptum ipsum posse pacifice retinere.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Evaristus Confessarius in ea est opinione, in administratione quantumvis publica Sacramenti Pœnitentiæ, dummodo verba, quæ sunt forma absolutionis, attente, et distincte a Sacerdote Ministro proferantur, reliquas cæremonias et ritus ab ipsa Ecclesia in Rituali præscriptos esse quidem venerandos, sed, cum ad Sacramenti essentiam nulla ratione pertineant, posse *pro libito, et sine peccato* omitti. Qu. An hujusmodi opinio censuram aliquam theologicam mereatur?

Resp. Cæremoniæ et Ritus, qui juxta præsentem disciplinam in administratione saltem publica Sacramenti Pœnitentiæ ab Ecclesia Catholica in Rituali Romano præscribuntur, sunt sequentes. Primo: Quod *Sacerdos habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua* (utique sedens) *sacras confessiones excipiat.* Secundo: Quod *Superpelliceo, et Stola violacei coloris utatur, prout tempus, et locorum fert consuetudo.* Tertio: Quod certas preces, præsertim ante formam absolutionis, effundat, *dextra versus pœnitentem elevata.*

Jam vero: tametsi ejusmodi Cæremoniæ et ritus ad Sacramenti essentiam nulla ratione pertineant, ita ut si omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum sit; nihilominus vel negligi, vel *pro libito* omitti *sine peccato* non possunt. Hoc expresse edocemur ex Catechismo Romano 2, *part. de Sacramentis in genere num.* 18. ubi habetur: « *Cæremoniæ.... prætermitti SINE PECCATO*

non possunt, nisi aliunde facere ipsa necessitas cogat.» Vel, ut legitur in proœmio Ritualis Romani, de Superpelliceo, et Stola in Sacramento Pœnitentiæ ministrando adhibendis, »*nisi occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter* (utrique *non pro libito*, sed *rationabiliter*) *suadeat.* Confirmatur magis auctoritate Concilii Romani sub Benedicto XIII, anno universalis Jubilæi 1725, celebrati, in quo *Tit.* 15, *cap.* 1, hæc pariter habentur : «*In Sacramentorum videlicet administratione..... recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus IN MINIMIS ETIAM, SINE PECCATO negligi, omitti vel mutari haud possunt.*» Est itaque indubium, et plane certum, Cæremonias et Ritus in administratione Sacramenti Pœnitentiæ ab Ecclesia præscriptos, tametsi ad Sacramenti essentiam nulla ratione pertineant, non posse *pro libito, et sine peccato omitti.*

Sed si ita est, Evaristi opinio Censuram Theologicam promeretur; est enim *temeraria, scandalosa, quasi schismatica, et male sonans*: Est *temeraria*, quia absque ulla ratione sese retrahit a receptis et approbatis Ecclesiæ Ritibus. Est *scandalosa*, quia inducit ad malum, nempe ad peccatum inobedientiæ in re gravi, docendo omitti posse *pro libito*, quod ab Ecclesia, seclusa necessitate vel rationabili causa, faciendum esse præcipitur. Est *quasi schismatica*, quia perturbat ordinem ab Ecclesia Catholica in Sacramentorum administratione, divina propemodum, et Apostolica traditione institutum. Est denique *male sonans*, quia convenit ex parte cum hæreticis, præsertim Lutheranis, qui recedendo ab Ecclesia, a sacris etiam Ecclesiæ Ritibus per impudentiam recesserunt; contra quos propterea S. Trid. Synodus *sect.* 7, *Can.* 13, anathema dixit in hæc verba: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut SINE PECCATO a ministris PRO LIBITO omitti.... posse; anathema sit.*

CAS. II. — Quidam Parochus facili negotio, et quidem non raro permittit, ut Presbyteri Confessarii pu-

blice in Ecclesia, etiam diebus festis, Pœnitentiæ Sacramentum administrent in habitu communi breviori, et ut ita dicam, familiari, quin Superpelliceo, et Stola, aut saltem induti sint oblonga veste nigri coloris, quam *talarem* appellamus. Qu. An hujusmodi permissio animadversione sit digna?

Resp. ejusmodi permissionem esse merito reprehendendam necessario deducitur, et satis constat ex antecedenti data solutione. Unum quod Parocho superesse potest effugium, est sub introducta, si quæ forte est in hac Diœcesi, in oppositum consuetudo; quæ non consuetudo, sed potius corruptela dicenda est. Ut enim consuetudo legitime prævaleat contra legem, requiritur Superioris assensus, qui eam sciat, et uti rationabilem toleret, neque aliquid contrarie decernat. At res non est ita in casu nostro: tantum enim abest, ut Superiores consuetudinem excipiendi Confessiones sine Superpelliceo et Stola duxerint esse tolerandam, ut per annos plane ducentos, contra inclamaverint, et peculiaribus Edictis et Synodalibus Constitutionibus.

Card. Gab. Paleottus in sua prima Diœc. Synodo Bononiensi die 16 Oct. anu. 1566. celebrata *cap. ultimo de Sacrament. num.* 33. hæc habet: *Quando contrahitur matrimonium, semper assistat curatus cum Superpelliceo, et Stola, quibus ipsis utatur semper in administratione* omnium *Sacramentorum.* Item in Edicto inscripto: *Sommario d' alcuni ricordi per li Curati di Bologna alli* 8 *di Marzo* 1758, *n.* 1. sic loquitur: *Ut in audiendis confessionibus, et administratione Sacramentorum semper utuntur* Superpelliceo, et Stola.

Rursum; post monita Rev. Plebanis, et Visitatoribus data die 27 Febr. 1577, inter quæ *num.* 13. *Monebunt omnes, ut habitum Sacerdotum gestent... simulque, ut nullus ad celebrationem officiorum sine Superpelliceo, Stola, et Bireto compareat. Si aliter vestitus veniat, non admittatur ad Ecclesiam a Parocho, et Plebanus insuper illum reprehendat.* Subjungit aliud edictum: *summarium variorum monitorum pro reverendis Curatis Civitatis et Diœcesis Bononiensis.... in Synodo*

celebrata 30 *Maii* 1577, ubi sub *num.* 33, in memoriam revocatur: *Recordentur omnes Decreti jam alias publicati.... in administratione Sacramentorum utantur* semper Superpelliceo, et Stola, *uti et in audiendis confessionibus, etc.* Quæ omnia deprompta sunt ex Episcopali Ecclesiæ Bononiensis, et Diœcesis per Alexan. Benacci an. 1580. Bononiæ typis edito.

Tandem idem Emin. Paleotti in suo *Archiepiscopali Bononiensi* an 1594. Romæ excuso ad usum Cleri Bononien. *part.* 3, *de Sacram. Pœniten. pag.* 113. expresse injungit: *Quicumque Sacerdos ad confessiones Fidelium audiendas admissus.... Confessiones in Ecclesia non audiat, nisi sit SUPERPELLICEO, et STOLA indutus.*

Anno 1603. Alphonsus Paleottus vestigia sequens prælaudati Eminen. cui ipse erat immediatus Successor, in Opusculo: *Compendio delli ordini dati al Clero di Bologna*, dicto anno Bononiæ typis impresso, *pag.* 57, inter monita spectantia *ad Sacr. Pœnit.* inquit: *Sacerdotes Sæculares in tali administratione debent gestare* Superpelliceum, Stolam, et Biretum.

Anno 1634. Prima Synodus Diœcesana Bononiæ habita ab Emin. Archiepiscopo Hieronymo Cardinali Columna *par. pr. de Sacr. Pœnit. cap.* 11, ita decernit: *Nullibi extra Ecclesiam* (*præcipue mulieribus*) *Pœnitentiæ Sacramentum impertiatur, nisi.... Sæculares quidem diebus festis, aut in majori populi frequentia cum SUPERPELLICEO, et STOLA; Regulares vero cum habitu Chorali.*

Anno 1654. Prima Synodus Diœcesana ab Hieronymo Boncompagno Archiep. Bononiæ celebrata *tit.* 2, § *de modo administrandi Sacramenta*, sic generatim præscribit: *Sacramenta administrari sive Parochi, sive quicumque alii Sacerdotes, COTTA, Bireto et STOLA supra vestem decentem, hoc est saltem infra genua, præsertim publice omnino utantur.*

Anno denique 1698. Emin. Jacobus Card. Boncompagni in sua Bononiensi Diœcesana Synodo *lib.* 2, *cap.* 5, *de Sacram. Pœnit.* expresse decrevit, quod Presbyteri Sæculares *audituri confessiones, cum SUPERPELLI-*

CEO, et STOLA sedeant; Religiosi vero, prout fert habitus Choralis cujuscumque Religionis; et lib. 3. *cap, de Parochis* iterum instat: *Pœnitentiæ Sacramentum aliaque Sacramenta cum SUPERPELLICEO, et STOLA ministrent in Ecclesia.* Quæ Synodales Constitutiones etiam nunc plenam habent obligandi vim, cum peculiari Edicto *sub die* 10 *Julii an.* 1755, ab hodierno nostro Eminent. Archiepiscopo fuerint confirmatæ; cujus pariter certissima mens est, ut Sacramentum Pœnitentiæ *cum Superpelliceo, et Stola* per totam etiam Diœcesim administretur.

Quæ cum ita sint, apte concluditur, prætensam consuetudinem non consuetudinem dicendam fore, sed abusum, sed corruptelam, sed erroris vetustatem, quæ penitus e medio tollenda est; quemadmodum expresse mandat, et præcipit Concilium Romanum sub Bened. XIII. an. 1725 celebratum, Decreto *Cum invisibilia de celebr. Missar. tit.* 15, *cap.* 1, ubi hæc habentur: «Mandamus ut in Sacra« mentorum videlicet administratione... recepti, et ap« probati Ecclesiæ Catholicæ Ritus, *qui in minimis « etiam sine peccato negligi, omitti, vel mutari haud « possunt*, peculiari studio, ac diligentia serventur. « Quamobrem Episcopis districte præcipimus, ut con« traria omnia, quæ in Ecclesiis, seu sæcularibus.... « contra præscriptum... Ritualis irrepsisse compererint, « *detestabiles tanquam abusus, et corruptelas* prohi« beant, et omnino studeant removere; quavis non ob« stante interposita appellatione, vel *immemorabili alle« gata consuetudine*; cum non quod fit, sed quod fieri « debet, sit attendendum.

Accedunt Decreta S. C. ad rem præsentem pertinentia, quæ videri possunt apud Nicol. V. *Confessarius, sub n.* 24, apud Gavantum V. *cod. n.* 34. apud Monacel. *tit.* 1, *p.* 188 et *t.* 4, *pag.* 20, *n.* 209.

Verumtamen tanta est quandoque quarumdam Ecclesiarum, præsertim in montanis, egestas, tantaque sacrorum Supellectilium inopia, ut spectatis vel pœnitentium frequentia, vel quibusdam particularibus circumstantiis, tot Superpellicea, et Stolæ in promptu non sint; ita quod administratio Sacramenti Pœnitentiæ possit,

sine ipsis adhibitis, ratione aliqua tolerari ; at vero nemo est usque eo desipiens, quin certe hoc unum concedat, Pœnitentiæ Sacramentum debere a Presbytero administrari publice *in habitu saltem Clerici.* Hoc profecto exigit et sanctitas Sacramenti, et dignitas Sacerdotalis, et populorum denique, præsertim rudium, ædificatio; nam, ut inquit Trid. Concilium *sess.* 14, *de Reform. cap.* 6, « *Et si habitus non facit Monachum*, « *oportet tamen, Clericos vestes proprio congruentes* « *ordini semper deferre ; ut per decentiam habitus* « *extrinseci, morum honestatem intrinsecam osten-* « *dant.* »

Porro nomine *habitus clericalis* nihil aliud in hac nostra Diœcesi intelligi potest, aut debet, quam vestis oblonga nigri coloris, quam *Talarem* appellamus. Hoc siquidem supremo jure, atque ut aiunt, potestate Legislativa determinatum est a Benedicto XIV, ut Civitatis et Diœcesis Bononien. Archiepiscopo, qui *Tom.* 4. *Notific. edit. Ital. Bononien. Notif.* 4. prope medium, ita præfinit : *Nobis, et non aliis convenit definire, qualis debeat esse habitus clericalis in nostra Diœcesi = juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum, verba sunt sacri Concilii Tridentini sess.* 14, *cap.* 6. *de reform. quando loquitur de habitu clericali... et propterea determinamus... ut forma hujus habitus sit vestis talaris, atque hæc sit propria clericorum.* Quibus firmatis usque adeo clarum est ex præmissis, Pœnitentiæ Sacramentum debere a Confessario administrari publice in habitu saltem *talari*, ut id a nemine, quam ab homine penitus irreligioso, jure valeat denegari.

Neque tandem extra propositum erit sub oculos ponere professionem fidei a Paulo IV editam et quam Parochi omnes, interposito juramento, tenentur emittere, antequam in proprias Parochiales Ecclesias immittantur. Itaque inter cætera hæc ibi habentur : *Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum administratione recipio, et admitto.*

Jam vero Parochi illi, qui facili negotio, prout habetur in casu, et quidem non raro permittunt, ut Presby-

teri Confessarii publice in eorum Ecclesiis, etiam diebus festis, Pœnitentiæ Sacramentum administrent in habitu communi breviori, familiari, et forte etiam *Viatorio*, quanam religione in praxi prædictum juramentum servent, ipsi viderint.

CAS. III. — Capellanus Subsidiarius, aut Ecclesiæ Parochiali pro Sacramentorum ministerio habitualiter inserviens, quamvis nullam habeat occasionem proximam, neque dici possit consuetudinarius, nihilominus, ex quo, vicibus licet interruptis, cum variis distinctis fœminis Parochianis in eadem Parochia etiamnum commorantibus occulte quidem, sed turpiter egerit, Confessarius ei denegat absolutionem sacramentalem, nisi serio promittat, dimittere munus Capellaniæ. Qu. An Confessarius recte se gerat?

Resp. Quod Confessarius recte se gerit; agit enim juxta mentem, et intentionem Ecclesiæ, quæ vult, ut Sacerdotes incontinentes, etiam occulti, a quocumque animarum regimine depellantur.

Ab ipsis Apostolorum temporibus usque ad undecimum Ecclesiæ sæculum ea semper viguit Canonica lex, quod Clerici etiam *occulte* in crimen carnis prolapsi, et etiam in sola auriculari Confessione detecti, nunquam redderentur honori pristino, sed per Presbyterum Confessarium, nomine Ecclesiæ, a quocumque sui ordinis gradu, tamquam ex delicto irregulares, semper, et in perpetuum deponerentur. Id egregie demonstrat præstantissimus Morinus *lib. 4, de adminis. Sacram. Pœnit. cap. 14 et 15, et lib. 5, cap. 9, et 17.*

Atque hujusmodi lex usque eo inviolabiliter servabatur, ut quemadmodum, si quis ex Clero occultum homicidium commisisset, se ab Altaris officio propria sponte subtrahebat; ita, qui in carnis peccatum *licet occulte* prolapsus erat, statim se a Divinis Ministeriis, atque ab omni animarum regimine, tanquam judicio Sacrorum Canonum suo loco dejectus, propria sponte suspendebat.

Illustria habemus quorumdam Episcoporum exempla. Potamius Braccharensis Archiepiscopus fornicationis

crimen *occultissime* perpetraverat ; perspectam habens Ecclesiæ disciplinam, et quid decernerent Patrum Regulæ, *SPONTE deseruit regimen Ecclesiæ suæ, et ergastulo quodam, pro admisso flagitio acturus pœnitentiam, se conclusit. Ex Act. Concil. X. Toletani.*

Idipsum narrat Hincmarus Rhemensis in Vita S. Remigii de Genebaldo Laudunensi Episcopo, qui ob peccatum incontinentiæ cum uxore jam relicta, licet *secreto* commissum, *Stolam voluit deponere*, et approbatore D. Remigio, cui in Confessione patefecerat crimen, *Episcopatum dimisit* ; quod a Gregorio Turonensi refertur etiam de quodam Avernensi Episcopo, qui pro eodem patrato carnali scelere, licet *occultissimo*, acturus pœnitentiam, *relicto Episcopio, Monasterium Diœcesis suæ expetiit*. Hæc deprompta sunt ex Morino *lib.* 5, *de Administ. Sacram. Pœnitentiæ cap.* 11. Ex Natal. Alex. *in Histor. Eccles. Sæcul.* 3, *disp.* 6, *q.* 2, *a.* 1. et ex Thomassino *de Veter. et Nov. Eccl. Discipl. p.* 2, *lib.* 1, *cap.* 56, usque *ad* 62, *et p.* 1, *lib.* 2, *cap.* 62, *n.* 5.

Ex quibus exemplis adeo insignibus, apte ostenditur, quænam fuerit in puniendis criminibus plane *occultissimis* Ecclesiastica consuetudo, et quod vel ipsi Episcopi ob peccatum carnis, licet *secretissime* perpetratum, ab omni pastorali munere, et animarum regimine in æternum depellerentur.

Erant quidem etiam tunc temporis Clerici, qui, licet in crimen lapsi, neque se ab officio abdicabant, neque flagitium in confessione prodebant, ne scilicet ipsis cessationis pœna *ab officio* per pœnitentiam imponeretur ; at audiendus est in hac re D. Prosper Aquitanicus, qui *lib.* 2, *de Vita contemplativa cap.* 7, illos ita revincit : « Hi, qui aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod « occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione « decipiunt, si eis videtur propterea communicare, et « officium suum implere debere, quod homines occul- « tatione sui criminis fallunt . . . Qui autem ea com- « mittunt, et ideo *propriis confessionibus* prodere me- « tuunt, ne sententiam justæ excommunicationis acci- « piant, sine causa communicant ; imo vero duplici-

» ter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, » quod et hominibus innocentiam fingant, et contempto » Dei judicio, abstinere se ab Altari propter homines » erubescunt. »

Et quamvis successu temporis, et præsertim vertente sæculo undecimo, partim ob universalem illam, et pene incredibilem, quæ tunc grassabatur, Clericorum incontinentiam, partim etiam ex quibusdam suppositititis Calixti I. Gregorii Magni ad *Secundinum*, et Isidori Hispalensis ad *Massanum* Epistolis, fidenter postmodum a Gratiano in suo Decreto relatis, non amplius ubique rejicerentur Clerici *occulte* lapsi ab Altaris ministerio, de qua re ad Leonem IX. in suo *Gomorrhiano* summopere conqueritur D. Petrus Damiani, tanquam de collapsa in imponendis pœnitentiis Ecclesiæ disciplina; nihilominus semper firma remansit Sacrorum Canonum avita dispositio, quod Sacerdotes carnali crimine inquinati, et etiam *occulte* incontinentes, si non a Divinis ministeriis, et animarum regimine perpetuo pellerentur, saltem per longum tempus suspenderentur, vel ad illud sponte dimittendum, ob majorem conscientiæ securitatem, incitarentur. Nam, ut in propositum aiebat D. Anselmus Cantuarien. Archiepiscopus *lib.* 1. *Epist.* 56: *Sed quoniam ferme semper occultum est, quorum remissæ sint iniquitates .... quorum vero minime, TUTIUS semper est, conscium sibi crimine ab his, quæ placitam Deo personam exposcunt, per laudabilem humilitatem abstinere, quam per culpabilem securitatem præsumere.*

Quæ adhortatio post peractam Tridentinam Synodum, quasi pristinis receptis viribus, fere in præceptum revixit; dum Concilii Patres *sess.* 14, *cap.* 1, *de reform.* sanxerunt, posse Episcopos *quacumque ex causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter*, non solum Clericis prohibere ascensum ad Sacros Ordines, sed etiam posse illos suspendere a quocumque ministerio, et a quacumque suscepti jam ordinis dignitate.

Hinc certum est, Episcopos posse ob crimen e. g. fornicationis mere *occultum, et ex sola ipsorum infor-*

mata conscientia, non solum *suspendere confessarios* ab excipiendis Confessionibus, sed etiam posse suspendere Parochos ipsos *ab exercitio Curæ, non obstante quacumque ab ejusmodi suspensionis pœna, interposita* ab iisdem Parochis *appellatione*. Quemadmodum definivit Sacra Congregatio Concilii *die* 16 *Decembris* 1730. uti videre est in Thesaur. Resolut. *tom.* 5, *pag.* 81, *et in Sagonensi* 21 Junii 1625, *lib.* 24, *positionum pag.* 1, ubi hæc adnotantur : *Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa Decreto Concilii cap.* 1, *sess.* 14, *ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio Curæ : sed ille appellarit, et præcepto Episcopi contempto celebravit, et curam exercuit. Quæritur : an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut Parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium Curæ effectus fuerit irregularis. Sac. Cong. Concilii censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et Parochum, qui Sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse;* uti legitur apud Benedictum XIV. de Syn. Diœc. *Tom.* 2, *lib.* 12, *cap.* 8, *n.* 5.

Hisce igitur in suo lumine collocatis, nemo non videt, Confessarium in casu nostro recte se gerere; agit enim juxta mentem, et potestatem Ecclesiastici Superioris, qui ad cohibendam Capellanorum licentiam, peccatum cum Parochiana etiam *occultum*, etiam *semel* admissum, sibi propterea reservavit; agit insuper, ut supra diximus, juxta mentem, et intentionem Ecclesiæ, quæ optat, ut Sacerdotes incontinentes etiam *occulte* a quocumque animarum regimine depellantur.

Accedit aliud argumentum deductum ex eadem Tridentina Synodo *sess.* 25, *cap.* 15, *de Reform.* ubi hæc habentur : *Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur; non liceat Filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis QUOQUO MODO MINISTRARE.* Cui conciliari De-

creto inhærens Sacra Congregatio, inspectisque verbis illis *quoquo modo ministrare*, ita ab Episcopo Oritano interrogata, respondit die 4 Julii 1648, *lib.* 18, *Decret. pag.* 492, *a tergo: Quæritur an Filius illegitimus Parochi jam defuncti possit audire Confessiones in Ecclesia, in qua Pater fuit Parochus, Sacra, etc. Respondit non posse.*

Quibus positis, hoc efficitur argumentum. Si per Concilium Trid. ne in locis summo Deo sacratis in memoriam redeat incontinentia parentum, non possunt filii Clericorum illegitimi, qui tamen sunt innocentes, non modo ullum in illis Ecclesiis obtinere etiam dissimile beneficium, in quibus eorum Patres sunt, vel fuerunt beneficiati, sed neque possunt aut *quoquo modo ministrare*, aut *Sacras Confessiones excipere*: quomodo *ob identitatem rationis* a Tridentino assignatæ id licebit Capellano incontinenti, dum ab ipso, in obeundis Ecclesiæ functionibus, non paternæ, aut alienæ, sed propriæ, et personalis incontinentiæ infamis memoria excitatur? Quid turpius, quid fœdius, quid iniquius contra puritatem, et sanctitatem Ecclesiæ possunt mente revolvere illæ fœminæ, cum quibus ipse carnaliter egit, dum diebus festis ad Parochialem accedunt, illum vident sacras aras ascendere, divina attrectare Mysteria, fidelium confessiones excipere, uno verbo, Sacramenta administrare? Quid scandali plenius potest animo cogitare illa mulier, quæ illum videt hodie sacrificantem, quem nudius tertius, si forte non pridie, cognovit secum fornicantem? Horret profecto animus in tam indigno Sacerdote plura perpendere.

Quare addendum breviter, Capellanum, in casu, retinendo Capellaniam multipliciter peccare. Primo: contra Parochum interpretative rationabiliter invitum, qui putat habere fidelem comministrum, et habet præclarum custodem ovium lupum. Secundo: peccare contra ipsas fœminas complices, quæ ex una parte pro similibus aperiendis excessibus non audent ad Parochum accedere; ex alia parte ad Capellanum ipsum non possunt; ideoque deficiente copia alterius Confessarii, per longum tempus lethalis peccati vinculis infelicem animam

retinent alligatam. Tertio : peccare contra se ipsum, quandoquidem contingere potest, ut quædam fœmina complex graviter infirmetur ; atque in tali casu in probabili periculo seipsum implicet, ut extra Casum *in Bulla* exceptum absolvat personam complicem ; sicque ultimo in excommunicationem incurrat, juxta declarationem, quæ incipit *Apostolici muneris* Benedicti XIV. ad alteram ejus Constitutionem *Sacramentum Pœnit. etc.* Quarto : denique peccare peccato scandali contra non paucos ejusdem curæ fideles. Quamvis enim Capellani incontinentia dicatur occulta, peccando tamen modo cum hac, modo cum illa ex ejusdem Parochiæ fœminis, nequeunt usque adeo ejusmodi flagitia remanere occulta, ut a plerisque non sciantur ; et si occulta dicuntur, ideo est, quia, ut inquit D. Augustinus *homilia postrema lib.* 50. *homiliar, plerique boni Christiani propterea tacent, et sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, et ea, quæ ipsi sciunt, judicibus Ecclesiasticis probare non possunt.*

Consulte igitur Confessarius Capellano denegat Sacramentalem absolutionem, nisi serio promittat, si non statim, saltem cum primum poterit, juxta prudentiæ leges, dimittere munus Capellaniæ.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Titius et Mœvia, inductis consentientibus duobus Testibus, Matrimonium *de jure* clandestinum coram proprio Parocho dolose circumvento contraxerunt, ita tamen invito, et ita aversa facie inclamante, ut quamvis viderit Titium, ejusque verba perceperit, Mœviam tamen neque audivit, neque vidit, licet ipsam et præsentem et loquentem naturaliter videre et percipere potuisset. Qu. 1. An hujusmodi Matrimonium dici possit validum ?

CAS. II. — Qu. II. An Titius, et Mœvia, necnon consentientes inducti testes in aliquam censuram *ipso facto* incurrerint ?

CAS. III. — Qu. III. Quid pro suo pastorali munere incumbat Parocho, postquam coram ipso Matrimonium, ut diximus, clandestinum initum est ?

Resp. ad primum nullum esse ambigendi locum, hujusmodi matrimonium esse validum. Causa finita est coram Summo Pontifice Benedicto XIV, qui *lib.* 13, de Synod. Diœc. *cap.* 23, *n.* 11, rem totam exponit. « Celebris, inquit, fuit anno præterito 1753, Causa » *Carthaginens. Matrimonii* in Concilii Congregatione » agitata, et judicata, in qua agebatur de quodam Ma- » trimonio contracto coram Parocho domi suæ inopinate » deprehenso, qui virum quidem aspexerat, ejusque » verba perceperat, fœminam vero nec viderat, nec » audierat. Porro cum ex iis, qui controversiæ judices » sedebant, totidem ex una parte pro Matrimonii vali- » ditate, totidem vero ex alia pro illius nullitate opinati » fuerint, opportunum nobis visum est, Congregationem » ipsam coram Nobis indicere ; jussis prius Theologis » aliquot, aliisque juris Canonici Professoribus senten- » tias suas hac de re scriptis exponere : qui sane, ma- » xima diligentia, ac labore collatis inter se tum Theo- » logorum, et Canonistarum placitis, tum Decretis » ejusdem Congregationis, et actis similium causarum, » quæ alias coram ipsa agitatæ fuerunt, et ab ea defi- » nitæ, in hoc facile convenerunt, ut ad Matrimonii va- » liditatem necessarium omnino esset, contrahentes a » Parocho videri, eorumque verba mutuum consensum » exprimentia ab eodem audiri : eo scilicet principio » præ oculis habito, quod, si Parochus Matrimonio inter- » est tanquam testis Ecclesiæ authorizabilis, nullo » modo poterit de Matrimonio contracto fidem facere, » ubi nec utrumque viderit conjugem, nec utriusque » consensum audierit. Sed cum factum ipsum, de quo » agebatur, accurate perpensum fuerit, ejusque cir- » cumstantiæ omnes diligenter excussæ, manifesto com- » pertum est, quod, si Parochus mulierem non vidit, » ejusque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia » ipse obfirmato animo eamdem videre, et audire no- » luit, cum eam facile videre, et audire potuisset,

« quemadmodum bene viderant, recteque audierant « testes ad eum actum adhibiti. Itaque pronunciatum « fuit, Nobisque annuentibus sententia prodiit pro « Matrimonii validitate.» Cujus quidem sententiæ fundamenta, et rationes apud eumdem Pontificem facile videri possunt *n.* 9, *et* 10, cit. loco.

Resp. ad secundum, in hac Bononiens. Diœces. Titium, et Mœviam incurrisse *ipso facto* in excommunicationem Eminentissimo Archiepiscopo *privative* reservatam; Testes vero tanti criminis patrati conscios nullam quidem incurrisse censuram, sed posse ad *arbitrium* puniri carcere, aliisque pœnis, ut habetur ex verbis Edicti super *celebratione* Matrimonii ab hodierno nostro Eminentissimo editi die 8 Julii 1761.

Resp. ad tertium. Pro suo Pastorali munere debet Parochus in tali casu : Primo : monere sic contrahentes peccasse graviter; et in hac Diœcesi in Excommunicationem Ordinario reservatam *ipso facto* incurrisse. Secundo. Ipsos non posse simul manere, nec Matrimonium consummare, quia contra Ecclesiæ vetitum, nimirum, non præmissis eorum *status liberi* probationibus, Matrimonium *de præsenti* contraxerunt; juxta instructionem epistolarem supremæ Inquisitionis apud Benedictum XIV. indicatam *Tom* 2, *Notif. Edit. Ital. Bononien.*, *Notif.* 13. *num.* 13. Tertio : debet omnia ad Superiorem deferre, juxta præscriptum fere omnium cujuscumque Diœcesis Synodalium Constitutionum.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Parochus omni conatu non prohibuit Matrimonium clandestinum coram ipso inopinante celebratum : etenim si aures sibi obstruxisset, si faciem velasset, vel tandem, facto impetu, ut poterat, aufugisset; aut Matrimonium non fuisset contractum, aut res ita forent implexæ, ut saltem de illius valore gravissime dubitaretur. Qu. An propterea deliquerit Parochus in officio?

Resp. negative. Nemo est, qui nesciat, quot strepi-

tus, quot clamores, quot etiam ululatus quandoque ediderint nonnulli Parochi, ne scilicet dolose, et coram ipsis invitis Matrimonia *de jure* clandestina contraherentur. At non secundum prudentiæ leges. Pœna enim suspensionis ab officio, quam forte pertimescebant, per integrum triennium duratura, uti statuit Lateranen. Concilium relatum *in cap. Cum inhibitio* §. *final. de Clandest. desponsat.* et in hac Diœcesi *a Divinis ipso facto* incurrenda, ut ex edicto Emin. nostri Archiepiscopi super *celebratione Matrimonii* sub die 8 Julii 1761. est contra Parochos ejusmodi clandestinis desponsationibus interesse præsumentes, non vero contra Parochos dolose, et inopinate circumventos. Hinc, ut sapientissime monet Benedictus XIV. *lib.* 13, de Syn. Diœc. *cap.* 25, §. 10. « Quamvis enim verum sit, adnitendum esse Parocho pro viribus, ut hujusmodi Matrimonia fieri prohibeat: multoque magis eidem cavendum esse, ne eorum celebrationi voluntariam præsentiam exhibeat: ex his tamen hoc tantummodo sequitur, ut ipse data opera non debeat iis interesse: ut occasionem præstandæ iisdem assistentiæ, quantum fas est evitare teneatur; ut etiamsi forte circumventus, aliove obtentu accersitus fuerit, contrahentes serio monere debeat, Matrimonia hujusmodi sine gravi culpa celebrari non posse; . . . at nihil necesse est aures obturare, velare faciem, aliaque hujus generis facere, quæ ad id solum valent, ut animos contrahentium aliquando scrupulis torqueant: qui scilicet, quamvis ut plurimum nesciant illicita ab invalidis distinguere, adhuc tamen non solum Matrimonium, uti destinaverant, contrahere, sed etiam consummare non prætermittunt.» Ex quibus satis colligitur, quod, ut Parochus in ejus officio non delinquat, sufficit, ut pro viribus adnitatur, ne hujusmodi Matrimonia, quasi ipso connivente, celebrentur; contrahentibus vero, cæterisque adstantibus contestetur, se adesse quia circumventum, sed a præstanda ejusmodi nuptiis præsentia et voluntate, et animo longe abhorrere, neque inde necesse est, ut aures sibi obturet, aut faciem velet, aut denique facto impetu aufugiat contra gravitatem Sacerdotalem.

CAS. II. — Parochus pro commisso sibi grege Vir studiosissimus, quotiescumque sermonem habet ad populum, sæpius et iterum Parochianos suos hortatur, ne diebus festis ad alias Ecclesias, quæ sunt in viciniis, divertant; sed omnes, et singuli ad propriam Parochialem indesinenter accedant: atque id omni zelo, omnique contentione semper et perpetuo repetit, prædicat, et inculcat. Qu. An hujusmodi zelus quasi intemperans notari possit?

Resp. Tantum abest, ut ejusmodi zelus quasi intemperans notari possit, quin potius Parochus noster assertæ Canonicæ, et Ecclesiasticæ disciplinæ supremam laudem promereatur; habet enim ante oculos positum id quod habetur in Trid. Concilio *sess.* 22. *Decret. de Observan. et evitan. in celeb. Miss.* ubi sedulo excitantur Episcopi, quod «Moneant eumdem populum, ut fre» quenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, » et Majorib. festis accedant» *et sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.* «Moneatque Episcopus populum diligenter, *tene*» *ri* unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi com» mode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.» Quibus Tridentini commonitionibus solicite intendens D. Carolus Borromæus hanc vehementem in sua VI. Mediolanen. Provinciali Synodo ad Plebem habuit exhortationem. «Universos, et singulos cohortamur, ac per vi« scera misericordiæ Jesu Christi obsecramus, atque « obtestemur, ut quamvis in suis vicinii oppidis, et « suburbiis, Oratoria, Capellas, aliasque Ecclesias ha« beant, ubi Sanctissimo Missæ Sacrificio interesse pos« sint, frequenter tamen Dominicis saltem, aliisque « solemnibus festis diebus, ad suam quique Parochia« lem Ecclesiam conveniant, ubi a Parocho, cui eorum » cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei Chri« stianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessa« riis præceptis erudiantur.

Consimilibus exhortationibus immediate post Trid. Concilium excitarunt Plebem ad propriam frequentandam Parochialem nonnulli alii Episcopi, doctrina, prudentia, ac pietate eximii, inter quos Ven. Dei Servus Joannes Ribera Archiepiscopus Valentinus in sua pri-

ma Diœcesana Synodo habita anno 1584. *tom. 4, concil. Hispan. pag.* 285. Similiter S. Torribius Archiepiscopus Limanus in sua Synodo septima Diœcesana *pag. ibid.* 689, anno 1592. Limæ in America celebrata. Et tandem Eminent. Card. Gabriel Palæotus D. Carolo Borromæo amicitiæ fœdere conjunctissimus, qui pariter in sua Bononiensi Diœcesana Synodo coacta die 16 Octobris anno 1566, *cap.* 1, *n.* 18, hæc habet: *Quilibet sciat suum officium esse, ut sæpius compareat in sua Parochia, et ad minimum saltem diebus Festis ibi Sacrum audiat, sicut sæpius monent Patres antiqui, et Concilium Tridentinum.* Et sic plures alii Episcopi ad hæc usque tempora idipsum populis opportuna suadent, ut videre est in eorum Synodalibus Constitutionibus apud Episcopum Vassionensem Franciscum Genettum *tom.* 6, *tract.* 4, *cap.* 2, *quæst.* 5. Quorum vestigiis inhærens Parochus noster, nullo penitus modo ejus zelus quasi intemperans notari potest, imo summis laudibus efferendus.

CAS. III. — Quidam Parochianus cum a proprio Parocho, ut omnes norunt, sit aversus, idcirco in ejusdem Parochi contemptum nunquam accedit ad Parochialem Ecclesiam, ne Dominicis quidem diebus, aliisque Festis solemnioribus. Qu. Utrum in tali casu audiendo Sacrum in alia Ecclesia, Ecclesiæ præcepto audiendi Missam diebus festis satisfaciat?

Resp. negative. Antiquæ consuetudini, qua olim fideles tenebantur sub gravi audire Missam diebus festis in propria Parochiali Ecclesia, derogatum nunc est contraria consuetudine pluribus summorum Pontificum Constitutionibus comprobata. Ita vero Romani Pontifices consuetudinem hanc uti legitimam approbarunt, dummodo tamen Parochiani *in contemptum proprii Parochi* ea minime abuterentur; secus enim in præcitatis eorum Constitutionibus *expresse* intendunt, quod si quis audiret Missam extra propriam Parochialem, et hoc faceret *in contemptum proprii Sacerdotis*, illum præcepto Ecclesiæ de audienda Missa diebus festis satisfecisse minime censeatur.

Gregorius IX. *cap. ut Dominicis* 2. *de Parœciis et alienis Parœcianis* ex Concilio Nannetensi expresse decernit: « Ut Dominicis, vel festivis diebus presbyteri « antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si « alterius Parœcianus in Ecclesia sit, qui *proprio con-* « *tempto presbytero* ibi velit Missam audire; quem si « invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant, et ad suam « Parœciam redire compellant.»

Leo X. Constitutione edita die 13 Novembris an. 1517. diserte ait: « Auctoritate Apostolica tenore præ- » sentium notum facimus, omnes christifideles, qui » *non contempto proprio Sacerdote parochiali* in Ec- » clesiis Fratrum ordinum Mendicantium Dominicis, et « festis diebus Missam audiunt, satisfacere præcepto « Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem « mortalis peccati, pœnamve incurrere.»

Clemens VIII. in Brevi, quod incipit *Significatum* dato anno 1592. sic statuit: «Præsenti nostro decreto « sancimus, sæcularibus universis libere Missas diebus « Dominicis, et aliis majoribus Festis audire in Ecclesia « tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendi- « cantium, nec non etiam Societatis Jesu licite posse, « *DUMMODO in contemptum Parochialium Ecclesia-* « *rum non faciant.*

Quæ summorum Pontificum Constitutiones cum sint conditionales, et hypotheticæ plane evincunt, ipsos Pontifices approbare jam inductam consuetudinem audiendi Missam diebus Festis extra propriam Parochialem, sed cum adjecta limitatione: « *DUMMODO*, nem- « pe, *id non faciant fideles IN CONTEMPTUM pro-* « *prii Sacerdotis, seu parochialium Ecclesiarum.*» Quæ limitatio æquo jure a supremis Ecclesiæ Judicibus apposita est, nimirum ad compensandam modo aliquo læsionem jurium Parochorum, qui quasi Apostolico jure per quatuordecim fere sæcula fuerant in pacifica possessione, ut nempe eorum curæ fideles Dominicis saltem diebus, aliisque Festis solemnioribus propriam Parochialem adirent, ibique Sacro, ac verbi Dei prædicationi interessent. Durum siquidem plane foret, ut etiamnum tenerentur Pastores apud proprias oves residere,

illas agnoscere, verbo, et exemplo pascere, pro ipsis Sacrificium offerre, Sacramenta denique administrare; oves vero pastorem proprium, *etiam per contemptum*, nec audire, nec agnoscere tenerentur.

Quæ cum ita sint, concludendum, Parochianum in proposito casu audiendo Missam extra propriam Parochialem, et hoc in contemptum proprii Parochi, præcepto Ecclesiæ audiendi Missam diebus Festis nulla ratione satisfacere. Nova non est hæc sententia, cum sit plurium Theologorum, et Canonistarum, quibus partim adhæret Benedictus XIV. *lib.* II, *de Syn. Diœc. cap.* 14. §. 9.

MENSE MAII.

CAS. I. — Childeberta filiafamilias, insciis parentibus, occulte contrahit, et juramento confirmat sponsalia de futuro cum quodam Juvene honestæ vitæ, et paris conditionis. Qu. I. Utrum licite?

CAS. II. — Qu. II. An ejusmodi sponsalia, quamvis juramento firmata, detecto parentum dissensu, licite, et libere rescindi possint?

Resp. ad primum Illicite.

Resp. ad secundum, hujusmodi Sponsalia licite et libere rescindi posse.

Filii Filiæque familias graviter peccant dum sine ulla urgenti et rationabili causa contrahunt Sponsalia etiam de futuro, insciis vel invitis Parentibus. Quamvis enim non possit Pater compellere filium ad contrahendum, vel non contrahendum Matrimonium, neque possit illum cogere ad hanc potius, quam ad illam in uxorem ducendam; nihilominus Filiusfamilias circa modum contrahendi Sponsalia, sive de præsenti, sive de futuro, subest patriæ potestati, ideoque in re gravi lædit honorem parentibus debitum, dum ipsis inconsultis, et nulla urgente rationabili causa, contrahit Sponsalia etiam per verba de futuro.

Hæc responsio comprobatur ex Sacris Litteris, ex auctoritate SS. Patrum, et ex jure tum Canonico, tum Civili, ex communi Theologorum consensu, et ex ipsa naturali

ratione, ut videre est apud Van Espen, apud Natalem Alexandrum, apud Pontassium, apud Genetium *respect. locis;* præsertim vero apud Franciscum Mariam Muscettulam Archiepiscopum Rossanensem. *Dissert. Theol. Leg. de sponsal. et Matrim. cum adnot. addit. et append. Editio prima Romana* anno 1766.

Hic nobis præ omnibus sufficiat in medium afferre testimonium Benedicti XIV. qui *tom.* 3. *Notif. Edit. Italicæ Bononien. Notif.* 5. hæc habet: « Directores « animarum, et Parochi curati, qui specialiter in Diœ- « cesi sunt illi soli qui dirigunt animas Parochiano- « rum . . . . debent curare, ut bene cognoscant regu- « lam nubendi non debere esse illorum pruritum, sed « opus esse reflectione ad varias circumstantias, et præci- « pue, quando agitur de Filiis, ad voluntatem parentum « suorum, eo quod, quidquid sit, an sponsalia facta « sine horum consensu sint valida, vel non, certum ni- « hilominus sit, ejusmodi sponsalia esse *ILLICITA*, « et si sine dicto consensu fiant, cognito Parentum « dissensu, causam dari, ut eadem, etsi jurata es- « sent, dissolvantur, uti uberius hæc videri possunt « in citata dissertatione Archiepiscopi Rossani *p.* 668.»

Igitur Childeberta, inconsultis parentibus, ita illicite contrahit sponsalia, ut quamvis juramento firmata sint, detecto tamen parentum dissensu, licite, et libere rescindi possint. Nam ut apte ad rem præsentem subjungit Synodus Tusculana ann. 1763. a Celsitudine Regia Eminentissima Henrici Card. Ducis Eboracensis celebrata, *non enim juramentum esse debet vinculum iniquitatis part.* 3, *cap.* 16, *a.* 2, §. 1, *in fine.*

CAS. III. — Euripidi Parocho ab Ecclesiastica Curia patentes litteræ diriguntur, quibus inspectis, Matrimonium injungitur celebrandum inter Sejam, et Cajum, remissis denunciationibus a Tridentino præscriptis. Quamvis vero idem Euripides probe sciat, ejusmodi nuptias a contrahentium parentibus omnino ignorari, imo penitus oppugnari; atque id Ecclesiastico Superiori malitiose fuisse occultum; nihilominus in vim prædictarum Litterarum filios familias Cajum, et Sejam se-

quenti die in Matrimonio conjungit: Quæritur utrum Euripides Parochus recte fungatur suo munere?

Resp. Euripidem male fungi suo munere; cum enim ipse compertum habeat, parentum ignorantiam, imo eorum dissensum *malitiose* fuisse Ecclesiastico Superiori occultatum, nimium imprudenter se gerit, dum in vim litterarum, quæ ipsi ab Ecclesiastica Curia diriguntur, Filios-familias Cajum, et Sejam in Matrimonium conjungit; facile siquidem ipse poterat advertere, hujusmodi litteras esse subreptitias; ideoque nullius esse roboris, nec executioni demandandas. Unde quemadmodum, ut in superiori responsione innuimus, lethaliter peccant Filii Matrimonium contrahendo insciis, vel invitis parentibus; ita graviter peccat Euripides Parochus, et quidem multipliciter, dum Cajo, et Sejæ, inconsultis eorum parentibus, imo prorsus invitis, Sacramentum Matrimonii administrat; juxta illud Apostoli *ad Rom.* 1, 32. *Non solum* peccant, *qui faciunt*, *sed etiam*, *qui consentiunt facientibus.* Quare in hujusmodi casibus fieri debet, quod faciendum statuit Emin. Card. Gabriel Palæotus olim Bononiæ Archiepiscopus in libello, cui titulus: *il Compedio degli Ordini dati al clero pag.* 82. inter monita circa Sacramentum Matrimonii: *Si accidat, ut Filius-familias velit nubere contradicente et dissentiente patre, Parochus eum non admittat, quin prius hac de re referat ad Archiepiscopum.* V. Constit. Bened. XIV. quæ incipit *Nimiam licentiam* § 10. *editam* 18 Maii 1743.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Quidam Confessarius, dum aliorum præsertim Sacerdotum Sacramentales excipit Confessiones, vel inclinatus stat, vel una cum pœnitente et ipse, flexis genibus, Sacramentum Pœnitentiæ administrat. Qu. Utrum rite?

Resp. Non rite: quia contra communem, et ferme Apostolicam Ecclesiæ praxim, juxta quam ad hæc usque tempora Confessarius Sacerdos, tanquam Judex sedens

pro Tribunali, pœnitentium excipit Confessiones. Et quidem Pœnitentiæ Sacramentum ad modum judicii fuit a Christo Domino institutum, ac propterea, ut habetur in Catechismo Romano *part.* 2, *de Sacr. Pœnit.* § 18. « Quem peccatorum pœnitet, is se humili, ac demisso » animo ad pedes Sacerdotis dejicit, ut cum se tam hu- » militer gerit . . . in Sacerdote, qui in eum *legiti-* » *mus Judex sedet*, Christi Domini personam, et maje- » statem, veneretur. » Qui mos in Sacramento Pœnitentiæ se humiliter dejiciendi ad pedes Sacerdotis antiquissimus est, illumque nobis exhibet Tertullianus, dum eleganter commemorat ritum, quo Christiani secundo Ecclesiæ sæculo in exomologesi peccata sua deflebant. « *Exomologesis*, inquit *lib. de pœnit. cap.* 9. *pro-* » *sternendi, et humilificandi hominis disciplina est... presbyteris absolvi, et caris Dei adgenicularі*, quia nimirum ante genua Sacerdotis e regione sedentis in peccatorum Exomologesi se humiliter prosternebant.

Ab his nemo non intelligit quantum discrepet usus ille, quo Confessarius ad terga stans pœnitentis, et super illius humerum capite inclinatus, ejusdem excipit Confessionem.

Quamquam vero a Sacramenti Pœnitentiæ ritibus non minus dissentaneus sit alter usus, quo nimirum Confessarius in audiendis Confessionibus una cum pœnitente et ipse in genua procumbit. Hoc siquidem antevertit omnem ordinem in ritualibus libris ab Ecclesia præscriptum, ut quemadmodum in aliis Sacramentis Sacerdos Minister a suscipiente secernitur; ita et in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos Confessarius a pœnitente distinguatur. Hinc est, quod quamvis consuetudo olim invaluerit in Ecclesia, ut non genuflectendo, sed sedendo etiam a laicis fieret Confessio, uti probant ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, aliique non pauci rituales libri, idque propter nimiam Confessionum prolixitatem, utpote quæ tunc temporis infrequentiores; nihilominus pœnitens a Confessario ministro ita distinguebatur, ut primo inferius sederet, tum narratione completa peccatorum statim assurgeret, concidensque in terram pronus Sacerdoti sedenti advolveretur. Illustre est factum illud,

quod Lucas Episcopus Cusensis 2 Maii apud Bollandum narrat de Joachimo Abbate *Floris* cum Imperatrice Constantia : « Sexta Feria Parasceve sedebam, *inquit*, cum » eo in Claustro S. Spiritus de Panormo : et ecce vocatus ad Palatium fuit ad Imperatricem Constantiam, » quæ illi confiteri volebat. Ivit, et invenit eam intra » Ecclesiam in sella consueta sedentem : jussus autem » sedere in sellula pro ipso posita, sedit ; sed cum Imperatrix aperuit ei propositum confitendi, eam qua » debuit auctoritate frænavit, et respondit dicens : Quia » ego nunc locum Christi, tu vero pœnitentis Magdalenes tenes, descende, sede in terra, et ita fideliter » confitere ; *aliter non debeo te audire.* Descendit, et » sedit Imperatrix in terra, et humiliter confessa est » peccata sua. » Ex qua narratione illud notandum est, Abbatem Joachimum sine ulla dubitatione asseruisse, *se aliter non debere* Imperatricem audire, nisi illa inferius sederet ; quia nempe compertum habebat Ecclesiæ ritum, juxta quem Confessarius, tanquam Christi locum tenens, et Sacramenti minister, maxime decet, ut etiam in ipsa externa corporis positione a pœnitente distinguatur.

Quæ distinctio inter Confessarium, et Pœnitentem non servatur in casu nostro, dum Sacerdos flexis genibus alterius Sacerdotis excipit Confessionem ; pluries enim, ut sincere dicam, id mihi contigit intueri, tantumque abest, ut distinxerim præ Pœnitente Confessarium ; quin potius duo obloquentes mihi visi sunt sibi invicem in aurem insusurrantes.

Hactenus dicta decretorie confirmantur ex Rituali Romano, in quo, dum ordo describitur ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ § 5, ita statuitur : *Sacerdos . . . habeat in Ecclesia sedem Confessionalem in qua* (utique sedens) *sacras confessiones excipiat.* Et tametsi *ex causa rationabili*, etiam extra Ecclesiam Confessiones audiri possint, ut habetur ibidem § *Superiori ;* nihilominus totus ille ritus, qui potest servari, etiam extra Ecclesiam, maxime vero in ejusdem Ecclesiæ Sacrario, servandus est ; ideoque D. Carolus Borromæus in Instructionibus *Sacr. Pœnit.* in universum monet Confes-

sarium, *ne unquam stans, sed sedens audiat, et absolvat.* Qui ritus, quo nimirum Confessarius semper sedere debet, generatim præscriptus est, sive pœnitens laicus sit, sive sit Sacerdos. Nulla enim apud Ecclesiam in Sacramentis suscipiendis est personarum discretio ; quemadmodum una est peccatorum remissio, unum pariter pro omnibus est reconciliationis Sacramentum : idem pro laicis, idem pro Monachis, idem pro Clericis ; ideoque æquali ritu, eademque humilitate ab omnibus suscipiendum.

Hinc ex duobus antiquis MSS. insignis Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis ante annos circiter 900, exaratis, et ab Joanne Morino in calce Comment. historic. *de Sacram. Pœnit.* ab Edmundo Martene de Antiquis Ecclesiæ ritibus *p.* 2, *lib.* 1, *cap.* 6, post *art.* 7, *sub n.* 4, editis, in descriptione *Ordinis, qui in privata, seu annuali Pœnitentia servandus est*, inter cætera hæc habentur : *Cum autem accesserit ad Sacerdotem pœnitens . . . quisquis ille est, sive Laicus, sive Clericus, sive Monachus, suppliciter se inclinet ante Sacerdotem . . . Confiteatur omnia peccata sua . . . hoc expleto, dicat Sacerdos super eum has orationes . . . . quibus dictis, jubeat Sacerdos pœnitentem surgere de terra ; sed et ipse surgat de sedili suo ;* ex quibus perspicuum est, ab antiquis usque temporibus nullum in Ecclesia adfuisse discrimen inter Laicum, Clericum, et Monachum in Sacramenti Pœnitentiæ susceptione.

Quæ cum ita sint, hoc unum colligo, Confessarium in casu nostro non rite se gerere, et consequenter dum aliena solvit vincula, seipsum culpabiliter illaqueare.

CAS. II. — Guibertus Sacerdos in Confessarium recens approbatus in administrando Pœnitentiæ Sacramento profert verba absolutionis, aliasque preces antecedentes *Indulgentiam, etc. Dominus noster, etc.* tenens semper manus junctas ante pectus. Qu. Utrum id ex Ritualis præscripto ?

Resp. negative, quia juxta præscriptum Ritualis Romani de Sacr. Pœnit. dum Sacerdos dicit illas preces *Indulgentiam, etc. Dominus noster, etc.* debet tenere

dextram, versus pœnitentem *elevatam*, tum eadem dextra debet efformare signum Crucis, non quidem ad verba illa *Ego te absolvo*, sed dum alia profert, nimirum *In nomine † Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Hoc scilicet ex Ritualis præscripto.

Plura ad rem præsentem, et quidem non levis momenti, jam congesta erant Sacræ antiquitatis monumenta, sed cum resolutiones Casuum mensuram et numerum paginarum hujusce libelli excederent; idcirco ut ea penitus omittantur necesse est. Unum dicam; legenda esse, quæ a Carolo Witasse *T.* 5, *de Sac.* Pœnit. *q.* 2, *a.* 2, § *Dicimus sexto* in medio producuntur, non quod omnia nimis arcte sumenda sunt, sed ut ratione aliqua percipi possit, quam *temere* agant Confessarii illi, *qui dum absolutionem pœnitentibus impertiuntur, manus iis imponere non curant.*

CAS. III. — Emilius Presbyter quasi superstitiosus ab Amico reprehenditur, cum in divinis Mysteriis nimio anhelitu, et sibilis vibrantibus proferat verba Consecrationis. Qu. Utrum sit rationabilis hujusmodi reprehensio?

Resp. rationabilem omnino esse ejusmodi reprehensionem, cum Emilius quasi opinari videatur, Consecrationis verba, quanto magis concitata, eo magis habere vim conficiendi Sacramentum. In hunc ignorantiæ, dicam potius, nimiæque trepidationis, quam superstitionis, defectum cadunt nonnulli Sacerdotes, quos graphice commemorat, simulque perstringit usque jam a sua ætate Henricus de Hassia Scriptor sæculi XV. in Opere, quod Viennæ in Austria editum est; tum Lipsiæ *per Mich. Lottorium* anno 1498. in 4, sub hoc Titulo: *Secreta Sacerdotum, seu Magistri Henrici de Hassia, quæ sibi placent, vel displicent in Missa peregregium*, *etc.* in quo ad rem nostram hæc habet: *Solent quidam os prope hostiam ponere consecrandam, tamquam se non credant conficere, nisi hostiam anhelitu afflent. Valde tales errant, ut illum anhelitum fœtidum forte putant conficere, quod est Mysterium Divinorum verborum de labiis piissimi Jesu progressorum. Dicite, si*

virtutem verbis adscribitis, ad quod ergo anhelitum hostiæ aspiratis? Ut igitur Emilius ejusmodi vitium deponat, animo sibi certe persuadeat, materiam panis, et vini non anhelitu, aut vibratione syllabarum, sed devota prolatione verborum Christi, divinaque virtute, in Christi Corpus, et Sanguinem mirabiliter consecrari. *Vide* Le Brun in Opere plane aureo ex Gallico idiomate Italice traducto *tom.* 4, *in fine*, cui Titulus : *La Spiegazione letterale Storica, dogmatica, etc. della Messa*, Typis Veronæ impresso anno 1740.

MENSE JULII.

CAS. I.— Parocho, in cujus Parœcia Titius et Mœvia ambo vagi, et ægrotantes fortuito reperiuntur, satis in Domino expedire videtur, si, restituta illis valetudine, legitimo Matrimonio copulentur: rem itaque ad Ordinarium defert; et factis in Ecclesiastica Curia de illorum statu libero juridicis probationibus, licentiam obtinet, ut prædictis Titio, et Mœviæ Sacramentum Matrimonii administret : verumtamen antequam Matrimonium celebretur, re diligentius explorata, dignoscit Parochus, Titium, et Mœviam vere et proprie non esse vagos, sed peregrinos. Qu. Utrum in tali casu possit Parochus progredi ad ejusmodi Matrimonium inter Titium, et Mœviam celebrandum?

Resp. negative. Maximum enim intercessit discrimen etiam quoad contrahendum Matrimonium inter vagum, et peregrinum. « Est regula certa, *inquit* Benedictus XIV. » *tom.* 2. *Notif. Italic. Edit. Rom. Notif.* 13. § 10, » quod Parochus Personarum vagantium sit ille, qui est » Parochus illius loci, in quo istæ personæ actu sunt. » *Quod de peregrinis non est ita; idcirco prosequitur* » *sapientissimus Pontifex :* Sed cum interdum accidat » æquivocatio, sumaturque peregrinus pro vago, quod » tamen male fit, cum vagus sit ille, qui et reliquit pro- » prium domicilium, et aliud, ubi habitet, non quæ- » rat, secundum textum in L. *Ejus* §. *Celsus* ff. ad mu- » nicipalem... peregrinus econtra sit, qui iter quidem

» facit, cum animo tamen redeundi ad proprium domi-
» cilium, ut bene observat Rosignolius *de Matrim. p.* 1,
» *Tom.* 6. *de Contract.* 5. *prænot.* 22. *n.* 4. propter-
» ea . . . in ejusmodi contingente casu a Parochis de-
» bita diligentia adhibeatur, ut resciant, an ii, qui
» contrahere volunt, vere sint vagi. » Nam si, re diligentius explorata, dignosceret Parochus, prout in casu contingit, Contrahentes non esse vagos, sed Peregrinos, non obstantibus litteris ab Ecclesiastica Curia receptis, utpote falso laborantibus, non posset ulterius progredi ad ejusmodi matrimonium celebrandum; secus peccaret contra Decretum Trid. Conc. *sess.* 24, *de reform. Matrim. cap.* 7, et posset graviter puniri, ut ex ultima nostra Synodo *lib.* 2, *de Sacr. Matr. cap.* 9, et ex Instructione S. C. Univers. Inquisitionis *pro examine etc. pro contrahendis Matrimon.* Et tandem Matrimonium non valeret.

CAS. II. — Gertrudis Vidua sub Parœcia S. Mariæ huc usque habuit domicilium apud fratrem defuncti mariti : volens ad secunda vota transire, relictis ibidem propriis supellectilibus, paternam domum se confert sub Parœcia S. Nicolai : ubi, ut rem gratam faciat Patri, intendit permanere; ita ut post quindecim dies, factis interea denuntiationibus, Matrimonio valeat copulari. Qu. Cui Parocho competat jus celebrandi istiusmodi Matrimonium?

Resp. Etsi mulier, quantumvis Vidua, quanto tempore ejus Pater vivit, semper sit sub ejusdem Patris potestate; nihilominus dum intendit ad alia vota transire, juxta praxim in hac Diœcesi vigentem, non tenetur adire paternam domum, quemadmodum tenentur puellæ innuptæ, quibus in hac Diœcesi pro Matrimonio valide, et licite contrahendo domicilium paternum, maternum, vel fraternum, præscriptum est, ut habetur *tom.* 2. *Notif.* Benedicti XIV. *edit. Ital. Bonon. Notif.* 13. § 16, *et* 17, *et Tom.* 4, *Notif.* 21, *pag.* 309 *et seq.*

Hoc præmisso, ad propositum deveniamus cum distinctione : Gertrudis Vidua, dum se confert ad paternam

domum, aut sincerum habet animum ibidem permanendi, novumque domicilium contrahendi, aut non habet. Si primum, ejus Matrimonii celebratio competit Parocho Ecclesiæ *S. Nicolai*, sub qua paterna domus sita est; et hoc probatur resolutione Sacræ Congregationis Concilii, quæ in *una Cæsanaten. seu Forolivien. Matrimonii* sub die 20 Feb. 1723. ut habetur *tom.* 2, *thesaur. Resolut. S. C. Concilii*, *edit. Urbinaten.* 1739. *pag.* 275. validum censuit Matrimonium a duobus Cæsenæ incolis contractum, qui, ut parentum molestias declinarent, clam Forolivium aufugerant, ibique Matrimonium coram Parocho S. Blasii inopinate circumvento celebraverant. Eo siquidem principio censuit S. Congregatio, ejusmodi Matrimonium, esto *de jure* clandestinum, fuisse validum, quia Mulier juramento jam firmaverat, se Forolivium venisse, ut ibi sincero animo permaneret, suumque domicilium eligeret apud Aviam Maternam, quæ sub eadem Parœcia S. Blasii degebat, et quam suam esse Tutricem, seu Curatricem asserebat. Ex qua facti specie aperte evincitur, pro validitate Matrimonii Parochum proprium illum esse censendum, in cujus Parochia tempore contractus Contrahentes habitant, et illuc se contulerant, ut ibi sincero animo permanerent.

Si vero Gertrudis paternam domum petivit non animo quidem domicilium ibidem contrahendi, sed solo animo illic Matrimonium celebrandi, ut ita nimirum rem gratam faceret Patri, tunc ejusdem Gertrudis Matrimonii celebratio ita competit Parocho *S. Mariæ*, ut, si secus celebraretur, Matrimonium non valeret. Quemadmodum expresse constat *in una Romana* 22 Feb. 1631, *lib.* 14. *Decretorum*, *p.* 390, *a tergo*. — *Sacra, etc. censuit, dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: Vir et Mulier a loco suæ habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, et ad locum alterius Parochiæ solo animo illic Matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi se transferentes, ibi coram Parocho illius loci Matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi Matri-*

monium sit nullum, vel validum? Die 22 Febr. 1631. *Sacra, etc., secundum ea, quæ proponuntur, censuit esse nullum.*

Ex quibus satis colligitur propositæ quæstionis resolutio. *V. t.* 2. *Notif.* Benedicti XVI, *eod. Ital. Bonon. Notif.* 13, § 9 et 10, et ejusdem Summi Pontificis *Epist. super quibusdam dubiis respicientibus validitatem Matrimoniorum* ad Archiepiscopum Geanum *dat.* Romæ apud *S. Mariam Majorem* die 19 Martii 1758.

CAS. III. — Titius, postquam occulte contraxit sponsalia cum Berta, et quidem juramento firmata, habuit copulam cum Mœvia sorore Bertæ, quæ prægnans facta est. Qu. Utrum Titius teneatur stare promissis cum Berta, utpote juramento firmatis; an potius omnia debeat experiri, ut ducat Mœviam in uxorem ad ejus infamiam declinandam? in quo postremo casu, qua via, et medio utendum est?

Resp. Ad propositum Casum obvia, quæ statim sese profert, responsio hæc est: Titium neutram posse ducere in uxorem; non Bertam propter impedimentum affinitatis; non Mœviam propter publicam honestatem: verum hæc responsio facilis dictu est, sed ad praxim, ut graviora sint integra, nulla ratione inservit. Dicamus ergo, quod cum in proposita facti specie id, quod vere magis urget, sit prægnatio Mœviæ, hinc fit quod ad ejus infamiam declinandam tenetur Titius omnia experiri, ut illam ducat in uxorem. Via autem, sive medium, quo in hoc postremo Casu utendum est, dummodo impedimenta sint occulta, est recursus ad majorem Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarium, qui de Summi Pontificis speciali mandato vivæ vocis oraculo desuper sibi facto, potest in foro conscientiæ super impedimento occulto publicæ honestatis, etiam *de contrahendo*, absolute dispensare: quemadmodum opportune advertit Benedict. XIV. *Tom.* 4, *Notif. edit. Ital. Bonon. Notif.* 20, § 7.

—

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Tiberius occasione rixæ prope Ecclesiam graviter vulneratus, confestim Ecclesiam ipsam intravit, clamitans *confessionem*. Verumtamen vix Ecclesiæ limen ingressus concidit in terram pronus, et madefacto largo sanguine Ecclesiæ pavimento, efflavit animam. Qu. Utrum Ecclesia in tali casu polluta sit ; ideoque cessandum sit a Divinis ?

Resp. neg. Paucis abhinc annis in Diœcesi N. ejusmodi Casus evenit : quando Parochus re, ut obtigerat, intellecta, illico cessationem a Divinis indixit, et populum, qui in Ecclesia facinore tanto perterrefactus aderat, licet esset dies festus, sine Missa dimisit, asserens, non amplius fore licitum celebrare Missam, cum Ecclesia ex perpetrato homicidio interdicta evasisset. Verum iste Parochus repente forsitan perculsus atrocitate facti, a veritate aberravit. Quandoquidem falsum est, Ecclesiam pollui, cum vulneratus, accepto lethali vulnere, Ecclesiam ingreditur, ibique sanguinem effundit. Nam juxta Canonicas Sanctiones, id quod violat sanctitatem loci, non est neque hominis mors, neque sanguinis effusio, sed est ipsa actio graviter injuriosa, quæ fit in vitam proximi in ipsa Ecclesia existentis, adeo ut si quis, accepto in Ecclesia ab inimico lethali vulnere, statim foras egrederetur, et non nisi extra Ecclesiam sanguinem funderet, aut moreretur, nihilominus Ecclesia remaneret polluta, quia vulnus, ex quo secuta est effusio sanguinis, aut tandem mors, fuit in ipsa Ecclesia criminose inflictum, ex quo propterea Ecclesiæ sanctitas violatur ; quemadmodum juxta communem Theologorum, et Canonistarum sententiam diserte docet D. Antoninus 3, *part. Sum. Theol. tit.* 12, *cap.* 6, § 3 et 4, *Si ex vulnere extra Ecclesiam accepto in Ecclesiam fugiens moriatur, non violatur Ecclesia, quia non accipit ibi causam mortis... secus si in Ecclesia vulneretur, et extra moriatur ; quia tunc violatur.*

CAS. II. — Parocho vix e vivis erepto, Sempronius illius Nepos hæres ex asse continuo adiit hæreditatem. Et quidem, occupato marsupio, supellectilem omnem sequenti die paratis jam curribus asportare intendit. Qu. An Vicarius Foraneus jure id valeat, imo debeat prohibere?

Resp. Quod Vicarius Foraneus jure id potest, imo debet prohibere ; sic enim in ultima nostra Diœcesana Synodo eidem supremo jure commissum est *l.* 3, *c.* 3, *de Parochis : Si ingravescente morbo* (Parochus) *decesserit, Vicarius Foraneus... Ecclesiasticam supellectilem in inventarium digerat, statimque certiores faciat aut Nos, aut Vicarium nostrum de obitu, et qua par est sollicitudine substitutus, aut œconomus delegetur. Interim ab hæredibus* NIHIL *patiatur apprehendi, aut asportari, antequam per Nos, quæ fuerint relaxanda, opportune constituatur.*

CAS. III. — Febronius homo facinorosus, vel apud judicem inquisitus, enixe obtestatur Parochum, ut in domo Parochiali, aut in alia Æde Sacra intra ejusdem Parochiæ fines existente asylum ei præbeatur. Qu. Qua ratione Parochus se gerere debeat in hac re?

Resp. Debet se gerere juxta præscriptum ejusdem præcitteæ nostræ Synodi Diœcesanæ, in qua *lib.* 3, *cap.* 4, *de immunitate Ecclesiarum* hæc habentur : *Parochis præcipimus, ne contumacibus facinorosis in Canonica præstent asylum, omnino prohibentes, ne hos recipiant sine nostro expresso assensu, et facultate ; inquisitos vero de Criminalibus ultra triduum non retineant. Quod si aliter charitas urgeat, Nos, sive Vicarium nostrum consulant : cui pariter Decreto subjectos volumus, et comprehensos declaramus, Rectores, Custodes, Guardianos, et Officiales quarumcumque Ecclesiarum, Confratriarum, et Sodalitatum ; quippe profanata Sacra Loca sæpe comperimus male viventium licentia, ludos, et conventicula cogendo, queis religiosa, et pia domus dehonestatur.*

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Tempore messis cum gravis tempestas jam-jam impendere videretur, Capellanus, absente Parocho, ab afflictis Agricolis omnibus precibus exoratus, detulit ad Ecclesiæ januas Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum; ibique cum eo adversus ingruentem calamitatem, benedictionem impertitus est. Qu. An Capellanus Agricolarum votis prudenter annuerit?

Resp. Agricolarum votis minus rite annuit Capellanus, cum in nostra prædicta Diœcesana Synodo hac de re cautum sit sequenti Decreto, *lib.* 2, *cap.* 3, *de Sacram. Eucharist. Numquam Pixis deferatur ad Ecclesiæ januam et ad comprimendos turbines, et aëris sedandam inclementiam vel imbrium, vel grandinum : verum exponatur in Ostio Tabernaculi, dato signo, ut ad orandum conveniant fideles, preces, et Sanctorum Litanias recitando. V. Epist.* Benedict. XIV, ad Cardinal. Urbis Vicarium 27 Julii 1755.

CAS. II. — Sacerdos cum esset læsus brachio per totum Paschale tempus Sacrum non fecit : attamen in illa non Parochiali Ecclesia, in qua per annum quotidie celebrat, una cum cæteris Capellanis, ut moris est, in die *Cœnæ Domini* sumpsit Eucharistiam. Conqueritur Parochus, quod prædictus Sacerdos ad propriam Parochiam non accesserit ; eumdemque contendit per ejusmodi laicam Communionem, Paschali præcepto haudquaquam satisfecisse. Qu. Quid dicendum in hac re?

Resp. Dicendum cum Synodo Tusculana a Celsitudine Regia Eminent. Henrici Cardin. Ducis Eboracen. an. 1763, celebrata *part.* 3, *cap.* 9, *de Sacram. Eucharist. art.* 1, § 14, *Sacerdotes... ubicumque paschali tempore Missam celebrent, Ecclesiæ præcepto faciunt satis. Quod si vel ob infirmitatem, vel alia de causa celebrare nequeant, ipsi quoque non minus ac Laici ad sacra recipienda Mysteria in sua Parœcia debent convenire.* Quæ Synodalis Constitutio novam legem non ponit, sed

disciplinam Ecclesiæ præclare promulgat ab antiquis Patrum regulis derivatam. Olim enim Presbyteri simplices, qui *Sacerdotes inferioris Ordinis* dicebantur, ita in eorum ordinatione propriæ Parochiali Ecclesiæ addicti erant, ut extra illam ne Missa quidem poterat ab ipsis celebrari. Capitularia Caroli Magni ea sunt, quæ illius temporis nobis exhibent Occidentalis Ecclesiæ disciplinam : *Nullus Presbyter in alterius Parochia Missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit :* et infra *lib.* 6. *cap.* 456, *addit.* 4. *cap.* 37. *Statutum est, ut unusquisque Clericus, vel Laicus non communicet in aliena plebe sine litteris Episcopi sui.* Et quamvis vicissitudine temporum necessitas invaluerit, Presbyteros posse licite, etiam extra propriam Parochialem quocumque tempore Sacrum facere; ita ut ubicumque Paschali tempore Missam celebrent, Ecclesiæ præcepto satisfaciant ; nihilominus firma stetit in ea parte antiqua lex, ut Sacerdotes non celebrantes eo tempore, ipsi quoque non minus ac Laici propriam Parochiam teneantur adire, ibique sacram Communionem recipere. Hinc est quod Concilium Lateranen. IV, dum *cap.* 21, *Tim.* 18, adultis omnibus Paschale præceptum indixit in propria Parochiali adimplendum, nullo facto personarum discrimine, generatim locutum est. Verum cum nulla ferme sit tam certa obligatio, quæ a quibusdam in dubium non valeat revocari, Benedictus XIV, Presbyteros illos raro per annum, et præsertim in Paschate non celebrantes, coercet his verbis, *t.* 3, *Notif. Edit. Ital. Bononien. Notif.* 14. *Si tamen prædicti Sacerdotes in Paschate non voluerint aut non potuerint celebrare Sacrum, declaramus illos teneri præcepto, et debere Communionem sumere in Parochia, cum in hoc casu de quo agitur, pares reputari debeant personis laicis.* Quemadmodum ergo Sæculares Laici, tametsi in die *Cœnæ Domini* etiam in ipsamet Cathedrali, ac Matrice Eucharistiam sumerent, tenerentur nihilominus iterum ad Paschale præceptum adimplendum in propria Parochiali communicare, uti declaravit Sacra Congregatio Concilii apud Benedictum XIV, *tom.* 1, *Notif.* 18, ita dicendum est de Sacerdote in Casu nostro; de quo merito conque-

ritur Parochus, quod ad propriam Parochiam ipse non accesserit, eumdemque jure contendit Paschali præcepto haudquaquam satisfecisse.

CAS. III. — Scaliger peccator publicus, utpote publicus perpetuus ebriosus, cum a proprio Parocho Paschali tempore ab Eucharistiæ sumptione fuerit rejectus, verbis petulantissimis Parochum ipsum insectatus est, eique et plagas, et necem ausus est intentare. Qu. An propterea Scaliger in aliquam censuram *ipso facto* incurrerit?

Resp. Quamvis ob gravam offensam, utpote minacibus tantum verbis, proprio Parocho illatam nullam censuram incurrerit Scaliger *spectato communi jure;* neque enim hic locum habet *Cap. Si quis suadente, etc.* nihilominus spectata Synodali nostræ Diœcesis Constitutione incidit *ipso facto* in excommunicationem, et quidem Eminent. Archiepiscopo reservatam. Id sancitum legitur in prælaudata ultima nostra Synodo Diœcesana an. 1698, celebrata *lib.* 2, *cap.* 3, *de Sacram. Euch. Peccatoribus publicis... accessum ad Sacram Mensam interdictum volumus, et declaramus, nisi per publicam emendationem, etc., et quia iniquitatis filii a cœlesti mensa rejecti insaniunt minacibus verbis quandoque in Parochos, quibus ex denegato Angelorum Cibo emendatio cordi est... ideo si quis temerarie minas, aut terrores, vel comminationes intentare ausus fuerit contra Parochum suum, sive per alium arte flagitiosa incusserit, excomminatum STATIM volumus, et DECLARAMUS, absolutione Nobis reservata.* Quæ quidem Synodus cum ab hodierno Eminent. nostro Archiepiscopo, ut alibi diximus, singulari Edicto fuerit confirmata, hinc fit, quod odversus Scaligerum indicta excommunicationis pœna obsoleta non est, sed firmior a jure in suo robore perseverat.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Capellanus, absente Archipresbytero, baptizavit puellam infantem, cui, efflagitante Matrina,

fabulosum nomen imposuit, ut puta, *Dianiram*, *Dianam*, *Diamanta*, sive *Pantasileam*, etc. quæ quidem nomina nec in Romano Martyrologio, nec in ullo particularis Ecclesiæ Kalendario reperiuntur. Qu. Utrum licite?

Resp. Contra venerandas Ecclesiæ regulas agit Capellanus in casu nostro. Etenim in Rituali Romano, cujus præscripto ea omnia, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent, religiosissime *etiam in minimis* servanda sunt, expresse habetur *de Sacram. Baptis. rite administ.* §. *ultimo* in fine: *Quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet* (*Parochus*) *ne obscœna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie videndum excitentur, et patrociniis protegantur.* Idipsum ad verbum repetitur in ultima nostra Bononien. Diœcesana Synodo ann. 1698, celebrata *lib.* 2, *de Sacram. Baptismi cap.* 2, §. *ultimo*. Et vero, ut recte inquit Synodus Ferrariensis sub Emin. Thaddæo Card. de Verme anno 1711, promulgata *p.* 2, *cap.* 2, *de Sacram. Baptismi*, si est *commune effatum, ideoque verum, quod nomina conveniant rebus; fideli sane non convenit nomen desumptum ab infidelibus, et falsis diis. Hujusmodi certe apparent nomina aliquoties imposita fœminis, Diana, Diamanta, Dianira, Vienna, Pisa. Non deficiunt nobis nomina desumenda ex albo Sanctorum, sub quorum titulo, tutela, et auxilio degamus.* Quæ cum ita sint, juste conqueritur Synodus Tarvisina ann. 1601, sub Aloysio Molino habita *part.* 2, *cap.* 2, *de Sacram. Baptismi: De nomine imponendo detestanda est non minus quorumdam Laicorum superbia, quam Pastorum eis obsequentium adulatio, qui, contemptis Sanctorum nominibus, ad Gentilium voces se convertunt: quem gravem abusum rescindere cupientes, statuimus, ut a baptizandis filiis nomina Gentilium, profanorumque hominum procul arceantur. Quare videant Parochi, ne aliqua sumi nomina concedant, quæ non sint ex*

Sanctis accepta. Vide plura in hac re eruditione summa apud Edmundum Martene *de Antiquis Ecclesiæ ritibus lib.* 1, *cap. de ritib. Baptismi art.* 10. §. 7, apud Aloysium Mariam Lucinum Ord. Præd. postmodum Card. *in examine, et defensione Decreti* editi a claræ memoriæ Cardinali Carolo Thoma *de Thournon cap.* 4.

CAS. II. — Heribertus Vir Nobilis contra Parochum perfracte contendit, quod ad excitandam suorum Majorum memoriam ejus infanti baptizando profanum nomen imponi debeat. Qu. Utrum Parochus possit ei morem gerere?

Resp. Quamvis a puriori Ecclesiæ disciplina non parum aberrent Nobiles illi Viri, qui ad excitandam Majorum memoriam profana quædam nascentibus Filiis Proavorum nomina imponere ambiunt; nihilominus ad evitandas lites, quæ quandoque abortæ sunt, potest Parochus *permissive* se habere, ut ejusmodi profana nomina Nobilium Filiis imponantur: DUMMODO tamen ea non sint aut inanium deorum, aut impiorum hominum, aut ridicula, aut obscœna, et saltem profano nomini aliud nomen alicujus Sancti præponatur.

Ejusmodi permissionis si qua reddendo est ratio, hanc puto assignandam, quia illa profana nomina, quæ in Filiis repetunt Nobiles, non ut Avorum nomina, sed potius ut eorum *familiæ prænomina* censenda sunt. V. Muratori *Dissert. sopra le Anstich. d'Ital. Dissert.* 41, *De sopranomi degl'Antichi, e Disser.* 42, *dell'Origine de Cognomi;* forte enim contingere potest, quod ad probandam ejusdem familiæ identitatem, aut pro quibusdam hæreditariis servandis juribus, non parum expediat, ut antiqua Majorum nomina etiam in posteris renoventur; hinc est, quod Synodus Veneta a Laurentio Priolo Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primate an. 1592. celebrata, *part.* 1, *c.* 1, de Sacram. Baptismi, hanc permissionem non respuit: *Baptizandis autem non paganorum, et profana, sed Sanctorum nomina parochi imponere curabunt, parentesque ad id inducant, ubi præsertim nomina propria eorum familiæ non fuerint.* Et expressius Synodus Tarvisina a Fran-

cisco Justiniano habita an. 1620, *lib.* 2, *cap.* 2, *de Baptismo num.* 11 : *Parochi hortentur parentes, ut nomina pueris, non ex fabulis Ethnicorum, neque ex Poetarum figmentis, sed ex Martyrologio, Calendarioque Romano imponantur ; turpe enim valde est Christiano viro, contemptis Sanctorum nominibus, ad paganorum vocabula se convertere : si quæ tamen familiæ nobiles Gentilium suorum prisca nomina parvulis suis imponere voluerint, prohibendæ non erunt.*

Accedit moderatio, quæ facta fuit a Sacra Congregatione Romanæ et universalis Inquisitionis famoso Decreto Cardinalis Caroli Thomæ *de Thournon*, in quo, uti refert Benedictus XIV. *lib.* 4, *de canonizatione Sanctorum p.* 2, *cap.* 19, *num*, 18: « Præscriptum fuerat, » ut juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem semper » imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicujus » Sancti in Martyrologio Romano descripti, interdictis » omnino nominibus Idolorum, vel falsæ religionis » pœnitentium, quibus Gentiles utebantur, et *Neophyti* » appellari consueverant, antequam per Baptismum » essent divinæ gratiæ renati. Assumpto autem examine » partis hujus Decreti de Mandato Clementis Papæ XII, » in Congregatione Cardinalium Generalium Inquisitorum die 21 Januarii 1733, responsum fuit, *moderandum esse decretum, deleto verbo* præcipimus, *cum clausula*, curent quantum fieri potest, *firma remanente interdictione quoad nomina Idolorum, et falsæ Religionis pœnitentium :* et responsum fuit a Sanctissimo confirmatum per litteras Apostolicas in forma » brevis die 24 Augusti 1734. »

Ex quo *moderationis* responso satis apparet, posse aliquando *permissive* tolerari, ut baptizandis, præsertim nobilium filiis, profana eorum Gentilium nomina imponi queant : *DUMMODO* aut Idolorum, aut impiorum hominum ea non sint ; quantumvis semper, *quantum fieri potest*, curare debeant Parochi, ut Sanctorum nomina potius imponantur : aut saltem profano nomini aliud nomen alicujus Sancti in Martyrologio descripti præponatur.

CAS. III. — Achilles, vir nobilitate generis et ipse illustris, dum proprios filios ad Sacram Fontem baptizandos defert, solet in patrinum eligere quemlibet plebejum hominem, ignotum licet et fortuito obvenientem. Qu. Utrum id sit juxta S. M. E. institutionem, et morem?

Resp. Achilles, prout in casu exponitur, directe agit contra morem, et institutionem Ecclesiæ.

Cur præter eos, qui baptizant, in regenerationis Mysteriis patrini adhibeantur, diserte traditur in Catechismo Romano *part.* 2, *de Sacram. Baptismi* § 26. « Ut quemadmodum, postquam aliquis in hanc lucem » editus est, nutrice, et pedagogo indiget, quorum ope, » atque opera educetur, ac doctrina, et bonis artibus » erudiatur : ita etiam necesse est, ut qui ex Baptismi » fonte vitam spiritualem vivere incipiunt, alicujus » fidei, et prudentiæ committantur, a quo Christianæ » Religionis præcepta haurire, ad omnemque pietatis » rationem institui possint.

Quæ sint patrinorum partes, quidve ab illis exigatur, idem Catechismus § 28, prosequitur enarrare. « Præter- » ea docere oportet fideles, quæ sint susceptoris partes. Etenim hoc munus *ADEO NEGLIGENTER* in » Ecclesia tractatur, ut nudum tantum hujus functionis » nomen relictum sit, quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videantur. Hoc igitur universe susceptores semper cogitent, se hac potissimum lege obstrictos esse, ut spirituales Filios » perpetuo commendatos habeant; atque in iis, quæ ad » Christianæ vitæ institutionem spectant, curent diligenter, ut illi tales se in omni vita præbeant, quales » eos futuros esse solemni cæremonia spoponderunt. » Audiamus quid ea de re S. Dionysius scribat, verba » sponsoris exprimens : *Spondeo puerum inducturum, cum ad Sacram intelligentiam venerit, sedulis adhortationibus meis, ut abrenunciet contrariis omnibus, profiteatur, peragatque divina, quæ pollicetur.* Item » D. Augustinus : *Vos*, inquit, *ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptismate suscepistis,*

» *moneo*, *ut cognoscatis FIDEJUSSORES APUD* » *DEUM EXTITISSE PRO ILLIS*, *quos visi estis de* » *Sacro fonte suscipere.* Ac profecto decet maxime, eum » qui aliquod officium suscepit, in eo diligenter exe- » quendo nunquam defatigari ; et qui se alterius pæ- » dagogum, et custodem professus est, minime pati, » illum esse desertum, quem semel in fidem, et clien- » telam suam recepit : » ex quibus ita demum conclu- dit § 29. =

Quivis promiscue ad susceptoris munus non est admittendus. « Quæ cum ita se habeant, facile intelligi- » mus, cuinam hominum generi sanctæ hujus Tutelæ » administratio committenda non sit, nimirum iis, qui » eam gerere, aut fideliter nolint, *aut sedulo*, *et accu-* » *rate non queant.* » Hactenus Catechismus.

Porro doctrinam hanc, quæ, teste D. Dionysio *de Eccl. Hierar. cap.* 7, *part.* 3, *a divinis nostris Ducibus*, id est Apostolis, ad nos dimanat, serio perpendat Achilles, videatque *quam temere* illam negligat, quin imo despectui habeat, dum solemniter in re tam gravi, apud Deum, et Ecclesiam eligit in sponsorem pro filiis quemlibet plebejum hominem, ignotum licet ac fortuito obvenientem; quem profecto non ita facile inter suæ familiæ servos cooptaret, et quem *moraliter* certo scit, ad susceptoris partes explendas esse *in praxi* ineptissimum.

Utinam vero idipsum perpenderent Rectores illi Baptismalium Ecclesiarum, vel quivis alius Sacramenti Baptismatis administer, qui tanquam *canes muti non valentes latrare*, quasdam permittunt in ipso regenerationis mysterio irrepere abusiones, quæ cum inoleverint, nonnisi difficillime, et quasi per injuriam eradicantur. Quare illud ob oculos habeant, quod in hac re faciendum suggerit D. Carolus Borromæus *Act. Eccles. part.* 4, *Instruct. Baptismi* § *de cœrem. peracto Baptismo : Parochus præmonebit accurate parentes . . . ut compatres tales deligant, quales eos esse oportet : ideoque eam quoque rationem hortando habebit, ut ne peregrini, hospites, IGNOTI, et ii denique Compatres adhibeantur, quorum . . . . verosimile non est consuetu-*

dinem inter Baptizatum eosque ita futuram, ut susceptı muneris functionem in eo instruendo prastare possint.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Luidprandus Sacerdos per multam noctem choreis publicis interfuit. Qu. Utrum ratione dignitatis Sacerdotalis graviter peccaverit ?

Resolutio propositi Casus facile excresceret in volumen, si omnia exhiberentur argumentorum genera, quibus apertissime probari potest, *Luidprandum* peccasse graviter, quinimo gravissime ratione dignitatis Sacerdotalis, dum choreis publicis per multam noctem interfuit. Nulla siquidem in re morali occurrit forsitan alia quæstio, quæ tot fulciatur divinarum Scripturarum testimoniis, tot Conciliorum Decretis, tot Summorum Pontificum Constitutionibus, tot Sanctorum Patrum auctoritatibus, tot Synodalibus statutis, tot denique Theologorum suffragiis, quemadmodum inde evincitur, choreis publicis interesse Clericis omnibus esse vetitum, maxime vero Altaris Ministris severissime prohiberi; uti videre est apud omnes Theologos, et Canonistas *de Vita, et honestate Cleric.* præsertim apud Van-Espen *part. 4. Juris Ecclesiast. Univers. Dissert. de Instit. et Offic. Canonic. part. 2, cap. 6, § 2,* apud Thomassinum *de Vet. et nova Eccles. discip. part. 3, lib. 3, cap. 46, § 12* et *13*, apud Natal. Alex. *Theol. mor. tom. 2, de Sacram. Ordinis cap. 5, reg. 5,* apud Illus. Genettum Episc. Vasionen. *tom. 2, Theol. mor. tract. 1, cap. 8, quæst. 6, et tom. 5, tract. 8, cap. 4, quæst. 4,* et tandem in Synodo Fulginaten. ab Josaphat Baptistellio anno 1722. celebrata; in qua *cap. 13, § 14.* plures singulari studio recensentur Canonicæ Sanctiones, cur Clerici, ne quidem choreis spectatores fieri, districtissime prohibeantur.

Verumtamen cum ea sit nostrorum temporum iniquitas, ut etiam inter Ecclesiasticos nonnulli reperiantur, qui usque eo cauteriatæ conscientiæ sunt, ut nihil pu-

tent Canonicas Sanctiones ; vel si quas non possunt negare veras, asserant antiquatas ; propterea extra propositum hic non erit Benedicti XIV auctoritatem afferre, quæ certe gravissima est, et quæ argumentum undequaque concludit. Inquit enim *tom.* 4, *Notific.*, *edit. Ital. Bononien*, *Notific.* 9, *versus finem :* « Si per impossibile non haberemus tot Canonicas Sanctiones, et de » hoc puncto, de quo nunc agimus, nullibi tractassent » antiqui et recentiores Theologi, quis tamen erit, qui, » si vel solam naturalem rationem attendat, non possit, » et debeat plene cognoscere, quod Parochi, et Sacerdotes *grave peccatum scandali* committant ?... deni- » que abunde scitur, quod sæculares sollicite attendant » ad ea, quæ fiunt ab Ecclesiasticis, eum nempe in » finem, ut inde normam suarum actionum sumant. » *In eos tanquam in speculum reliqui oculos conji-* » *ciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur :* (verba sunt » Concilii Tridentini in Sess. 22, cap. 1, de reforma- » tione) quippe cogitant licite se posse facere, quod- » cumque fit ab Ecclesiasticis. *In te omnium oculi di-* » *riguntur, dicit S. Hieronymus in Epistola* 3.... » *quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.* » Hinc sapientissimus Pontifex sensim suadet, illos quoque Ecclesiæ Ministros peccare graviter, tametsi choreis publicis dumtaxat se præbeant spectatores : idque insinuat auctoritate Joannis Gerson *Serm. Dom. tertiæ Advent. tom.* 3, tum terribili exemplo Ludovici Magdeburgensis Archiepiscopi, qui, *ad dies solutos carnisprivii*, dum *in primis choreis inerat*, divino judicio perculsus est.

Quod si *Luidprandum*, cæterosque clericos *choreizantes*, aut chorearum spectatores hæc non movent ; moveat illos ad verecundiam ipsorum saltem hæreticorum auctoritas, atque omnium maxime Jo. Francisci Buddei, qui licet cœlibatus *clericorum Pontificiorum*, ut ipsemet ait, hostis sit infensissimus ; *instit. tamen Theolog. moral.* Lipsiæ 1727. *part.* 2, *cap.* 3, *sect.* 3. § 31, *in not.* hæc habet : « *Choreas, et saltationes hic consideramus, non in abstracto, prout nonnulli eas sibi fingunt, sed prout revera inter homines in usu sunt,*

cum circumstantiis, quæ nunquam non eas comitari solent. Qua quidem ratione pravas iis vel maxime irritari cupiditates nemo temere inficias iverit. Fugienda ergo illis sunt qui VITÆ SANCTITATI, ea qua par est ratione student. Tum in confirmationem, præ reliquis adducit Philip. Jacob. Spenerum, alium hominem hæreticum, in *respons. Theol. Germ. part.* 2, *cap.* 4, *art.* 4, *sect.* 29, *p.* 484. *seqq.*

CAS. II. — Cum idem Luidprandus fuerit in pœnam a proprio Episcopo personali præcepto suspensus a Divinis, ad ejusmodi ignominiam declinandam in alienam Diœcesim se contulit. Qu. Utrum extra territorium proprii Episcopi possit licite Sacrum facere?

Resp. non posse: Quamvis enim extra Diœcesim aliquis existens non obstringatur, *seclusa fraude*, Diœcesanis constitutionibus, neque pœnis afficiatur, quæ forte latæ sunt in earumdem transgressores; nihilominus personali præcepto, si quod illi a proprio Episcopo factum est, ita obstringitur, ut etiamsi extra præcipientis territorium illud transgrediatur, peccet, omnesque pœnas incurrat, quæ vel *ab homine*, vel *a jure* latæ sunt in ejusmodi præcepti transgressorem. « *Ratio dis-* » *criminis est, quia Lex, seu statutum per se, et im-* » *mediate respicit Territorium, seu Diœcesim, eique* » *quasi cohæret, ac proinde non potest constringere,* » *qui extra Territorium, seu Diœcesim existit; præ-* » *ceptum vero afficit immediate personam, ejusque* » *veluti ossibus hæret, quocumque terrarum discess-* » *serit.* » Ita Benedictus XIV. *tom.* 2, *de Synod. Diœces. lib.* 33, *cap.* 4. § 9, atque hinc satis constat propositæ quæstionis resolutio.

CAS. III. — Confessarius, postquam excepit Sacramentalem Confessionem infirmi, illum hortatur sumere medicinam a Medico præscriptam: cum autem infirmus renuat, Confessarius ipse illum manu sublevat e lecto, eique medicamentum propinat. At vero, sive contingat ex facta motione corporis, sive sit ex ipsa potatione, res sic se habet, quod, vix dimidio sumpto medicamine, infirmus suffocatus exspiret. Qu.

Utrum propterea irregularitatem incurrerit Confessarius?

Resp. Concors est Canonistarum sententia, Confessarium in casu proposito nullam irregularitatem incurrisse, quia id, quod ipse egit, fuit causa pietatis, non temeritatis: pharmacum enim, quod propinavit infirmo, fuerat jam a Medico præscriptum, non ab ipso adinventum; ideoque operam non dedit rei illicitæ, quemadmodum fuisset, si Medici officium pro ingenio usurpasset. Hinc, tametsi secuta sit mors, malo fato accidit; quod ad culpam imputari non potest, cum nec potuerit, nec debuerit prævideri, *argum. ex cap. Johannes* 23, *de homicidio voluntario, et casuali:* ita pariter ex D. Thoma 2, 2, *q.* 64, *art.* 8, juxta quam Angelici doctrinam Fran. Sylvius *resolut. var. v. Chirurgus*, hæc habet: *Pro consolatione autem illorum, qui infirmos custodiunt, aut illis serviunt, observari potest, eos nullam irregularitatem incurrere, etiamsi præter eorum opinionem accidat, quod ex ipsorum actione contingat, mortem accelerari, nisi interveniat culpabilis negligentia; ita ut periculum accelerationis fuerit prævisum, vel prævideri potuerit, et ex notabili negligentia prætermissum fuerit: ac proinde, qui bona fide infirmum revolvit, ut commodius cibum subministret, vel ut melius quiescat, licet acceleretur mors, non est irregularis, sive is sit Laicus, sive Sacerdos, aut Religiosus, si culpa lata non interveniat.*

Quæ cum ita sint, excutienda omnino est quorumdam Sacerdotum vana trepidatio, qui, urgente licet necessitate, ne digito quidem attingere audent infirmum, ne, casu interveniente morte, evadant irregulares; sicque fit, ut dum intendunt servare animi lenitatem, amittant omnem pietatem, quam pietatem erga infirmos solicite professi sunt clarissimi olim, sanctissimique Episcopi, Beatus Fulbertus Carnotentis Episcopus *Ep.* 10, 47, 115. Ven. Ivo Carnuti pariter Episcopus *Ep.* 257 et Beatus Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis *Ep.* 46, qui cum forent in arte medica peritissimi, ægrotis medicamenta quædam ad varios morbos solita, etiam per Epistolas præscribebant, quin ullus ipsis irregularitis timor crearetur.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. —Eulallia nutrix alienam sobolem lactandam suscipit, quamvis celtica lue, aut alio contagioso morbo laboret. Qu. Utrum graviter peccet, et ad reddendam propriis parentibus prolem quam citissime teneatur?

Resp. Eulallia nutrix statim atque, non modo dum certo scit, sed cum probabiliter tantum suspicari potest, se venerea lue, aut alio contagioso morbo laborare, graviter peccat, si alienam sobolem lactandam suscipit, quia illam in tali casu probabili periculo indubitanter exponit, ut aut valetudinem perdat, aut immature moriatur. Id præter testimonium Medicorum, experientia ipsa contingere compertum est. Nam uti refert Benedictus XIV. *de Syn. Diœc. tom.* 2, *lib.* 11, *cap.* 7 § 8. *Infantes spurii, quos PROJECTOS dicimus, ad hospitale domicilium Civitatis Bononiensis delati, interdum a Nutricibus alebantur celtica lue, aliisque contagiosis morbis infectis: ex quo fiebat, ut miseri illi pueruli luem una cum lacte sugentes, aut cito interirent, aut perpetuo ægrotarent.* Quod satis est, ut graviter Eulallia, juxta omnem justitiæ legem, ad reddendam propriis parentibus prolem quam citissime teneatur. Videri possunt in hac re Eustachius Ridius Utinenus apud Astruc. *lib.* 2 *cap.* 1. Amatus Lusitanus *centur.* 1. *Curat.* 49. Hoffman *de regimine recens natorum* § 11, et tandem Krugerus apud Etmullerum, qui vocat lac *Magnetem venenorum.*

CAS. II. — Agripina obstinato animo pro certo tenet quamdam Vetulam esse sagam, cum ejus infans inceperit ægrotare, ex quo eadem Vetula illum plures exosculata est: cum autem a Confessario eidem Agripinæ beneficium Sacramentalis absolutionis denegetur, nisi tale judicium deponat. Qu. Quænam rationes adduci possunt a Confessario, ut Agripina ad tale judicium deponendum facilius inducatur?

Resp. Confessarius debet Agripinam certiorem facere, quod, quamvis ejus infans inceperit ægrotare, ex quo

ejusmodi Vetula illum pluries exosculata est, nihilominus id potuerit *naturaliter* evenire, quin eadem Vetula aut saga, aut venefica debeat judicari.

Martinus del Rio *disquisit. magic. lib.* 1, *cap.* 4, *quæst.* 4, § *Trux aspectus*, opinatur, *trucem aspectum vetularum deformi suo squalore ac tetro posse infantulos perterrefacere, eoque terrore humores concitari, ita ut morbi citius erumpant, ad quos tenellum corpusculum jam erat dispositum, ac præparatum.* Idipsum autumat Lævinus Lemnius, qui *lib.* 2, *de miraculis occultis naturæ cap.* 30, ait: *Pueros rebus pulchris affici, ac rugosas, deformesque anus exhorrescere et multa vitia contrahere ex accubitu cum illis.*

Nonnulli vero rem *magis physice* exponunt: dicunt enim, ex vetularum oculis, *ex causis mere physicis*, venenosa quædam erumpere effluvia, quæ dum tenellum infantis corpus per cutis poros pervadunt, illud ita inficiant, ut brevi ad maciem deductum lenta tabe peredatur. Et quidem in Actis Academiæ Parisiensis an. 1739, relatum legitur, speculum affabre levigatum oculis cujusdam vetulæ per aliquot horas admotum talem pinguedinem contraxisse, quæ in unum collecta experta est venenum potentissimum. Torreblanca *lib.* 2, *de Magia operatrice cap.* 37, de *naturali* fascinatione subjungit: *In physica fascinatione virulentum quemdam halitum dari, tenellos pueros inficientem, et potissimum si os vetulæ puerorum faciei nimium admoveatur, et saliva eosdem aspergat.* Quapropter Verehienius *tract.* 1, *cap.* 24, *de Saliva tom.* 2, ait. *Constat siquidem, salivam vetularum infantibus nocivam esse, immo ipsis malignam aliquam qualitatem nonnulli adscribunt.*

Ex quibus prudens Confessarius colligat, quid opportunius proferre possit, ut faciliu ab Agrippina præconceptum judicium (*si possibile est*) deponatur. *V.* Benedictum XIV, *tom.* 4, *operum de Beatif. et Canoniz. SS. lib.* 4, *part.* 1, *cap. ult.* § 13, unde hæc ferme omnia exscripta sunt.

CAS. III. — Uldaricus homo pecuniosus, cum esset

propediem cum Sempronio mercatore contractum trinum initurus, audit fortuito dici, magnum esse dissidium inter Theologos circa honestatem, et justitiam talis contractus: itaque pro securitate conscientiæ suæ consilium petit a Confessario, quid sibi agendum sit? Qu. I. Quid sit contractus trinus. II. Quodnam esse debeat Confessarii consilium?

Resp. Contractus trinus, quem pariter vocant *contractum trium contractuum*, melius describitur, quam definiatur. Est itaque societas quædam, quæ, ut verbis utar Benedicti XIV. *de Syn. Diœc. tom.* 2, *lib.* 10, cap. 7, § 2, initur hoc modo: «Titius init contractum so-« cietatis cum Sempronio mercatore, cui 1000 aureos « tradit, e quibus probabiliter sperat, se 130 lucra-« turum: sed metuens Titius, ne una cum sperato lu-« cro etiam capitale amittat, alium contractum init cum « eodem Sempronio, cui condonat 60 aureos sperati « lucri, ut, qualiscumque sit futurus negotiationis exi-« tus, ipsi caveat de securitate capitalis mille aureo-« rum; rursusque secum reputans Titius, melius sibi « fore, aliquod moderatum lucrum, sed certum ha-« bere, quam pinguius, sed incertum expectare, ter-« tium contractum cum eodem Sempronio init, quo « eidem remittit alios 20 aureos sperati lucri, ut 50 « residuos ei solvat, sive negotiatio bene, sive male « succedat. Obstringitur itaque hisce contractibus Sem-« pronius ad reddendum Titio intra certum tempus in-« tegram sortem, id est, summam 1000 aureorum « salvam, et 50 insuper aureorum incrementum.

Jam vero circa honestatem, et justitiam ejusmodi contractus tanta sæculo sextodecimo exarsit concertatio vel inter summi nominis Theologos, ut ad Pontificem Sixtum V. causa fuerit delata; qui, diligenter quæstione discussa, an. 1586. Constitutionem edidit, quæ incipit *Detestabilis*, per quam contractum trinum veluti fœneratitium damnatum iri, communiter omnes arbitrabantur.

Veruntamen, cum eidem Constitutioni variæ postmodum adjectæ fuerint explanationes, finita causa non est; adhuc enim utrum contractus trinus dici debeat

usurarius, et utrum fuerit, necne a Sixto V. proscriptus, adeo inter se digladiantur Auctores, et ita Theologi Theologis, Juristæ Juristis contrarii sunt, ut ad hæc usque tempora contentionis funem pertraxerint.

In hoc igitur opinionum discrimine prudenter Uldaricus pro securitate conscientiæ suæ consilium petit a Confessario, qui sibi agendum sit; cui Confessarius nihil aliud reponere potest, aut debet, nisi id quod Benedictus XIV. in hac ipsissima facti specie suggessit Episcopis, ut nimirum in eorum Synodis *tuto* possint *contractum trinum, quem etiam ejusdem Patroni PERICULOSUM fatentur, PRO VIRIBUS IMPEDIRE, atque ab eo ineundo suos subditos DEHORTARI; quod a plerisque Episcopis in suis Diœcesanis Synodis SAPIENTISSIME factum est. De Syn. Diœc. tom. 2, lib. 10, cap. 6. §. 6.* Præter Auctores hic cit. a Bened, XIV, V. Cl. Patrem Ballarinium *Presbyterum Veronen. in eximio opere* Bononiæ 1747. *De jure div. et nat. circa usuram, tom. 2. in append. 2, cap. 3.*

ANNO MDCCLXIX.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Tarquinius cum Samuele (ut fama est) usurario contractum societatis inivit; nimirum mille aureis pro sua virili parte mercaturæ expositis; qua cum sibi quingentos lucro jam obtigisse prænoverit, a societatis contractu resilivit; sed suam Samueli pecuniam deposito custodiendam committit, quod apud se illius periculum amittendæ non leviter pertimescat. Qu. primo: Num liceat cum eo societatem inire, de cujus fide, et honestate dubitatur?

Resp. triplici modo Samuelem ut usurarium diffamari potuisse, quod, est attendendum, ut innotescat quo dubii genere Tarquinius societatem inierit. Potuit enim

1 diffamari ut usurarius facto aliquo transeunte, quatenus contractum aliquando fecerit vere usurarium. Potuit 2, diffamari pluribus quidem factis interpolatis, sed in quibus contractus egerit nomine proprio. Potuit 3, habitualiter diffamari tanquam usurarius, non solum in iis, quæ egit nomine proprio, sed etiam in iis, quæ egit nomine sociorum, vel quatenus solus ipse contrahat sociorum nomine nullo, ipsorum inspectore; vel quatenus etiam alii socii, cum ipso contrahentes, usurarii sint, nec ullus habeatur, in cujus honestate possit aliquis conquiescere. Hac posita distinctione dico, quod si Samuel primo, vel altero modo usurarius habetur, diffamatio hæc non reddat illicitam societatem Tarquinii. Vel enim sine injuria habitualiter malum præsumere nequit, quem novit semel deliquisse; vel si pluries delinquentem audivit, sociorum fides ipsum tuetur, ne ipsum timeat usurarium in iis etiam contractibus, quos est cum ipso celebraturus. Si vero tertio modo tanquam usurarius diffamatus est, nullo modo licuit Tarquinio cum ipso societatem inire. Ratio autem est, quod Tarquinius hoc modo operans, operatur, ut aiunt, cum dubio peccati practice practico, dubitans nempe, an Samuelis injustitia determinate influat in eos contractus, quos est cum ipso proxime celebraturus, operans vero cum dubio peccati practice practico, graviter peccat. Operatur enim sine conscientia dictante licitum esse, quod agitur, et se exponit periculo graviter peccandi; quod utrumque peccatum esse, communis est Doctorum sententia.

CAS. II. — Qu. secundo: Utrum Tarquinius in recensito societatis contractu usuræ labem incurrerit, et ad lucri percepti restitutionem, etiam *in solidum*, teneatur?

Resp. affirmative pro utraque parte in hypothesi quidem, quod practice dubitans hanc societatem inierit, quam dubitationem confirmare debuit enorme lucrum, quod reportavit. Ratio primæ partis descendit ex dictis. Nam Tarquinius peccavit graviter, quatenus se exposuit periculo committendæ usuræ. Qui autem peccat se ex-

ponendo periculo peccandi, ejus peccati fit reus, cujus periculum subit. Ratio secundæ partis desumitur ex communi Doctrina de pluribus in damno illato participantibus. Cum enim unus et idem fuerit contractus Tarquinii et Samuelis, unam et eamdem in utroque parit obligationem ; atque adeo, Samuele non restituente, tenetur Tarquinius in solidum restituere. Addo autem, quod cum hæc obligatio nascatur a dubio, pro rata dubii æstimari debebit.

CAS. III. — Qu. tertio : Num saltem Tarquinio liceat, suam Samueli pecuniam custodiendam permittere?

Resp. cum distinctione. Si enim Samuel habet aliunde pecuniam, qua usuras exerceat ; neque Tarquinius hunc finem sibi proponit, ut Samuel per hoc depositum copiosius per usuras lucretur ; sed unice intendit suam pecuniam tutius servare; tunc licite poterit ipsam relinquere Samueli custodiendam ; nam in hoc casu utitur ad bonum homine peccatore. Si vero Samuel aut pecuniam aliunde non habeat, aut Tarquinius hunc finem intendat, tunc hoc depositum dabit Samueli materiam peccandi, et faciet Tarquinium participem culpæ, quæ est Doctrina Angelici Doctoris 2, 2. qu. 78. art. 4, ad 3.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Theodulphus Confessarius ex fortuita probati Auctoris lectione in cognitionem venit, se ex ignorantia culpabili absolvisse Pœnitentem ab obligatione restitutionis, et quidem in grave damnum cujusdam Titii Mercatoris. Qu. primo : Utrum Theodulphus peccaverit contra proprium munus Confessarii ?

Resp. affirmative. Confessarius enim destitutus notitia earum obligationum, quæ per communiora peccata contrahi solent, ut sunt restitutiones bonorum, satisfactiones pro injuria, et alia id genus, neque habet mediocrem illam scientiam, quæ omnino necessaria est ad ea

discernenda, quæ debent ab ipso judicari. Quapropter si conscius suæ insufficientiæ ministerio Confessionis se ipsum exponit, gravis culpæ fit reus, cum perverse, et inique sacramentali judicio se ingerat, licet imperitus Judex, et Doctor ignarus existat.

CAS. II. — Qu. secundo: Utrum possit extra Confessionem de ejusmodi restitutionis obligatione Pœnitentem admonere, quin Sacramentale silentium violetur?

Resp. cum Divo Thoma 4, dist. 21, q. 3, art. 1, quæst. 1, ad. 3. Absolute loquendo *non esse adhibendum remedium peccatis, nisi eo modo, quo deferuntur, et proinde iis delatis in foro conscientiæ, in eodem foro adhibendum esse.* Quamquam enim manifestatio extra Confessionem facta soli pœnitenti, proprie loquendo non sit fractio sigilli; est tamen, ut inquit Sotus, quoddam genus quasi revelationis, quod sigillum ostendit, Dixi absolute loquendo: Nam si pœnitens, vel prior ipse loquatur de hac restitutione, tanquam in Confessione manifestata, vel Confessario petenti det liberam, et expressam licentiam, absque injuria sacramentalis silentii poterit Confessarius contractum in Confessione auditum cum pœnitente commemorare, atque ipsum admonere de obligatione restitutionis. Quæ sententia inter Theologos nunc est communissima. Quod enim ex veteribus quidam cum Durando opponebant, jus sigilli sacramentalis non solum pertinere ad pœnitentem, sed etiam ad reverentiam Sacramenti, et Communitatem fidelium, cui pœnitens renunciare non potest, id in re nostra locum non habet. Nam cum agitur de gravi causa, et habetur expressa pœnitentis licentia, cessat ratio secreti naturalis, tollitur odiositas Confessionis, nec Sacramento irrogatur injuria.

An vero, pœnitente hanc facultatem denegante, possit Confessarius sine fractione sigilli suum errorem corrigere, variant Auctores. Affirmant aliqui cum Suarez disp. 31, sec. 5, n. 3, cum et ex una parte Confessarius proprie non loquatur extra Confessionem, sed solum perficiat quæ antea inchoata, et imperfecta remanserant; ex altera vero nihil loquatur de Confessione, sed

solum emendet malum consilium. Negant vero communius, cum hac etiam manifestatione reddatur odiosa Confessio, quæ odiositas omnino est devitanda.

CAS. III. — Qu. tertio : An si Pœnitens nequeat reperiri, et damnum emergat Mercatori, ad illud resarciendum Confessarius ipse teneatur ?

Resp. affirmative. Confessarius enim, qui lata culpa positive deobligavit pœnitentem a restitutione, ad quam tenebatur, actu positivo peccavit contra justitiam, et sicuti consulens damnum censetur causa moralis ejusdem damni, et si nequeat consilium suum retractare, aut alia ratione damnum impedire, tenetur resarcire de suo; ita Confessarius in re nostra, si nequeat pœnitentem adire, suumque errorem corrigere, tenetur omnino resarcire de suo damnum, quod emergit Mercatori.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Filibertus Sacerdos inter Missarum Solemnia, dum Canonem dicit, gravissimis angitur scrupulis, ex quo adverterit, Subdiaconum plus aquæ ultra morem in sacrum Calicem profudisse. Qu. primo : Quænam aquæ quantitas, juxta Ecclesiæ præscriptum, misceri debeat vino, ut Consecratio Calicis *licite* peragatur ?

Resp. Super hac re ante nonum Ecclesiæ sæculum nihil legi a Majoribus constitutum. Hoc enim permittebatur ministrorum arbitrio; dummodo aqua vinum non superaret. Cum autem abusus irreperent progressu temporis, diversis successive decretis repressi sunt. Sic in Concilio Triburiensi Canone decimo nono statutum est, *duas saltem in Calice debere esse vini partes, tertiam aquæ,* non quod aquæ quantitas tertiam partem necessario debeat æquare, sed quod ad minus debeat vini quantitas esse duplo major, quam aquæ. Ineunte sæculo XIII. Honorius Tertius Summus Pont. *de cel. Miss. c. perniciosus*, ad quemdam Archiep. his verbis rescripsit : *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, vi-*

delicet, quod majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino, cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum, ideoque Fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias, nec in tua Provincia fieri patiaris. Idem vero sæculo decimo quinto ab Eugenio Quarto statutum in Decreto pro Instructione Armenorum, ubi declarat Summus Pontifex: *Aquam modicissimam esse Calici infundendam.* Habetur etiam Constitutio Pii Quinti ad Archiepiscopum Tarraconensem, qua nonnullos redarguit, *qui non guttam aquæ, ut fieri debet, sed plus aquæ, quam vini in Calicem infundebant, quod omnino corrigi, et emendari præcipit.* Ad quod emendandum erat olim statutum in quibusdam Ecclesiis, ut sacri ministri aquam vino miscendam parvo cochleari primum exciperent, et deinde in Calicem funderent, quem morem adhuc servant Carthusiani. Constat itaque, ex Ecclesiæ præscripto modicissimam aquam esse vino infundendam, ut Calicis consecratio licite peragatur.

CAS. II. — Qu. secundo: Quantum vini supra aquam requiritur, ut *valida* sit ejusdem Calicis Consecratio?

Resp. plerosque Scholasticos opinari, quod si in Calice plus esset aquæ quam vini, nulla et irrita foret Consecratio. Auctor vero rei Sacramentariæ lib. 4, c. 2 § 3, ab his Theologis rationem desiderat, qua hanc sententiam tueantur. Quamquam enim maxima fuerit congruentia, cur Ecclesia præceperit, modicissimam aquam cum vino misceri, quia vinum est materia essentialis Sanguinis consecrandi, aqua vero ad essentiam Sacramenti, et Sacrificii non pertinet, quippe quæ solummodo significat mysticam populi Fidelis cum Christo Capite conjunctionem, convenit autem, ut materia essentialis superet accessoriam; nullum tamen Ecclesiæ Decretum, nulla Majorum occurrit auctoritas, quæ ostendat, irritam fore consecrationem, si vinum aquam non superet. Equidem a Patribus Synodi Triburiensis superius laudatis, et a Summis Pontificibus Honorio

III., et Pio V. quorumdam est repressus abusus, qui contra rationabilem Ecclesiæ generalis consuetudinem plus aquæ quam vini in Calice infundebat, sed irritum propterea Sacramentum, ac Sacrificium fieri a nemine dictum.

Quod si aut rationem attendimus, aut Christi exemplum consideramus, nihil inde conficitur. Non ex ratione. Nam licet sit in Calice major aquæ moles, quam vini, vinum nihilominus est, nec propterea deserit naturam suam, nec spiritus, ac robur deperdit. Quod si vinum est, valide ergo consecratur, quantumvis aqua præponderet. Non ex Christi exemplo: nam potius summa ejusdem sobrietas, Hebræorum consuetudo, conditio climatis, et vini, quod in eo nascitur, generositas summa, admonere videntur, non modicam aquæ quantitatem fuisse Calici infusam.

Hæc sunt argumenta Auctoris laudati, cujus Doctrina si placeat, erit cum ipso concludendum, quod licet in Calice plus aquæ, quam vini reperiretur, peccaret quidem gravissime minister, qui consulto sic ageret, quippe qui contemneret Ecclesiæ auctoritatem, et praxim; si tamen vera retineretur vini natura, valida esset consecratio.

CAS. III. — Qu. tertio: In ejusmodi animi angustiis quid a Filiberto agendum sit?

Resp. attendendum esse quem excessum respiciant animi angustiæ, quibus agitatur Filibertus. Vel enim respiciunt excessum aquæ, quæ juxta morem Ecclesiæ debet infundi, ut licita sit consecratio; vel respiciunt excessum aquæ, cujus infusa quantitas juxta superius dicta reddit invalidam consecrationem. Si primum, debet acquiescere, ne obmurmuratio illa, quæ ad hunc errorem corrigendum necessaria est, excitet in circumstantibus admirationem, et scandalum pariat. Nam licet hunc morem Ecclesiæ teneatur Sacerdos sub gravi servare, tamen post factum, factum ipsum ratum habet Ecclesia, ne Sacrificii ordo, et adstantium devotio perturbetur: quod etiam apparet in aliis ritibus, qui licet sub gravi præcipiantur, si tamen ex inadvertentia

fuerint aliquando variati, fert consuetudo, errores tolerari, ne erroribus aliis cum admiratione corrigantur.

Si vero excessus aquæ, quo angitur Filibertus, reddat invalidam consecrationem, tunc procul dubio nova vini quantitas erit addenda, ne Sacramentum, et Sacrificium in sua essentia vicietur.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Sunt, qui obmurmurant, ex quo Themistocles Confessarius cum quibusdam spiritualibus fœminis ferme quotidie per plures horas in Sede Confessionali immoratur, dum earum sacras excipit Confessiones; tum ad Eucharisticam Mensam ferme itidem quotidie illas admittit. Qu. primo: An ejusmodi obmurmuratio sit temeraria?

Resp. Cum nomine obmurmurationis veniat sermo in malum inclinans, et proximi charitatem offendens, ut innotescat, an hic sermo sit temerarius, animadvertere oportet, an innitatur sufficienti fundamento. Si enim, qui in hunc modum obmurmurant, aliud motivum non habeant, nisi quod videant Confessarium hunc quotidie in Confessionali sede commorantem, easdem fœminas diutius detinentem, utique obmurmuratio hæc erit temeraria. Actio nempe de se bona est, et suapte natura in bonum sensum facile interpretanda. Qui enim hoc vident, opinari debent, Confessarium hunc animas nactum, quæ spiritu Dei aguntur, instruere ipsas in scientia Sanctorum, iter perfectionis ostendere, atque ad Orationem erudire. Neque refert, quod has præ cæteris, et frequentius, et diutius detineat. Nam, ut egregie aiebat Sanctus Franciscus Salesius, sicuti lapidarii gemmas pretiosiores majori diligentias expoliendas aggrediuntur, majusque in iis tempus insumunt, quam facere soleant in aliis lapidibus rudioribus; sic Dei ministri, si animam deprehenderint, tanquam pretiosam gemmam Dei templo facile inserendam, debent ipsam attentius limare, et diligentius custodire.

Si vero in hunc modum obmurmurantes hoc ideo faciant, quod vel videant Confessarium in hac re tempus consumentem deesse muneribus, quæ graviora sunt, et ad ipsum incumbunt; vel audiunt maritos, vel parentes conqueri, quod fœminæ hujusmodi Confessarii consiliis plus æquo indulgentes, dum in Ecclesia tempus insumunt, familiarum regimīni non satis invigilant, sua deserunt officia, sunt aliis gravamini, atque, ut aliquando accidit, otium potius, quam pietatem sequentes, de aliorum laboribus vivere satagunt, cum esset laudabilius, quod ipsæ etiam operarentur consilio manuum suarum; tunc utique obmurmurationes hujusmodi suo fundamento non carerent, et nisi excederent in modo, non essent temerariæ.

CAS. II. — Qu. secundo: An Confessarius ratione aliqua imprudenter se gerat?

Resp. hujus quæsiti solutionem ex hactenus dictis facile derivari. Duplex enim differentia, in qua Confessarius, et pœnitentes possunt reperiri, circumstantias designat, quibus attentis, de Confessarii prudentia facile judicetur. Addi tamen generaliter potest, obmurmurationes hujusmodi aliquam in Confessario imprudentiam sæpe indicare. Si enim in hisce mulieribus dirigendis, etiam quando et sunt sui juris, et ad veram pietatem inclinant, singularitates omnes declinaret, et illis ostendens semitam perfectionis, præ oculis perpetuo haberet, quod est præclare dictum a Divo Bonaventur. esse veram perfectionem, vulgaria quæque, et communia, quæ sui muneris sunt, perfecte servare, compesceret facile querimonias hujusmodi, ne veram devotionem contemptui exponeret, piasque illius consuetudines obnoxias faceret vulgi dicteriis.

CAS. III. — Qu. tertio: An Eucharistica Communio, prout in casu, sit tam frequenter concedenda?

Resp. Communionis frequentiam, si circumstantiis casus accommodanda sit, facile posse determinari. Cum enim mulieres hujusmodi in duplici statu posuerimus, ex dictis clare colligitur, quibus concedenda sit tam fre-

quens communio, quibus neganda. Si vero Confessariis generalis regula tradenda sit, magna statim proponitur controversia, cujus expositionem brevitas hujus resolutionis non patitur. Ad hanc vero litem præcidendam, egregie pro more suo Benedictus XIV. in aureo Opere de Synodo Diœcesana lib. 7, cap. 12, legendum, servandumque proponit Decretum, quod, jubente atque approbante Innocentio XI, anno 1679. promulgatum est, cujus hæc verba transcribit: *In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos seu Confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, et præparationis modo varius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet... Proderit etiam præter Parochorum, et Confessariorum diligentiam, opere quoque concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi, ut cum Fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione Orationem habeant; generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi Cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine discant cœlestem Mensam, in qua Christus est, revereri, et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere.* Hæc itaque Confessarius attendat, quod cum fecerit, quod in Domino expedire videbitur, libere consulat, et exequatur, vanasque obtrectatorum querelas, qui sibi non similes reprehendunt, nihili faciat.

MENSE MAII.

CAS. I. — Galeatius absque ulla Superiorum facultate libros *in Indice* vetitos, tum editos, tum manuscriptos legit. Qu. primo: Utrum graviter peccet?

Resp. certissimum esse, Galeatium prohibitionis non ignarum, libros vetitos legentem in notabili quantitate, graviter peccare. Quoties enim habemus materiam gravem, advertentiam requisitam ad actum humanum, et legem sub gravi prohibentem, habemus omnia, quæ sufficiunt ad grave peccatum. Hæc autem omnia habentur in casu. Nam ad legem quod attinet, tot occurrunt summorum Pontificum Constitutiones, eæque tam omnibus obviæ, ut eas hoc loco recensere superfluum videatur.

Quæ potius explicationem aliquam postulant hujus modi sunt: 1. Quid veniat nomine libri. 2. An detur in hac lectione parvitas materiæ, et quibus limitibus coercenda. 3. Quæ ignorantia excuset a peccato. Ad quæ declaranda, ad 1 dico esse, qui putent cum Sanchez, Layman, aliisque Concionem, Orationem, Epistolam, brevemque disputationem libros non esse, adeo ut, si sequamur istorum opinionem, neque libri nomine debeat designari quæcumque scriptura, quæ decem foliis sit minor; cujus quidem opinionis hanc afferunt rationem, quod lex odiosa est, libertati humanæ contraria, atque adeo stricte interpretanda de iis solum scriptionibus, quæ proprie veniunt sub nomine libri. Verum opinio hæc nimis laxa videtur, tum quia nuncupatio libri ad errorem disseminandum non refert, quin potius quo scriptura est brevior, eo facilius propagatur, et legitur, atque adeo si virus contineat, facilius etiam legenti propinat: tum quia vel ipsæ theses juxta stilum Curiæ Romanæ libellorum nomine designantur, et Patrum loquendi ratio Sermones, Epistolas, etc. libros appellat. Nec valet opposita ratio, nam potius lex hujusmodi favet fidei, et libertati a peccato, atque adeo stricte accipienda.

Ad alterum negant aliqui cum Ugolino dari in hac re parvitatem materiæ, sed ipsam alii communius admittunt, licet varient in ea definienda, cum alii ad lineas, alii ad paginam, alii ad folium ipsam extendant. In hac varietate si quid juvat determinare, commodior erit determinatio illa, quæ non a lectione, sed potius a circumstantiis mensuram desumat, adeo ut attendi potissimum debeat legentis conditio, subversionis periculum, et qualitas materiæ, quæ legitur.

Ad 3 respondeo, notitiam juris et facti ad culpam requiri; esse autem diversimode attendendam, si loquamur de pœna, de qua in sequenti casu disputabimus. Ignorantia enim omnino invincibilis excusat omnino a culpa, et pœna; leviter culpabilis excusat a culpa gravi, et a pœna; crassa, et supina excusat quidem a pœna, non autem a gravi culpa.

CAS. II. — Qu. secundo : Utrum aliquam censuram incurrat ?

Resp. attendendas esse super hac re Pontificum constitutiones, quæ in regulis Indicis indicantur, ex quibus colligitur, legentes libros Hæreticorum, hæresim continentes, seu de Religione tractantes ; libros Auctoris suspecti de hæresi, expurgatione indigentes, et nondum expurgatos: libros demum agentes de Astrologia, seu divinatione ex astris futurorum contingentium, et a libero arbitrio dependentium, incurrere excommunicationem, reservatam Pontifici. Præterea legendum est monitum quod in sua Præfatione ad novam Indicis editionem præbet lectoribus in hæc verba Thomas Richinius : « Jam vero reticendum non putamus, quod non ii dumtaxat libri excommunicationis reservatæ pœna sunt proscripti, qui ab hæreticis compositi de Religione Catholica ex professo agunt, hæresesque docent, quod Litteris Apostolicis, etc. statuitur; sed quod ii etiam fere omnes libri hujusmodi pœna proscribuntur, qui post prædictam Alexandri VII. Constitutionem editam die 5 Martii anni 1664. Brevibus, aut bullis Pontificiis prohibiti indicantur, ut ex ipsis Brevibus intelligi potest. »

Quod vero attinet ad alios libros præsto sunt verba,

quæ habentur in regulis Indicis Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ jussu editi, in fine regulæ decimæ, quæ sunt hujusmodi : *Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.* Ex quibus verbis colligitur, horum librorum lectioni nullam esse inflictam excommunicationem, nisi arbitrio Episcopi infligeretur.

CAS. III. — Qu. tertio : Utrum manuscripta cadant sub Indicis prohibitione.

Videretur dicendum, etiam manuscripta generatim comprehendi sub Indicis prohibitione, cum id suadeat ratio, et auctoritas. Ratio, inquam, nam etiam manuscripta sunt libri, et priusquam ars Typographica esset inventa, libri Hæreticorum calamo exarati, ut modo sunt, fuissent prohibiti. Auctoritas vero desumitur ex regulis Indicis. Nam regula 9 hæc habentur : « Libri omnes, *et scripta* Geomantiæ, Hydromantiæ, etc. prorsus rejiciuntur. » Pariter in regula 10 legitur : « Eos vero, qui libellos *manuscriptos* vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem pœnis subjici debere judicarunt Patres deputati, quibus impressores, et qui eos habuerint, et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. » Tandem in fine ejusdem regulæ ita legitur : « Quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris *scripta*, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. »

At vero opposita ratio parum nos movet, cum eodem robore facile possit utrique parti favere. Sicuti enim, qui dicunt, manuscripta comprehendi, utuntur hac ratione : *manuscripta sunt libri :* ita qui negant comprehendi, utuntur hac alia : *manuscripta non sunt libri ;* atque fortasse poterunt ipsam ex regulis juris efficacius promovere. Nostra itaque resolutio tota erit ex auctoritate repetenda. Hujus autem vigorem si attente perpendimus, media quadam via incedendum videtur, adeo ut non omnia manuscripta comprehendantur, sed ea tantum, de quibus fit expressa commemoratio. Cum enim

habeamus inter regulas juris, quod exceptio firmat regulam in contrarium, hoc ipso, quod non ubique, neque alicubi generatim in regulis Indicis de manuscriptis sermo habeatur, dicendum videbitur, ea solum manuscripta sub hac prohibitione comprehendi, super quæ cadit exceptio, in reliquis vero contrariam regulam esse servandam. Quod vero Indicis regulæ nec ubique manuscripta commemorent, nec alicubi generatim ipsa comprehendant, facile constabit, si quæ sunt exposita diligentius considerentur. Nam in regula 9 solum est sermo *de scriptis Geomantiæ*, *etc.*, in regula 10 solum est sermo de scriptis ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibitis.

Neque valet, quod in iis verbis ejusdem regulæ 10: *Qui libros manuscriptos vulgant*, *etc.* nulla appareat exceptio : exceptio enim, quæ non apparet in iis verbis, colligitur ex contextu sermonis. Ea quippe regula tota est, ut animadvertat in Impressores librorum, legesque statuat, quibus subjacere debent, ne libros imprimant aut fidei, aut moribus noxios; quæ leges cum facile eludi possent, si ad evadendam hanc animadversionem manuscripta adhiberentur ad hujusmodi divulgationem, fuit propterea sapientissime provisum, et cautum, ut vulgatores hujusmodi libellorum iisdem pœnis subjicerentur, ac Impressores. Quæ prudens provisio satis ostendit, etiam in hac parte suam exceptionem haberi.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Fridericus Parochialis Beneficii Patronus, cum ei sit in animo eligendi in novum Parochum quemdam Capellanum, consulit illius Plebanatus Archipresbyterum, qui de eodem Capellano talia revelat, ut Fridericus ab illo eligendo penitus amoveatur. Qu. Utrum teneatur Archipresbyter ad aliquam damni recompensationem?

Resp. Fridericum secreto inquirentem ab Archipresbytero idoneitatem Capellani a se eligendi, sui muneris partes explevisse. Communicant enim, ut inquit Triden-

tinum sess. 24, c. 1, alienis peccatis, et graviter peccant, qui non eligunt digniores, et quos magis utiles Ecclesiæ noverint: qua de re Patronis incumbit eligendorum merita, nisi aliunde ea habeant satis perspecta, diligenti inquisitione perpendere, iisque perpensis *non precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis* ad electionem venire. Si autem peccasset Fridericus inquisitionem omittens, peccasset etiam Archipresbyter non revelando inquirenti, quæ Capellanum reddebant indignum, aut minus idoneum, adeo abest, ut suapte natura ea revelando injustitiam commiserit, atque ad restitutionem teneatur.

Dixi suapte natura, nam potuit Archipresbyter excedere in modo, vel manifestando falsa, vel crimina occulta sic revelando, ut injuste removeret suum Capellanum ab hac electione. Si excessit revelando falsa, tunc utique contra justitiam peccavit, atque ad restitutionem tenebitur. Nam licet Capellanus non haberet jus ad electionem, habebat tamen jus, ne iniquis artibus ab ipsa impediretur; quod impedimentum cum habuerit ab Archipresbytero, passus est damnum, quod Archipresbyter arbitrio prudentum resarcire debebit.

Si vero excessit, vera quidem revelando crimina, sed occulta, respondeo cum Lessio lib. 2, c. 12, disp. 18, vel ita revelavit, ut sequuta sit infamia apud plures, vel revelavit soli Collatori. Si priore modo, et illa infamia sit causa, cur Fridericus non conferat, alias collaturus, tenebitur restituere, quia per injuriam fuit damni causa. Si secundo modo, non tenebitur, quia quando agitur de officiis, et beneficiis, jus est ea patefacere, quæ hominem minus habilem, et collationem minus decoram efficiunt. Hac enim de causa sumi solent informationes occultæ. Ratio autem est, quia non est iniquum id patefacere, cujus ignoratio redderet involuntariam collationem, sed ignoratio horum criminum redderet involuntariam collationem, ergo per ipsam nulla committitur injustitia, nec ulla oritur obligatio restituendi.

CAS. II. — Gabinius in iis reperitur circumstantiis,

ut proximo, cui *graviter* detraxit, nequeat famam restituere, nisi saltem *leviter* mentiatur; dicendo scilicet, id quod opposuit proximo, esse *falsum*, quamvis reipsa *verum* sit. Qu. primo : Quid sentiendum in hac re?

Resp. certissimum esse, quodlibet vel leve mendacium esse ab intrinseco malum; et cum nulla ratione, in nulla circumstantia possit cohonestari, neque licitum erit ad restituendam famam proximi, graviter læsam. Adverto tamen, posse Gabinium famam proximi restituere adhibendo æquivocationem. Quamquam enim prohibitus sit usus restrictionis pure mentalis, gravi tamen interveniente causa, non est prohibita æquivocatio, quæ aut ex verbis, aut ex circumstantiis possit intelligi. Plures autem sunt modi, qui ab Auctoribus recensentur ad æquivocationem in re nostra licite usurpandam. Qui enim vera crimina manifestando, graviter detraxit proximo suo, potest dicere : 1, cum Divo Thoma. — Mihi credendum non est in eo quod dixi, nam fatue, et perperam dixi; 2, cum Jo. Major. — Quando id dixi, verum putabam, sed adhibita diligentia inveni, me male, et stulte id affirmasse; 3, cum Medina. — Cum tale crimen revelavi, non bene adverti, postea enim deprehendi, me fuisse deceptum; 4, cum Bannis. — Nesciens quidquam mali de illo homine (nesciebat enim ad revelandum) ex passione dixi tale crimen; 5, cum Rebel. — Erravi in hac re, mihi non credatis, (errant enim omnes, qui operantur malum, Prov. 14.) 6, cum eodem — Ignoranter locutus sum (omnis enim peccans est ignorans.) 7, cum Molin. — Quod dixi non credas, nam ex mea malitia id dixi.

At vero facile video, has loquendi rationes, utiles quidem futuras apud idiotas, et simplices, sed apud astutos, et doctos fortasse perniciosas. Nam cum noverint retractare debere eum, qui proximum infamavit, si audiant adhiberi hujusmodi tergiversationes, potius certiores fient de criminis veritate. Quapropter, ut apud istos, qui proximum infamavit, famam restituat, sunt qui putant, adhuc liberius dicere posse, se falsum dixisse, et vere protulisse mendacium, intelligendo sci-

licet de falso practico, sicuti omnis actus, legi divinæ difformis, vocatur falsitas, et omnis voluntas recta, veritas appellatur. Revera enim etiam in sacris Litteris peccatum passim appellatur mendacium, et opus bonum dicitur veritas. Sic Ps. *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium*, id est peccatum? et Jo. 3, *Qui facit veritatem* (id est opera bona) *venit ad lucem.*

His itaque modis utatur Gabinius ad famæ restitutionem, quibus si videat se uti non posse, nisi mendacii labem incurrat, non sibi putet licere mentiri.

CAS. III. — Qu. secundo: Utrum hic locum habeat effatum illud : *De duobus malis minus est eligendum ?*

Resp. quæstionem hanc definiri non posse, nisi primum in casu exposito declaretur, ex duobus malis, quæ invicem comparantur, quodnam dicendum sit *munus*, quodve *majus* videatur. Vel enim in mendacio consideratur ratio vera mendacii, adeo ut necessarium omnino sit saltem leviter, sed vere mentiri ad famam proximi reparandam; vel mendacium assumitur, prout improprie cum æquivocatione confunditur, quæ in casu, cum ex verbis, aut circumstantiis detegi possit, omni potest peccato carere. Pariter cum disputatur de fama proximi, vel potest considerari actualis injusta læsio ejusdem famæ, vel potest considerari damnum famæ jam amissæ. Hoc posito si quæstio hisce terminis proponatur ; *Licetne vere mentiri saltem leviter ad famam proximi reparandam juxta illud effatum: De duobus malis minus est eligendum ?*

Resp. negat., neque hoc effatum in quæstione proposita locum habet, nam mendacium est majus malum, quam malum impediendum per famæ reparationem. Est, inquam, majus malum mendacium, quam malum impediendum per famæ reparationem, cum, utpote intrinsece malum, sicuti fornicatio, ratione ulla cohonestari non possit. Nec refert, malum quoque esse læsionem famæ injustam, nam in casu læsio famæ jam præcessit, et huic læsioni non comparatur mendacium, sed damno famæ jam amissæ. Quem ob rem dato etiam,

quod esset minus malum injusta læsione famæ leve mendacium, tale non est in casu nostro; nam leve mendacium est malum culpæ, damnum vero illud ex culpa tantum consequitur. Quod si mendacium intelligeretur nomine minoris mali, locum potius haberet effatum aliud, *Non sunt facienda mala, ut veniant bona*, juxta illud Apostoli ad Rom. 3, 8, *Non faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est.*

Quid vero dicendum, si sola æquivocatione possit obtineri amissæ famæ reparatio, et an in hoc casu dictum effatum locum habeat, satis, ut arbitror, ex superiori resolutione descendit. Cæterum generalius respondeo, juxta communem acceptionem, qua illud effatum a Theologis usurpatur, secundum ejus consectaria casum hunc resolvi non posse. Oporteret enim, quod inter mendacium, et famæ restitutionem esset alterutrum necessario eligendum, quod in re nostra verum non est, ut disputat Bossius parte 2, tit. 1, § 36, seq.

MENSE JULII.

CAS. I. — Parochus usque eo pro Majestate Domus Dei exardescit, ut totus in eo sit, quod ejus Ecclesia picturis, sculpturis, auro, pretiosisque supellectilibus exornetur, tantamque quotannis pro solemniori Festorum celebritate impensam agit, ut tandem parum ei supersit, quod det pauperibus. Qu. Utrum agat ejusmodi Parochus juxto Canonicas sanctiones?

Resp. negat. Nam licet Parochus Ecclesiæ decus decentia omni, atque munditia debeat procurare, Sanctorumque memoriam ea devotione recolere, quæ animos Fidelium ad pietatem accendat; præcipue tamen de pauperibus debet curam habere. Sancti (ut egregie Chrysost. super Matth.) *non gaudent, quando ex illis pecuniis honorantur in quibus pauperes plorant.* Constans enim hæc fuit a primis usque temporibus Ecclesiæ sententia, et universalis Patrum Doctrina, cui perpetuo

se conformarunt Pastores omnes, quorum memoria in benedictione transivit ad posteros. Novimus nempe, juxta hanc traditionem res Ecclesiæ esse vota Fidelium, pretia peccatorum, et pauperum patrimonia. Canonicas vero sanctiones fuse prosequitur Gibertus tract. 12, de bonis Ecclesiæ, Genuensis in Man. c. 48. Franciscus Leo punct. 1, c. 15. Squillant. part. 1, c. 7., et alii passim, ad quos lectores remitto, cum superfluum videatur fusiori calamo prosequi, quæ ubique sunt obvia.

Verum neque hac diligentia opus est Parocho, ut sui muneris partes facile agnoscat. Est enim opportune provisum in Synodo Diœcesana, in qua lib. 3, c. 3, leguntur hæc verba: *Cæterum superfluos Ecclesiæ reditus in pios usus noverint expendendos: pupillorum, viduarum, egenorum necessitatibus quam fieri potest consilio, et eleemosynis consulant, memores Christum Dominum in Evangelio dixisse, Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Illudque Prophetæ reformident: Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges a pastoribus pascuntur? Omnem avaritiæ suspicionem supprimant, et quamvis ordine charitatis a natura propinquos amare doceamur, sit moderatus amor, non cura pro domesticis cumulandi.*

CAS. II. — Albericus Parochialis Ecclesiæ OEconomus constanter renuit, quod Euphemia ejus Parochiana ab alio Parocho in Matrimonium conjungatur; atque id *principaliter* negat, ob lucrum, quod amitteret, nuptialium oblationum, si eidem Matrimonio *personaliter* ipse non adesset. Qu. An obstinatus Alberici dissensus dici possit simoniacus?

Rosignolius contr. 8, de Sim. præn. 16, proponit hunc casum. An Parochus concedens facultatem alteri Sacerdoti assistendi Matrimonio, ea adjecta conditione, ut si eidem Delegato aliquid pretio æstimabile per Contrahentes conferatur, id ipsum, vel saltem illius partem teneatur sibi conferre, an, inquam, hic Parochus per hanc conditionem incurrat simoniam; atque hunc casum

ita resolvit. — Quod si illud exigatur tamquam pretium illius facultatis delegato concessæ, utique committatur simonia; si vero illud sibi reservet tanquam extraordinarium emolumentum, quod ex gratuita Contrahentium donatione pro tali munere assistentiæ quandoque confertur, non esset simonia. — Ex hac resolutione, pro qua citantur ab ipso Sylvester, Suarez, et Ugolinus, facile apparet, obstinatum Alberici dissensum dici quidem posse simoniacum, si lucrum respiciat tanquam pretium assistentiæ, secus vero si ipsum intendat vel ratione congruæ sustentationis, vel ratione consuetudinis, quam in hac Diœcesi introductam videmus.

At vero obstare facile poterit particula illa *principaliter*, quasi eadem attenta simoniaca labes vitari non possit. Nam Innocentius XI, cum num. 45, damnasset asserentes, non esse simoniam dare temporale pro spirituali, quando temporale non datur tanquam pretium, etc., n. 46, hanc quoque sententiam proscripsit.— *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* Ex qua proscriptione sic possumus argumentari: Cum temporale est principale motivum dandi spirituale, committitur simonia; ergo etiam committitur, cum temporale est principale motivum negandi spirituale, ut in casu nostro contingit, nam Albericus principaliter negat assensum, ne lucrum amittat.

Verum respondeo, damnatam propositionem nobis non adversari; licet enim Albericus principaliter intendat lucrum, non ipsum tamen intendit ut pretium assistentiæ, sed, ut vidimus, vel ratione congruæ sustentationis, vel ratione consuetudinis, quæ quidem intentio non est simoniaca. Sic v. g. qui dat stipendium pro Missa, principaliter intendit Missam; nec tamen hæc intentio est simoniaca, quia Missam non intendit ut pretium stipendii, sed in ipso stipendio sibi tantum proponit sustentationem Ministri. Porro in damnata propositione licet habeantur ea verba *temporale motivum*, tamen ut adnotant Viva in dic. prop. et Salm. 1, 2, per

inde est ac si diceretur *temporale pretium*. Quando enim dantur res spirituales principaliter propter rem temporalem, non dantur omnino gratis, sed practice dantur cum aliquo pacto implicito imponendi alteri novam obligationem, atque ita motivum in pretium convertitur. Quapropter, qui ex ipsa propositione vellet contra nos argumentari, deberet ita procedere. — Cum temporale est principale pretium rei spiritualis, committitur simonia; ergo a pari cum lucrum temporale habetur ut pretium assistentiæ, cujus facultas principaliter negatur, ne hoc lucrum tanquam ejus pretium amittatur, committitur simonia. In hoc enim argumento vera utique esset consequentia: at nemo non videt, quam diversa sit nostra ratiocinatio, quæ in hoc tantum resolvitur, ut liceat Alberico ratione propriæ sustentationis, atque ad servandam consuetudinem sibi favorabilem pro nuptialibus hisce oblationibus cum alio contendere, quod omnes concedunt.

CAS. III. — Magna est concertatio inter Parochum, et Capellanum, utrum Mulier uxorata, seu Vidua, vivente ejus Patre, adhuc remaneat sub ejusdem Patris potestate. Qu. Quid juris in hac re?

Resp. Patriam potestatem definiri a Rosignolio c. 2, n. 3. *Jus radicaliter a natura insitum, et per jura civilia modificatum, quod habet Pater in Filios, eorumque bona ex vi legitimæ generationis.* Patria enim potestas vel potest considerari relate ad aliqua munera, et obsequia naturalia, quæ scilicet natura ipsa ex vi naturalis generationis omnibus indidit; vel potest considerari in ordine ad aliqua specialia munera, quæ per jus civile fuerunt specialiter inducta. Hac posita distinctione, ad propositam quæstionem respondeo, attentis iis, quæ in jure naturali radicem habent, certissimum esse, Uxoratam et viduam, Patre adhuc vivente, sub ejus potestate remanere; attentis vero iis, quæ a jure civili proficiscuntur, attendendum esse, quid jura ipsa disponant. Id porro inquirentes sustinent communius Doctores, attento jure communi filiam transeuntem ad nuptias a Patria potestate non eximi, quamquam non negent,

quod si alicubi vigeant jura municipalia, ipsas eximentia, hæc debeant suum effectum habere, sicuti effectum habent apud Hispanos, et Gallos, ubi vigent hæc jura, ut Sanchez testatur.

Quod autem jus commune ita disponat, ostenditur, 1° ex generali extensione Patriæ potestatis, in qua etiam Filiæ uxoratæ comprehenduntur; § enim *Qui igitur* 3, *instit. de Patria potestate* de Masculis et Fœminis, nulla exceptione facta, generatim fit mentio, legitur enim: *Qui igitur ex te, et uxore tua nascitur in tua potestate est. Item qui ex filio tuo, et uxore ejus nascitur, id est nepos tuus, et neptis æque in tua sunt potestate, et pronepos, et proneptis, et deinceps cæteri.* Ostenditur 2° ex peculiari dispositione, qua de uxoratis fit sermo; et expresse deducitur *ex l. Si uxorem, c. de condit. inser.*, ubi relictum alterius uxori, quæ tempore nuptiarum fuerit sub Patria potestate, acquiritur ejus Patri, secus si tempore earumdem nuptiarum fuerit a Patre emancipata, quod signum evidens est, ratione nuptiarum non amitti potestatem Patris in Filiam, quia secus legatum hoc non pertineret ad Patrem.

Obstare tamen videtur Apostoli auctoritas, qui ad 1. Cor. 7, inquit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Et rursus: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* Verum respondeo cum Rosignolio laudato capite n. 18, hujusmodi verba non ferire patriam potestatem, sed tantum referri ad obsequia Matrimonialia; cæteroquin nec Masculi nubentes subjicerentur patriæ potestati, cum ipsi quoque subdantur potestati uxoris, asserente eodem Apostolo: *Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quod igitur Mulier potestati viri subdatur, est solum intelligendum quoad debitum carnis, et alia munera Matrimonialia, quæ patria potestate turbari non debent. *Si enim*, ut notat Glossa, *non velit turbare matrimonium, sed patriam potestatem modice exercere, non obstabit ei hæc exceptio, sed agere poterit cum effectu.*

Hæc porro, quæ diximus de Uxorata, probant etiam

de Vidua. Si enim per nuptias, quamquam fiat subdita viro, non eximitur Mulier a patria potestate, multo minus eximi poterit, cum illo defuncto, ab ejus subjectione liberatur.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Completa decennali cujusdam fundi locatione, conductor repetit a Titio ejusdem fundi domino omnes impensas, quas ipse egit, quibus scilicet fundum ipsum et ædificiis, et plantationibus meliorem fecit, et reddidit amœniorem. Titius vero firmiter negat earumdem impensarum refectionem, cum illas Conductor egerit *se penitus inconsulto*. Qu. Pro qua parte pugnet ratio?

Resp. rationem pugnare pro Conductore, si tamen intelligatur cum debitis exceptionibus. Docent enim communiter Doctores, Locatorem obligari ad refundendas expensas, tam necessarias, quam utiles a Conductore in rem locatam factas, et duraturas etiam post finitam locationem. Probant autem textu clarissimo in *l. Dominus* § 1, *ff. hoc titulo* 16. *Si in conducto fundo Conductor sua opera aliquid necessario, vel utiliter auxerit, vel ædificaverit, et instituerit, cum id non convenisset ad recipienda ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundi experiri potest.* Addunt vero rationem, quia illa melioramenta, sive necessaria sint, sive dumtaxat utilia, quando inserviunt vel in perpetuum, vel ultra tempus conductionis, cedunt in utilitatem rei locatæ, et locantis, ergo per eumdem sunt compensandæ. Tenet consequentia, quia nemo tenetur propriis expensis rem meliorem facere, nec de alieno commodo incommodum reportare, sed potius, ut habemus in regulis juris § in 6, *Qui sentit commodum, par est ut sentiat onus.*

Non refert autem, quod conductor, ut habetur in casu, domino inconsulto, fecerit hujusmodi expensas. Jura enim, ut vidimus, cum dant Conductori actionem in dominum ad repetendas expensas, solum loquuntur

de qualitate expensarum, neque requirunt prævium domini approbationem, quæ quidem si præcessisset, alio etiam titulo teneretur, nec ulla esset difficultas. Præterea censendus est dominus semper velle, et optare sui fundi meliorationem, quam propterea procurans Conductor, illius voluntatem suo jure præsumit. Insuper id ipsum exposcit locationis natura. Locatio enim, et conductio est unus idemque contractus in utilitatem, et commodum utriusque contrahentis institutus, et sicuti teneretur Conductor ad damni satisfactionem, si domos, et vineas antea plantatas destrueret, ita potest exigere expensas, si novas ædificet, et plantet.

Dixi autem adductam rationem cum debitis exceptionibus esse intelligendam. Primo enim, cum casus loquatur de expensis, quæ fundum reddunt et meliorem, et amœniorem, distinguere oportet. Vel enim eædem expensæ faciunt fundum meliorem simul, et amœniorem; vel aliæ meliorem faciunt, aliæ amœniorem. Si primum, valebit a fortiori exposita ratio. Si secundum, cum hujusmodi expensæ sint potius voluptuosæ quam utiles, non erunt ex iis, quas dominus reficere teneatur, ut passim Doctores.

Præterea animadvertere oportet, quod hujusmodi expensæ excedentes non sint, et domino admodum graves, quia in hujusmodi gravibus expensis in melioramentis non necessariis, sed tantum utilibus, non præsumitur voluntas domini, sed potius dissensus; nam graves expensas, et modum excedentes consuluisset dominus ipse, aut fecisset de suo, si easdem voluisset. Quamquam vero in hac circumstantia non tenetur dominus incommodum subire, ut satisfaciat, tenetur tamen satisfacere, qua parte commodum sentit, ut esset vel locationem prorogando, donec Conductor indemnis evaserit, vel tamdiu in eum refundendo illud incrementum pensionis, quod propter illius expensas reportaverit ex alia locatione. Quod si, quæ melioravit Conductor, sine præjudicio fundi possit asportare, libere poterit. Ita Reb. aliique passim.

CAS. II. — Aristides filiusfamilias nonnullos invenit

deperditæ conscientiæ homines, qui, iniquissimo pacto fœnere, mutuant ei ingentes pecuniæ summas, et quidem, ut vivat luxuriosius. Qu. primo: Num Aristides, defuncto patre, juxta jus civile ejusmodi debita persolvere teneatur?

Resp. negative, nam filiusfamilias beneficio legis a solutione hujus debiti solvitur etiam post mortem patris, licet ipsum contraxerit post annum vigesimum quintum; atque id locum habet non solum pro foro externo, sed etiam in foro conscientiæ; imo licet renunciaverit ejusdem legis beneficio, et juramento se adstrinxerit ad solvendum, non propterea tenebitur, quæ omnia ex ordine declarantur. Principio enim, quod beneficio legis ab hac solutione solvatur clarissime infertur ex Senatus-Consulto Macedoniano, quo cautum est, ut filiusfamilias ex mutuo accepto efficaciter conveniri non possit, sed perpetua exceptione Senatus-Consulti tutus sit non solum ipse, sed etiam pater, si peculium filii possideat, imo etiam fidejussores, nisi donandi animo intercesserint, ut inter cæteros videre est apud Layman *lib.* 3, *de just. tract.* 4, *c.* 25.

Quod vero ab hoc debito liberetur etiam Patris morte secuta, descendit ex fine ejusdem Senatus-Consulti. Hoc enim jus, ut adnotat Rosignolius *cont.* 3, *de mutuo præn.* 4, non solum inductum est in pœnam mutuantium, sed etiam in favorem parentum; quorum indemnitati voluit Senatus consulere, ne filii, ut ære alieno se citius liberarent, ansam caperent conspirandi contra parentes. Sed hæc occasio oritur ex ipsa celebratione contractus, quo tempore parentes supponuntur vivere. Ergo hoc jus ipsam obligationem in initio supponitur extinguere. Obligatio autem semel extincta non amplius reviviscit.

3. Eadem ratione id ipsum ostenditur, licet filii vigesimum quintum annum excesserint: nam per hoc occasio non tollitur, qua possint mortem parentibus intentare.

4. Id verum est etiam in foro conscientiæ; nam lex hujusmodi publica auctoritate inducta est, atque justa. Lex autem justa non solum in foro externo obligat, sed etiam

in interno. Intellige tamen, si pecunia credita consumpta sit, et inde filius locupletior non sit factus, nam tunc tenebitur alia ratione, ut observat Layman loco citato. Certum enim est, quod lex civilis potuerit tum in odium, et pœnam fœneratorum, tum etiam ob Reipublicæ commodum ita statuere, ut tam extra judicium, quam in judicio, scilicet in utroque foro, exceptio Creditoribus opponi queat ad filiifamilias liberationem.

5. Quod solvere non teneatur, licet beneficio legis renunciaverit, ex dictis descendit. Hoc enim Senatus-Consultum non solum est conditum in favorem filiorum, sed multo magis in favorem parentum, ne scilicet eorum mors ob restitutionem talis mutui a filiis intentetur. Nemo autem renunciare potest privilegio, quod in aliorum favorem, et in odium delinquentium invectum est, ut habet Lugo *Tom.* 2, *disp.* 25, *sect.* 1.

Restat ultimum, quod neque teneatur posito juramento; qua in re adversantes habemus Lessium, Covarruvium, aliosque, quorum est ea ratio, quod juramentum factum in alterius favorem servandum sit, quando absque peccato servari potest, sicut in casu servari posse contendunt. Nihilominus dico ex iis, quæ diximus, etiam ostendi, filiumfamilias non teneri ad restituendum, licet juraverit. Quilibet enim filiusfamilias ad facilius obtinendum mutuum posset in fraudem legis juramentum interponere, atque ita semper haberetur periculum intentandi mortem parentibus, pro quo periculo de medio tollendo Senatus-Consultum divulgatum est. Præterea hoc Senatus-Consultum vim habet etiam in foro conscientiæ; adeoque, ipso stante, juramentum non solum est contra leges civiles, sed etiam contra bonos mores, contra bonum commune, et contra jus, quod habent parentes per talem legem acquisitum, atque adeo sine peccato servari non potest; qua posita animadversione corruit ratio, quæ in oppositum afferebatur. Ita cum Ferrar. v. *Mutuum*, citato Panormitano, Innocentio, et aliis.

CAS. III. — Qu. secundo: An ad id teneatur jure naturæ?

Resp. absolute loquendo, Aristidem teneri jure naturæ ad hæc debita persolvenda : cautum tamen esse jure positivo, ut non solvens non faciat contra jus naturale. Quamquam enim jus positivum juri naturali præjudicare non possit, ipsum in aliquo derogando, potest tamen apponere circumstantiam ex parte objecti, qua posita desinat esse de jure naturali, quod tale foret ea circumstantia seclusa, manifestum hoc est in lege præscriptionis. Fit enim hac lege, ut qui bona fide possedit aliquid alienum toto tempore dato ad præscribendum, eo tempore elapso, possit illud retinere, licet resciat esse alienum, quod tamen, seclusa lege præscriptionis, esset contra jus naturale. Sic in re nostra, attento jure naturæ, quod in aliis contractibus servari videmus, deberet Aristides hæc debita solvere; accedit Senatus-Consultum Macedonianum, lege interposita ostendens, in hac circumstantia solutionem hujusmodi ad jus naturale non pertinere, cum revera non sit de jure naturæ fœneratorum vitia tueri, et vitam Parentum periculo exponere ; atque adeo ab hac solutione hujus legis vigore deobligatur.

Quod porro Aristides de jure naturæ ad hæc debita persolvenda teneatur, ex ipso Senatus-Consulto duplici ex capite ostenditur. Etenim si filiusfamilias solvat ejusmodi debitum, aut ejus loco vel Fidejussor, vel pater , solutio est valida, neque ita solutum repeti potest. Ratio autem est, quoniam revera erat debitum, esto dum exigebatur locum haberet exceptio. Quomodo vero erat debitum, nisi quatenus obstringebatur ab ipso jure naturæ.

Præterea, quod Senatus Consultum solam apposuerit circumstantiam, qua posita ostenderetur, solutionem hanc de jure naturæ amplius non esse, facile patet ex exceptionibus variis, quas patitur hoc Senatus-Consultum, ex quibus cognoscitur, quod si casus ponatur extra hanc circumstantiam, statim reviviscit jus naturale. Octo enim sunt casus, in quibus hæc lex locum non habet. 1. Si filiusfamilias pecuniam accipiens habeat peculium castrense, vel quasi castrense. 2. Si fuerit miles. 3. Si publice videatur sui juris. 4. Si pro altero

sui juris fidejussit, nisi id fecerit in fraudem. 5. Si mutuum acceperit jubente patre, aut consentiente. 6. Si fuerit ipsi pecunia credita, dum legationis, aut studiorum causa alibi degeret. 7. Si pecuniam vertit in bonum patris. 8. Denique si fuerit a patre negotiationi præpositus, quia ipsi præsumeretur mutuandi facultas concessa. In quibus limitationibus cum in integrum restituatur solvendi obligatio, satis declaratur, absolute loquendo vigere adhuc jus naturale. Vid. Mol. tract. 1, disp. 4.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Tiberius petit ab Alcibiade ejus primogenitam in uxorem: Verumtamen cum Alcibiades probe sciat, Tiberium in rebus suis esse hominem inconstantissimum, eidem primogenitam suam promittit in Sponsam, adjecta tamen, et ab ipso Tiberio acceptata conditione per modum pœnæ, ut si absque ulla rationabili causa a sponsalibus resiliat, 100 aureos in pœnam vel sibi, vel Sponsæ ipse persolvere teneatur. Contigit autem, sicut in cæteris, de promissis Sponsalibus Tiberium pœnitere. Qu. primo: Utrum a promissis sponsalibus *irrationabiliter* resiliendo Tiberius peccet graviter?

Resp. Doctores omnes communiter tradere, Sponsalia obligare sub culpa lethali, si Gratianum excipias, et Abbatem Panormitanum, qui oppositum probabile existimant. Est autem clarissima ratio, Sponsalia per se loquendo sub mortali obligare ad promissionem implendam, cum ex mutuo contractu, et oneroso, si materia sit gravis, gravis quoque nascatur obligatio justitiæ. Sunt autem Sponsalia contractus mutuus, et onerosus inter Sponsum, et Sponsam, et materia est gravis. Nascitur ergo ex Sponsalibus obligatio gravis, et sub mortali, a qua qui recedit gravem affert injuriam alteri Sponso, et graviter peccat. Nec obest, quod *l.* 1. C. *de Spons.* habeatur, quod *alii desponsata renunciare conditioni, et alteri nubere non prohibetur.* Hanc enim

sententiam per Canones correctam esse, auctor est Sanchez *lib.* 1, *de Spons. disp.* 25. Tiberius ergo a Sponsalibus irrationabiliter resiliens graviter peccat.

CAS. II. — Qu. secundo: Utrum in casu appositam pœnam ipse persolvere teneatur?

Resp. magnam esse super hac re Auctorum concertationem, quorum pars maxima teneri negat, maxima affirmat. Sed quoniam, qui negant vix ullum afferunt rationis momentum, et solis innituntur juribus, quæ indiscriminatim conventiones hujusmodi et prohibent fieri, et irritant factas, ne matrimonii libertas lædatur, quin peculiariter verbum faciant de injuste resilientibus; qui vero affirmant, et habent potiora momenta rationum, et resolutionem restringunt ad eam circumstantiam, in qua quis injuste resiliat; videtur propterea juxta horum sententiam rationes, et jura commodius attemperari. Quapropter cum istis affirmo, teneri Tiberium in casu exposito pœnam persolvere.

Probo autem, quia in primis hujusmodi pœnæ impositio nec juri naturali, nec bonis moribus adversatur, cum potius ad id inducat, quod honestum est, et debitum ex justitia. Deinde impositio hæc matrimonii libertatem non tollit. Hæc enim libertas ad injusta et peccaminosa non est, sed ad justa, et rationabilia. Supposita autem obligatione per sponsalia contracta, injustum esset ab eadem recedere sine causa legitima; atque ita non est libertas ad recedendum, cum nulla sit ad peccandum libertas. Id ipsum confirmat praxis Ecclesiæ, quæ injuste resilientem a sponsalibus gravissimis pœnis, et censuris impellit ad contrahendum Matrimonium. Si autem metus pœnarum hujusmodi Matrimonii libertatem non tollit, neque ipsam tollet metus pœnæ pecuniariæ pro injuste resiliente in celebratione contractus appositæ, utraque enim pœna gravis est, et apta movere. Neque obest, quod una apponatur per Ecclesiam, altera vero privata auctoritate; nam absolute verum non est, quod privata auctoritate non possit incuti metus, quando mutuo consensu objectum talis metus ex justa causa inducitur, ut evenit, quando incutitur contra re-

silientem injuste; quod est conforme tum juri naturali, tum positivo.

Opponunt vero oppositæ sententiæ Patrocinatores, jura interdicentia hujusmodi pœnæ appositionem, loqui distincte, et indefinite etiam pro injuste resilientibus esse accipienda. Huic tamen objectioni est obvia responsio, quia jura citata, quamvis indistincte loquantur, secundum modum significandi, secundum subjectam materiam, et secundum rationem formalem motivam, ob quam condita sunt, sunt restringenda. Cum igitur jura illa conventionem pœnalem proscribentia, eo unice tendant, ut auferant violationem libertatis injustam, non autem voluntatis determinationem constitutam per consensum proprium, et liberum eorumdem Contrahentium; hinc est, quod dumtaxat restringi debeant contra pœnam afficientem juste resilientem, non vero contra pœnam adversus resilientem injuste.

Id clarius ostendit Giribaldus *Tract.* 10, *ad Mat. c.* 1, *dub.* 10, *c. Gemma*, in quo damnatur, et irritatur pœna posita in contractu sponsalium: agebatur de sponsalibus inter impuberes celebratis, qui juste possunt cum ad pubertatem pervenerint resilire, et sic videtur, irritationem pœnæ tunc solum valere, cum adest justa, et rationabilis causa recedendi. Videtur ergo teneri Tiberium ad pœnam appositam persolvendam, quod fuse probant Suarez, Vasquez, Coninchius, Layman, Pontius, et alii a Giribaldo citati.

CAS. III. — Pomponius, Sponsalibus cum Berta valide contractis, alia postmodum Sponsalia contrahit cum Mævia, interveniente juramento, et carnali copula in majorem spem futuri matrimonii. Qu. Utrum Pomponius debeat stare primis Sponsalibus, vel secundis?

Resp. spectato rigore justitiæ debere Pomponium stare primis sponsalibus. Stante enim validitate priorum sponsalium, posteriora sponsalia fuerunt invalida, et cum fuerint inique contracta, neque potuerunt juramento convalidari, quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Major difficultas posset esse de copula, adeo ut Pomponius, saltem tanquam deflorator, liber evadat ab obligatione priorum

sponsaliorum, ut qui uni promisit equum, et postea accepto consumptoque pretio, alteri vendidit, tenetur huic tradere. Pariter, qui virginem defloravit in spem futuri Matrimonii, tenetur eam ducere, licet antea emisisset votum castitatis, aut religionis. Sicuti ergo tradito alteri equo cessat obligatio promissionis alteri factæ, et virgine deflorata, votum non obstat, quo minus eam ducere debeat; ita in re nostra obstare non poterunt priora sponsalia, ne alteram ducat. Denique cum duo simul agunt, alter de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic, non illi favendum est. Agit vero in casu nostro prima sponsa de lucro acquirendo, agit secunda de damno vitando, ergo huic potius favere debemus.

Verum respondeo, promissionem factam secundæ sponsæ semper esse nullam, utpote de re illicita, cum fuerit primæ sponsæ promissa, neque injuriam alteri illatam jus adimere a prima acquisitum, præsertim cum damnum hoc alia ratione possit compensari, ad quam utique compensationem Pomponius tenebitur. Non valent autem rationes adductæ: nam in promissione, et venditione equi duæ obligationes concurrunt, quæ diversi sunt generis, cum in promissione oriatur obligatio ex fidelitate, in traditione oriatur ex justitia. Obligatio autem, quæ oritur ex justitia debet prævalere. Pariter qui virginem defloravit cum spe matrimonii, debet ducere, quia obligatio voti a virtute religionis proficiscitur, quæ minus obligat, quam justitia, unde nascitur obligatio ducendi virginem hac promissione defloratam. Deinde prius votum non omnino aufertur per matrimonium, sed suspenditur; at in nostro casu prior obligatio prorsus extinguitur. Tandem quia Deus non ita exacte promissionem sibi factam solvi petit, ut homines, neque enim impleri vult cum damno tertii. Homines vero propter injuriam alteri illatam privari nolunt suo jure. Hinc ad ultimum est lata disparitas; non enim agimus de contractu lucrativo, sed oneroso, cum fuerit ex utraque parte obligatorius; unde potius valet axioma alterum, quod prior in tempore est prior in jure. Dicendum est ergo debere Pomponium stare primis sponsalibus,

Addidi tamen, hoc verum esse spectato rigore justitiæ; nam prima sponsa teneretur ex charitate cedere juri suo, si altera ex defloratione grave damnum pateretur, cum charitas obliget ad leve nocumentum patiendum, ne proximus gravissimum subeat. Stant pro hac parte Sanch. Henriq. Lop. Ronc. aliique. Stant contra nos Palaus, Viva, Pontius, Diana, Girib. Salmant. etc.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Theophanes a Tiberio rogatus, ut ei 1000 aureos mutuet, libenter annuit; eique *gratis omnino* pecuniam credit; verum in enumerando pecuniam fidenter sperat, ut ex ejusmodi mutuo aliquid lucri sibi possit obvenire. Qu. Utrum Theophanes propter hujusmodi spem peccet peccato usuræ; cum Christus Dominus dixerit *Lucæ* 6. 35. *Mutuum date nihil inde sperantes.*

Si Sotum audimus *lib.* 6. *de Just. q. 1.* art. 1. licet Theophanes hac ratione mutuando non se conformaret Christi Domini verbis, *mutuum date nihil inde sperantes*, non propterea graviter peccaret, cum ipse putet, verbis hujusmodi non præceptum, sed consilium contineri, quatenus sensus sit, ut bene faciamus proximo, eique mutuum demus absque intuitu humanæ mercedis, ut divina merces recipiatur; nam per ipsum usuræ prohibitio directe continetur in eo præcepto *non furaberis.* Communis tamen sententia vult, usuram prohiberi etiam in eo loco Evangelico, quatenus ea verba partim consilium contineant, ubi dicitur *mutuum date*, partim vero præceptum, ubi additur *nihil inde sperantes*; ita ut absolute loquendo non teneamur mutuare; mutuantes vero semper teneamur nec lucrum sperare. Nam Urbanus III, Alexander III, Leo X. reprobantes lucrum ex mutuo, ea Christi verba solent afferre; quod etiam facit Div. Thom. Covar. Bann. Nav. Rebel. Les. et passim Doct.

Hac posita explicatione, ut omittam varias opiniones, quibus quæstionem hanc, difficilem utique, atque per-

utilem declarandam aggrediuntur Cajetanus, Sotus, Corradus, Medina, Navarrus, aliique, respondeo cum Toleto *Lib.* 5, *sum. c.* 21. distingui oportere inter habere spem, et habere intentionem: nam aliud est sperare, seu desiderare rem, aliud ipsam intendere. Intentio enim non solum dicit velle rem, sed etiam dicit finem operationis, ut propter illam rem homo operetur. Spes autem, et desiderium solum dicunt simpliciter velle. Hoc posito dicit, quod habere spem, aut desiderium habendi aliquid ultra sortem, non facit mutuantem usurarium; bene vero habere intentionem. Cum ergo Theophanes, licet fidenter speret lucrum obventurum ex mutuo, tamen lucrum ipsum non intendat ut finem mutui, non erit usurarius. Quod vero lucrum sic speret, ut ipsum non intendat tanquam operis finem, ex ipsa casus expositione colligitur. Erat enim mutuaturus, de hac spe ne cogitans quidem, spe vero accedente primam intentionem non mutavit; unde nihil admisit contra illa verba *Mutuum date nihil inde sperantes.*

CAS. II. — Eusebius mutuat pariter 1000 aureos Titio cum hac *principali* intentione; ut illius benevolentiam, et amicitiam assequatur. Qu. Num ejusmodi Eusebii intentio usuræ labe infecta sit?

Resp. ex communi sententia usuram non esse intendere in mutuo etiam *principaliter* benevolentiam, et amicitiam mutuatarii, quia benevolentia et amicitia ratione sui non sunt pretio æstimabiles, neque, ut inquit Angelicus, pecunia commensurantur. An autem usura sit dicere, mutuo tibi pecuniam cum pacto ut sis mihi benevolus, negat Soto, quia amicitia et benevolentia ita sunt effectus animi liberi et voluntarii, ut nullo modo cadant sub debito, vel obligatione civili. Rectius vero Molina in hoc mutuo usuram agnoscit, quia in hoc casu ex obligatione antidotali fieret obligatio civilis, quæ est lucrum pecunia æstimabile. Eamdem opinionem tenet Giribaldus de mutuo, et usura 2. 36. et alii apud ipsum.

Dixi benevolentiam, et amicitiam ratione sui non esse pretio æstimabiles; possunt enim considerari non solum

ratione sui, sed etiam ratione effectuum, qui possunt inde prodire, qui quidem effectus cum possint verum lucrum afferre, aliam pariunt difficultatem. Potest enim Eusebius principaliter sistere in sola amicitia Titii, et potest ulterius intendere effectus, qui ab hac amicitia essent ipsi obventuri. Si 1. responsio jam patet. Si 2. potest rursus inquiri, an hæc intentio sit usuraria?

Resp. autem eadem ratione. Si enim Eusebius amicitiam intendat, et commoda ab ipsa obventura, ita quidem, ut non deducat in pactum, sed speret ex sola amicitia, non est usurarius. Si autem non solum intendat tanquam sponte ab amicitia profectura, sed etiam in pactum deducat hujusmodi commoda, tunc erit usurarius.

At inquies, conferre spirituale cum intentione acquirendi temporale, etiam ex gratitudine, ex motu Pii V. est Simonia. Cum ergo sit usura in temporalibus, ut est Simonia in spiritualibus, erit usurarius, qui lucrum intendit ab amicitia, etiam obventurum ex sola gratitudine. Ad hoc vero respondeo, in hac re non valere paritatem adductam. Ideo enim primum, non quia malum suapte natura, sed quia prohibitum ; unde non sequitur de usura, nisi Pontifex tale mutuum prohibeat, quod factum non est.

CAS. III. — Eranistes summis precibus exoratus mutuat Cajo 10 aureos, sed cum ea intentione, et pacto; ut, cum de sua apotheca injuste male dixerit, ipse ad illam imposterum, emptionis causa, adire quandoque teneatur. Qu. An ejusmodi pactum sit usurarium.

Resp. Duplici intentione posse Eranistem convenire cum Cajo de sua Apotheca, in gratiam mutui identidem frequentanda: Potest enim 1. lucrum intendere, quod ex hac frequentatione facile reportabit; potest 2. unice intendere restitutionem famæ, malis artibus Caji injuste læsæ. Si primum intendat, communis est Doctorum sententia, pactum hoc esse usurarium. Conventio enim, ut inquit Giribaldus *de mut. et usur. n.* 33., et pactum quodcumque, per quod mutuatario imponitur onus, et obligatio ex justitia aliquid præstandi, ad quod alias non tenebatur, usurarium est, et illicitum. Ratio est

quia usura est lucrum immediate proveniens ex mutuo, id est ex pacto, et obligatione unice contracta ratione mutui, tamquam ejus pretium, et ut debitum ex justitia, non quia vere debeatur ex justitia, sed quia exigitur tamquam si esset debitum ex justitia, et titulo oneroso, et pacto ipsorum contrahentium, ergo lucrum, et commodum quodcumque pretio æstimabile tali pacto collatum est usurarium. Cum itaque Cajus liber omnino sit, ut Apothecam adeat, quæ sibi placuerit, non poterit sine usura hac libertate spoliari, et cogi ratione mutui ad Eranistis Apothecam adeundam.

Si vero Eranistes non lucrum intendat, sed famæ restitutionem, distinguere rursus oportet. Vel enim hæc fama potest alia via reintegrari, vel una superest via si adeat identidem ipsius Apothecam. Si primum, respondeo, adhuc pactum hoc esse usurarium, et quidem ob eamdem rationem. Nam licet Cajus ex justitia teneatur ad restituendam famam malis artibus læsam, tamen si hæc restitutio pluribus modis obtineri facile possit, liber omnino est ad eum eligendum, quo uti libuerit. Erit ergo prorsus iniquum pactum impositum ab Eraniste, quod ipsum spoliat hac libertate, et ipsum obligat ratione mutui ad famam restituendam, suæ Apothecæ frequentatione.

Si vero Cajus alia ratione famam resarcire non potest, nisi Apothecam frequentando, dico Eranistem etiam ratione mutui posse de hac re cum ipso convenire. Licet enim, ut inquit Navarrus, non possim exigere ex mutuo, quod mihi debetur ex charitate, quia tunc induco per mutuum vinculum justitiæ, quod est fortius vinculo charitatis, atque adeo commodum ex mutuo reporto; si tamen mutuo gratia recuperandi, quod mihi liquido ex justitia debetur, non sum usurarius. Ratio autem est, quod hanc recuperationem non intendo ratione mutui, sed ratione justitiæ, nec aliquod commodum ex mutuo reporto, quod mihi ex justitia non deberetur. Hæc etiam est Doctrina Molinæ d. 309. Si ergo Eranistes hac Apothecæ frequentatione, de qua cum Cajo pascitur, sibi solum proponat famæ restitutionem, alia via non obtinendam, usurarius non erit.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Cum Apulejus mortali morbo inopinate corripiatur, Capellanus præsens, infelici casu perterrefactus, post absolutionem a peccatis, ei administrat extremam Unctionem, adhibendo scilicet, quasi necessitate cogente, oleum simplex ex olivis expressum ab Episcopo non benedictum. Qu. Num ejusmodi unctio rationem habeat Sacramenti?

Resp. legenda esse super hac re, quæ doctissime scribit in Opere de Synodo Diœcesana libro 8, c. 1, n. 4. Benedictus XIV, ubi opiniones præcipuas erudite proponit, et Auctores recenset, quorum doctrina eruditi debemus. Nos enim, ut more nostro pauca dicamus, quæ certa sunt afferemus, remittendo ad fundamenta, quæ vel ab ipso recensentur, vel proponuntur alibi inquirenda; quod vero obscurum relinquitur, proposita dubitandi ratione, aliorum arbitrio definiendum relinquemus.

Certum itaque est, oleum in extrema Unctione adhibendum esse debere Episcopi benedictione antea consecratum. Certum pariter est, Romanum Pontificem posse concedere hanc facultatem Presbyteris, ut Sacerdotali benedictione oleum hoc ab ipsis consecretur, validumque esse Sacramentum, si oleo administretur, Pontifice concedente, hac ratione a Presbyteris consecrato. An autem Sacramentum sit validum, si ministretur cum oleo, neque ab Episcopo, neque a Presbyteris peculiari Pontificis concessione ad hoc delegatis consecrato, ut hoc innotescat, afferam Juvenini sententiam *dis.* 7, *de extrema Unctione q.* 3, *c.* 1, ut ejus Doctrina proposita, quisque pro libito vel in ejus opinionem concedat, si ipsa placuerit; vel si secus, ab ipsa dissentiat. Statuta itaque hac conclusione, *quod nulla consecratio sive ab Episcopo, sive a Presbytero peracta necessaria est, ut Sacramentum valeat,* sic Vir clarissimus ipsam ostendit.

«1. Nec in Scriptura, nec in traditione reperire est

« aliquid, quo astruatur necessitas, de qua hic est quæ-
« stio. 2. Nullius sunt ponderis ea, quibus opinio con-
« traria nititur. Ideo enim asserit, absolute requiri
« consecrationem illam, quod ex Apostolo Jacobo un-
« ctio fieri debeat in nomine Domini. — Quod Ecclesia
« damnarit Waldenses, qui rejiciebant ejusmodi conse-
« crationem. — Quod (ait Bellarminus) Eugenius Papa
« IV., et Conc. Trid. doceat, consecratum oleum esse
« hujusce Sacramenti materiam; cum econtra cum
« agunt de Baptismo definiant, aquam naturalem esse
« illius materiam, omissa benedictione, qua solet con-
« secrari.

« Sed non est, cur ea argumenta quemquam mo-
« veant: Siquidem his Jacobi verbis *in nomine Domi-*
« *ni*, non significatur *Benedictio*, sed quod Minister
« vice Christi fungatur, agat illius auctoritate, dum
« inungit infirmum. — Waldenses merito proscripti
« fuere, quod impium sit ritus Ecclesiasticos super-
« stitionis insimulare, aut eos contemnere, ut insimu-
« labant, et contemnebant Waldenses. — Eugenius
« IV., et Concil. Trid. ideo benedictionis olei, non
« aquæ Baptismalis meminere, quod litem Scholastico-
« rum, an illa benedictio necessaria sit, ut valeat Sa-
« cramentum, an non sit necessaria, dirimere nolue-
« rint. Sat fuit Eugenio Armenos docere ritus Latino-
« rum. Hunc sibi Synodus Tridentina scopum præfixit:
« damnare nimirum hæreticorum dogmata, non au-
« tem, quæ salva fide Scholastici placita defendunt.»
Hæc Juvenin. loco citato.

Hæc tamen argumenta, quæ Theologos recentiores in ejus traxere Sententiam, non ita movent Laurentium Berti. Nam vetustiorum mentem inquirens, qui numero longe majores, auctoritate, et doctrina saltem pares oppositam opinionem tenuerunt, arbitratur, utrisque perpensis, *certum non esse valere Sacramentum extremæ Unctionis oleo non consecrato collatum.* Ad quod suadendum præter alia argumenta, quæ apud ipsum videri possunt lib. 5, c. 4, affert postremo loco, quod statuitur in 5. Synodo Mediolanensi in hæc verba: *Parochus si per errorem aliud oleum, quam quod infir-*

morum est, ad ægrotum ungendum adhibuerit, etiamsi Chrismatis, aut Catechumenorum sit, ut erratum emendet olei Sacri, quod proprium infirmorum est, eidem adhibeat, et tunc Sacramenti formam iteret. Animadvertit autem vir clarissimus, quod si putassent patres, valuisse Sacramentum hoc modo collatum, jussissent quidem caute suppleri, quod fuerat incaute prætermissum, scilicet unctionis, sed formam repeti non præcepissent.

CAS. II. — Parochus *facili negotio* subdelegat Capellanum ad impertiendam infirmis in articulo mortis Apostolicam benedictionem. Qu. Utrum jure?

Resp. neg. Colligitur hoc tum ex bulla Benedicti XIV. quæ incipit *Pia Mater;* tum ex Notificatione Illustrissimi, et Reverendissimi DD. Lactantii Felicis Sega super usum ejusdem Bullæ emanata die 8 Junii anno 1747. Hæc enim Notificatio ad hanc impertiendam benedictionem delegat Parochos tam civitatis, quam Diœcesis, et quatenus legitimo impedimento detineantur, delegat etiam eorumdem Capellanos. Patet enim ex hac concessione, quod Parochus debet esse legitime impeditus, ut Capellanus habeat hanc facultatem. Posito autem legitimo Parochi impedimento, posse Capellanum hanc Benedictionem impertiri, non quidem tanquam subdelegatum a Parocho, cui non conceditur hæc subdelegandi facultas, sed suo quasi jure; ipse enim, Parocho impedito, delegatus remanet eadem auctoritate, qua delegatus est Parochus. Quod si perperam ageret Parochus *facili negotio* Capellanum subdelegans, a fortiori perperam ageret, si quemlibet pro arbitrio Sacerdotem ad hoc munus deputaret. Quale autem esse debeat legitimum hoc Parochi impedimentum, determinari poterit ex consuetudine Ecclesiæ, prout colligitur ex ipsa Bulla *Pia Mater.* Si enim diu viguit hæc consuetudo, ut facultas hæc solis Episcopis de triennio in triennium ipsam petentibus concederetur, et cum ea restrictione, ut deberent exercere ipsam per se ipsos, et solum nocturno tempore casu legitimi impedimenti, pro ea vice tantum possent alium delegare; hæc certe

consuetudo docere Parochos debet, quanti Ecclesia fecerit hanc facultatem, et quantum propterea in hac etiam majori concessionis amplitudine curare debeant, ut non nisi vere impediti non prætermittant per se ipsos exercere.

CAS. III. — Capellanus subdelegatus post extremam Unctionem, dum vult infirmo Benedictionem Apostolicam impertire, illum videt agentem animam. Qu. Num urgente mortis articulo ejusmodi absolutionis formula contrahi possit; et quæ verba in tali casu proferenda sint, et quæ omittenda?

Resp. Satis in hac re provisum esse in eadem Bulla *Pia Mater*; concludit enim: *Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur*, incipiendo nempe ab iis verbis *Dominus noster, etc.*

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Hiberno tempore ad declinandam frigoris intemperiem Eventius Sacerdos in stabulum sese recipit, ibique horas canonicas persolvit. Qu. An decenter?

Resp. cum Giribaldo *tract.* V. *in* 1 *præc. decal.* 5, pro recitatione privata nullum ab Ecclesia locum determinari. Asserere quidem Palaum et Bonacinam, excipi immunda loca, in quibus recitare dicunt esse veniale, propter quamdam irreverentiam; et probabilius neque in hisce locis ullum peccatum committi, dummodo id fiat debito modo citra contemptum; ubi enim licet orare mente, ibi etiam licet orare voce. Id porro confirmant verba Ps. 102. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino:* quo in loco ait Glossa: *Ubi non dominatur, ibi non benedicatur; ubique dominatur, ubique benedicatur, nullus excusetur*; et de facto Job orabat in sterquilinio, Jonas in ventre ceti,

et Daniel inter leones, et sic potest ubique officium recitari. Cum ergo Eventius noster, honesta causa, nempe ad frigoris intemperiem declinandam, in stabulum se recipiat, neque ad contemptum id faciat, et supponatur tum mente, tum ore, tum corde hanc recitationem absolvere, et præter loci qualitatem nullum alium defectum admittere, dicendum erit recitare decenter.

CAS. II. — Parochiani nonnulli dum Festis diebus Ecclesiam adeunt, illam armati ingrediuntur, ipsumque Sacrum audiunt, vel *reticulis*, vel *pileolis* capita cooperti. Qu. Utrum graviter sint a Parocho reprehendendi?

Resp. ad prim. affirmative, nam hoc revera prohibetur Inst. 99. Benedicti XIV, qui hujus prohibitionis rationes adducens ex ordine ostendit, Sacros Canones prohibere ad Sacras Ædes cum armis accedere — S. Carolum in primo Provinciali Concilio decernere, nemini licitum esse hastam, vel sclopetos, balistas, aliave ejusdem generis arma in Ecclesiam inferre — in suis Institutionibus sic alloqui Vicarios Foraneos — Satagite diligenter, ne fideles, cum ad officia religionis celebranda conveniunt, arma deferant saltem hastata, neque alia concipiendo igni accommodata. Addit Synodum nostram Bononiensem Cardinalis Jacobi Boncompagni, lib. 1, cap. 10, ita statuentem: *Templum Dei pacis, non armorum locus est. Præsenti Decretæ arma quæcumque hastata, sive ad concipiendum ignem conflata inferri prohibemus, sub pœnis nobis arbitrariis: nec more castrorum deponantur apud parietes intus Ecclesiam, aut foris: non enim statio militibus, sed orantibus sacræ panduntur Ædes.* Quibus Decretis, postquam alia in eam rem firma argumenta erudite adjecerit, gravissime Parochos exhortatur, ut curam omnem adhibeant, ne hæc corruptela propter eorum negligentiam propagetur, et ubi invaluit, morem indignissimum omni adhibito studio eliminare conentur. Hæc autem decreta renovanda censuit Archiepiscopus noster Emin. Card. V. Malvetius, qui Edicto promulgato anno 1756, super veneratione Ecclesiis debitam, tum alia plurima sapienter, et

religiose providit; tum super hac re hæc habet expressa verba: *Nemo privata auctoritate Ecclesiam intrare audeat cum sclopetis, vel hastis; aut licitum sibi putet ejusmodi arma ad muros intra vel extra Ecclesiam quasi in deposito inclinare. Domus Dei non est armamentarium, sed locus pacis, illis apertus, qui in eo Dominum cœli et terræ adorare convenirent.*

Hinc pariter ad alteram partem respondeo affirmative, jure scilicet Parochum eos graviter reprehendere, qui Sacrum audiunt pileolis, vel reticulis capita cooperti. Si enim, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. 1. *Omnis vir orans velato capite deturpat caput suum*, quanto magis dicendum erit, Dei majestatem offendere, qui non modo privatim orant, sed cum hac indecentia in Ecclesia Dei Sacrificio intersunt. Agitur de hac re in eodem Edicto, quod modo laudavimus, ubi verbis Chrysostomi, et Bernardini Senensis, postquam cohibuerit aliquarum mulierum impudentiam, quæ carnales et vanæ cum meretriciis ornamentis accedunt ad sacratissima loca, et quasi saltaturæ pergunt ad Dei Ecclesiam, relate ad homines ita prosequitur: *E contrario fideles debent detecto capite Ecclesiam ingredi, et sic in illa permanere; hinc expresse prohibemus et condemnamus praxim quorumdam venditorum, aut aliorum de plebe infima, qui pileolis, vel reticulis in capite retentis sacrificio intersunt, usumque horum non toleramus nisi decentia et infirmitate id exigente.* His placet superaddere, quæ in Synodo Imolensi statuta sunt anno sunt 1766, ubi App. ad 4, partem Edic. 1, hæc habentur: *Quanto convenientius est, ut omnis christianus, cum ad Ecclesiam pergit, omnem possibilem decentiam in vestimentis ostendat, eo vituperabilis magis neque tolerandus usus nimium libere introductus Ecclesias ingredientium cum vestitu indecenti, et domestico; quare sub pœnis nobis arbitrariis prohibemus in Ecclesia portare pileolos, et reticulos domesticos, aut alias vestes usuales, et negligenter compositas.* Hæc autem omnia satis ostendunt, justam fuisse in utroque capite Parochi reprehensionem.

CAS. III. — Titius cum Cajo rixatus, ipsum intra Ecclesiam persequitur; ibique in eumdem Cajum sclopetum explodit; qui tamen nullo vulnere accepto ab Ecclesia aufugit. Qu. Utrum Titius a quolibet Confessario absolvi possit?

Resp. neg. Nam Synodus Diœcesana Bon. post ea verba, quæ superius retulimus a Benedicto XIV citata, l. 1, c. 10, immediate prosequitur: *Quod si quis aut gladium distringere, aut sclopum explodere criminose ausus fuerit intra Ecclesiam, excommunicatione innodatum volumus, et declaramus, reservata nobis absolutione.* Confirmatur id ipsum in Edicto superius commemorato, ubi post verba a nobis allata sequitur immediate: *Si quis cum gladio, aut explosione sclopeti vel alio instrumento aut modo proximum in Ecclesia non sine culpa graviter offendit, volumus, ut ad normam nostrorum Decretorum Synodi Diœcesanæ X, sit immediate excommunicatus, facultate illum absolvendi nobis reservata, qui et taliter reum aliis pœnis pro arbitrario nostro mulctemus.* Neque obstare videntur illa verba *si proximum graviter offendit*, perinde ac si ad excommunicationem, et reservationem incurrendam non sufficiat sclopeti explosio in Ecclesia, ut habetur in casu, sed requiratur vulnus inflictum; nam in primis Edictum hoc factum est ad normam Synodi, cui se conformat; Synodus autem, ut videmus, solam exigit sclopeti explosionem. Deinde cum hoc statuatur in favorem Ecclesiæ, non debet aliud exigi, cum sola sclopeti explosione Ecclesiæ irrogetur injuria. Denique ut graviter proximus offendatur, inflictio vulneris non est necessaria, sed sufficit, quod gravis in ipsum adhibeatur violentia.

INDEX RERUM,

QUÆ HOC LIBRO CONTINENTUR, LOCUPLETISSIMUS

A.

Ablutio digitorum in festis Natal. Domini a celebrante an summe necesse sit? 280.

Absolutio, quid sit directa et indirecta, 14. Quandonam impertiri queat. ibid. vide V. *Confessario* et *Confessio*. An Sacerdoti etiam propter occultum peccatum carnale sit deneganda? 299 et seq.

Adulterium perpetrata uxor, et ob hoc divortium passa an acceptare teneatur reconciliationem, a viro, qui æque adulter factus, exhibitam et oblatam? 62.

Æquivocatio quando uti possit? 353.

Anticipata pretii solutio an sit licita et immunis ab usura? 236.

Antiphona de B. V. an post quamlibet horam canon. recitanda sit? 272.

Aquæ quantitas in Calice quænam debeat esse, ut consecratio sit *licita*? 343. ut sit *valida*? 344.

Asylum cui, et quando dari possit? 323.

B.

Baptismus, sub hac forma: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., tantum collatus an valeat, 70. Differens baptismum infantis parens ob temporale lucrum in 20 dies, an peccet, 91. Dubie collatus, an et quomodo sit reiterandus? 227.

Benedictionem Apostolicam pro Infirmo an Parochus *facili negotio* Capellano subdelegare possit? 376. Animam agenti, quæ verba proferenda, quæ omittenda sint? 377.

Beneficium valde tenue possidens an quotidie teneatur recitare Officium, 151. Si duo Clerici simul ad unum tantum beneficium ob dissensionem patronorum fuerint promoti, an durante lite pacisci invicem possint, ut is qui obtinuerit, expensas alterius solvat, 157. An liceat parocho in favorem alterius resignare cum pacto de non possidendo nisi post ipsius mortem, 184. Cognita fraude an dimitti, atque fructus exinde percepti restitui debeant, 281. et seq. simoniace acquisitum, quid faciendum, 286. et seq. in odium simoniace collatum, 292. Alterum a consecutione impediens, an semper teneatur ad restitutionem? 352.

C.

Calumnia alicui, per objectionem furti non commissi facta, an possit repelli ab ipso objiciendo Calumnianti furtum vere ab eo commissum, 127.

Capellanus alicujus Confraternitatis in oppido erectæ an possit pro libitu instituere Processiones, 90. Casum reservatum an incidat peccans cum aliqua famula a suo domino jam dimissa, altero die e Parœcia discessura, 123. Item an incidat filius dilacerans testamentum, patris sigillo obsignatum, ne teneatur solvere pia legata, 131. Vide *V. Confessarius.*

Censuram aliquam an incurrat, qui sclopeto in Ecclesia persequitur alterum? 378.

Choreis interesse an Sacerdotibus liceat? 332. et seq.

Circumstantia, an aperienda in Confessione, si quis acquirit rem sacram sub conditione turpi? 76. Vide *V. Confessio.*

Clericus, an licite petat tabernam cum sæcularibus sociis, diebus festis absolutis divinis officiis, 135. an licite gestet arma in periculo imaginato, 139. vel an talis incurrat aliquam pœnam, 140. an possit fieri et esse œconomus et administrator bonorum sæcularium alicujus domini, 168. qualis negotiatio Clerico liceat, 175. Ex errore recitans officium diei sequentis, an possit die sequenti omissum supplere? 276.

Cognationem spiritualem an contrahat cum matre baptizati, qui in Baptismo *privato* baptizandum teneat? 242. et seq.

Commemoratio in Suffragiis an bis in officio devino sumi queat? 278.

Compensatio occulta, an, et quando licita sit? 277 et seq.

Confessarius an absolvere possit v. g. puellam in eadem sæ-

pius peccata relapsam, ne non accedens ad S. Communionem notetur a Matre sibi associata. 16, au possit obligare pœnitentem, et ab eo ipsius acceptare eleemosynas pro legendis Missis, ut sic restituat pro furtis minutis sæpius commissis. 18. An possit absolvere eum, qui dubitavit de præsentia Christi in Eucharistia, et insuper anxius est, an non externe manifestaverit dubium, 20. An possit, aut teneatur corripere pœnitentem in antiqua peccata relapsum, 48. habens pro tempore paschali potestatem absolvendi a reservatis, an aliquem tempore paschali confessum, ast sine absolutione dimissum, si elapso mense redeat dispositus a reservatis adhuc absolvere possit, 105. Si idem pœnitens novum reservatum commisit, 106. Item, an talem prius Parocho invalide confessum, Capellanus, cui deinde bene dispositus confitetur, valide a reservato absolvat, licet non habeat potestatem, 109. An possit absolvere a reservatis mulierem partus doloribus laborantem, 195. An possit absolvere pœnitentem a reservatis, prius alicui Privilegato sed sacrilege confessis, 133. An possit absolvere filiam Confessarius in alia Diœcesi, ubi non est approbatus, 171. An stando, vel genuflectendo Sacramentum Pœnitentiæ rite administret? 313. Quomodo debeat tenere *dextram*, quomodo crucem formare? 316. Circa pœnitentem multiplici restitutioni obnoxium quid agat? 271. In puncto restitutionis errans, qualiter peccet? 341. An ei liceat errorem extra confessionem corrigere? 342. An teneatur in defectu pœnitentiæ resarcire damnum? 343. Pœnitentes absolvens absque præscitu de eorum dispositione, an satisfaciat? 224, Quomodo originem consuetudinariorum morose delectantium inquirere atque medicinalem pœnitentiam adhibere debeat? 217 et 222. Fœminas frequenter, et diu in confessionali detinens, an bene agat? 346. Porrectione medicinæ inopinate infirmus expirat, an fiat irregularis? 334.

Confessio peracta cum solo actu Amoris Dei, pro actu doloris: vel facta cum proposito tantum virtuali, an valeat, 3. Confitens peccatum certo commissum, et dubitans, an non jam alia vice confessus sit, an teneatur exponere hoc dubium, 27. An debeat repeti, si pœnitens multa lethalia confessus, dubitat, ob pœnitentiam nimis levem impositam, an Confessarius omnia intellexerit, 92.

Confirmationis Sacramentum an inter fœminam, tenentem et masculum confirmandum cognationem spiritualem inducat? 249.

Conscientiam qualem formare possit, qui per agros et vineas transiens, nunc pirum, nunc uvam ad sedandam sitim decerpit? 229.

Consortium etiam honestum an sit quandoque Sacerdotibus fugiendum 266.

Consuetudinarius semel admonitus, an ulterius possit absolvi? 198. Media *ibidem* in occasione proxima, sed necessaria constitutus, an possit absolvi? 251.

Contractus Usurarius, bona fide et inscienter factus, si postea ut talis resciatur, an contrahens hujus medietatem quam comparti eleemosynæ causa prius dedit, in restitutione detrahere possit, 8. Si Creditor inscio debitore vendit pignus ante diem termini conventi, an violet justitiam, 42. Debitor ficte promittens se citius soluturum ob remissam ipsi sextam partem debiti, et tamen serius solvens, an juste retineat partem condonatam, 43. In venditione tritici qualis sit licita? 235. Inter emptorem et venditorem res casu periens, cui pereat? 264. Trinus quid sit? an licitus sit? 337. Contractus societatis cum usurario. *Vide* Usurarius.

Contumelia, si proferatur contra aliquem, præsentibus ipsius Patre, Matre, et Fratre quæ et quot peccata contrahat? 29.

Crimen capitale resciens quis, quod alius commisit, sed in judicio perfracte negat, an teneatur manifestare in subsidium accusatoris ob defectum probationis in gravi vitæ discrimine existentis, 160.

Curiosus, qui per rimas fenestræ sui vicini inspicit, dicta audit, qualiter peccet? 233.

D.

Debitis gravatus, atque ad satisfaciendum negligens an absolvi possit? 233.

Debitum conjugale an possit petere uxor a viro sine dispensatione, a viri sui fratre per vim cognita? 113.

Depositum vel commodatum ab alio, an teneatur quis in periculo magis tueri et servare præ suis? 136.

Divortium, an possit fieri propria auctoritate ab aliquo, uxorem suam ut suspectam habente? 164.

Dispensare in impedimento occulto publicæ honestatis quis possit? 321.

Domicilium e loco in aliud transferens quoad contrahendum matrimonium cui Parocho subsit? 319.

E.

Ecclesia Parochialis, dum nescitur quo anno vel die sit consecrata, an Officium et Missa Dedicationis fieri possit in ea, 18. An liceat celebrare Missam in ea, immediate ante Officium per homicidium polluta, ut populus satisfaciat præcepto 1. Quando sanguine polluta censeri debeat? 322. Eam inhonorans qualiter peccet, 211. Eam cum armis frequentare, an liceat? 378.

Emptio agri ab aliqua Ecclesia si facta cum pacto de retrovendendo, an ager valide retrovendatur sine assensu apostolico, 23. Emens rem mala fide a fure, et revendens personæ ignotæ, resciens postea dominum hujus rei, an deficiente fure, damnum reficere teneatur? 30.

Eucharistia dum infirmo administratur, an fragmenta hujus adhuc residua in pyxide debeant solemniter deferri ad Ecclesiam, 134. An liceat hostiam majorem in processione solemni usurpatam, in partes divisam, pro communicaturis reservare, 147. Quando administrari liceat, quando non, 204. et quibus, 208. An in sacra nocte Nativ. D. N. J. C. 241. An laicis sit frequenter concedenda, 347. An ad valvas Ecclesiæ deferri liceat imminenti tempestate? 324.

Excommunicatio. Hujus ignorantia qualis excuset, 209. Ea innodatus, an privetur communione fidelium tum in civilibus, tum in divinis, 210. An cum tali colloquia habere liceat, vel excommunicetur, 268. *Minori* ligatus Sacerdos an Sacramenta administrare, Missam celebrare possit, 268. An incurratur ab eo, qui delinquentem non defert ad judicem crimen suum ipsi Consilii gratia manifestantem lata primum post manifestationem excommunicationis sententia? 36.

F.

Festum Confraternitatis S. Scapularis B. M. V. in Ecclesia et Altari ejusdem, si ob populi commoditatem in die Dominica post diem ejus festivum celebratur, an æque Missa solemnis cum *Gloria* et *Credo* dici possit? 182.

Filiusfamilias iniquissimo pacto fœnere pecunias mutuo accipiens, an defuncto patre ejusmodi debita vel *jure civili*, vel *jure naturæ* persolvere teneatur? 362. et seq.

Furtum si vir sæpius committat, an uxor de bonis taliter ablatis alere et vestire se possit, 27. Committens in extrema necessitate, an teneatur restituere, si pervenerit ad meliorem

fortunam, 170. Vide V. *Restitutio.* An vir pauper ad suæ familiæ necessitatem ligna in silva particularium dominorum sibi construere possit? 197.

G.

Gener a socero fructus pignoris an percipere possit, quin ii in dotem imputentur? 230.

Genuflexioni an alia inclinatio addenda sit a Celebrante in Altari summo? 251.

H.

Hæres defuncti Parochi, quando hæreditatem adire possit? 323.

Horæ canonicæ an propter frigoris intemperiem in stabulo persolvi possint? 377.

I.

Ignorantia ab excommunicatione latæ sententiæ qualis excuset, qualis non? 209.

Impedimentum publicæ honestatis quando contrahatur, 321. An incurrat, qui sponsalia facit cum sorore prioris sponsæ impedimento cognationis spiritualis cum eo contractæ? 249.

Incestus in primo gradu commissus ab aliquo, qui errore putat esse in tertio, an sit reservatus? 116.

Incontinens Sacerdos etiam occultus an absolvi possit? 299 et seq.

Iracundus subito motu calumnians quando parti læsæ satisfacere debeat? 220.

Irregularitatem an incurrat sacerdos Excommunicatione minori ligatus, Sacramenta administrans? 268.

Jejunium Ecclesiæ, an violet cœnam sumens summo mane, ut expeditius laboret, 11. In eo dispensare *per se* quis possit, 201, De non servato rusticus se accusat, quid Confessario agendum, *ibid.* Quadragesimale frequenter violanti qualis pœnitentia imponenda? 254.

Jurare per Deum, qualiter peccet, 261. Item *per deum Bacchum*? 262.

L.

Libros in Indice vetitos legens an peccet, qualis ignorantia excuset, an detur in lectione parvitas, 349. An aliquam censuram incurrat? 350.

Locatio fundi. Quando et quomodo locator Conductori pro melioramentis factis impensas reficere debeat? 361 et seq.

M.

Maleficium, an tam perpetrans quam consulens incidat in casum reservatum? 52.

Malum. An ex duobus semper minus eligi possit? 355.

Manuscripta vetita an cadant sub *Indicis* prohibitione? 351.

Maritus frequenter ludens et bibens, qualiter peccet? 271.

Mater an possit prolem in lecto cum periculo præviso detinere et lactare? 238 et seq.

Matrimonii onera qui sustinet, an fructus pignoris percipere possit? 230.

Matrimonium contractum coram Parocho, qui falso putatur verus et legitimus, an valeat, 126. Contractum inscienter cum aliquo impedimento, et hoc elapso anno primum resciatur quid faciendum, 155. Coram quali Parocho contrahere debeat puella custodiæ causa in aliquo pio hospitali inclusa, 189. Clandestinum coram proprio Parocho celebratum, an valeat, 304. Taliter contrahentes *ipso facto* censuram an incurrant? 304. Non est idem *vagorum*, ac perigrinorum, 318.

Melioramenta facta. *Vide* Locatio fundi, etc

Mendacium an committat, promittens latronibus summam pecuniæ, ne ab eis occidatur, animo tamen urgendi restitutionem apud Judicem, 69. Leve in aliqua circumstantia an cohonestari possit? 353.

Missa si petatur pro defuncto in altari privilegiato si legatur vivorum, an satisfiat, et an æque utilis defunctis, 6. Missa et Officium præsente defuncti cadavere quomodo faciendum, 10. omittens in Missa Sabbato S. majorem partem Prophetiarum, an peccet, 16. Defunctorum cum celebratur sub ritu duplici, quid observandum sacerdoti circa preces præparatorias, 31. a quonam debeat fieri incensatio ad elevationem, 35. Tertia

oratio, si est ad libitum, in Missa, quænam adhibenda, 44. Si petatur pro infirmo vel alia vivorum necessitate, an satisfaciat quis legendo Missam defunctorum, 49. An in oratione Missæ, ex particulari devotione liceat addere cognomen alicujus Sancti, v. g. S. Franciscum Sales., 53. Sacerdote post consecrationem in syncopen incidente, quid fieri debeat, 57. An possit celebrari sine Ministro in die Festo, ut populus satisfaciat, 61. Officium, et Missa defunctorum, quomodo rite fiant, 65. Votiva de sponso et sponsa, si celebratur Matrimonium, an possit legi in Festo duplici, 81. Defunctorum an possit celebrari cum colore violaceo, in defectu nigri, 104. In Altari, ubi expositum est Venerabile, si celebratur, an tamen debeat collocari in eo imago Crucifixi, 125. Vide *V. Sacerdos.* An eam teneamur audire cum interna et externa devotione, 223. Celebraturus non habens stolam, 200. Deficiente Crucifixo, 202. In defectu candelarum cerearum, 224. In defectu Ministri, 228. Non habens purificatorium, 236. Non habens de Dominica, qualem sumere debeat, 210. Celebrans, an formula *Memento Domine* etc. secreto legi debeat, 234. Ad altare pergens recitat Psal. *Miserere*, an bene, 263. Post Missam loco cant. *Benedictus*, recitat hymnum: *Te Deum laudamus*, an bene, 266. In paramentis constitutus salutat alterum, an bene, 251. Celebrans angitur scrupulis de *valida* vel *licita* consecratione circa materiam consecrandam. Quid consilii? 343.

Missam celebraturus in Ecclesia quadam, ubi celebratur octava Patroni Ecclesiæ, qualiter se conformare debeat, 232. An in aliena Ecclesia de Martyre celebrans possit uti paramentis albi coloris, 215. Votiva de S. Marco Evang. an et quomodo legi possit, 254. Votiva de Passione Dom. extra hebdomadam Passionis cum Psal. *Judica, Gloria* dici debet, 257. De S. Laurentio in Vigil. Assumpt. B. V. qualem legere debeat? 270.

Mutuum an fiat usurarium, si ratione dilatæ solutionis aliquid ultra sortem petatur, 38. Vel an mutuatarius in hoc casu teneatur mutuanti reficere lucrum cessans et damnum emergens? ibid.

N.

Nomina fabulosa an in Baptismo Infantibus imponi liceat, 326. Item profana? 328 et seq.

Nuptiæ an et quomodo in uno ex festis Natal. Domini celebrari valeant? 278.

Nutrix contagioso morbo laborans, an possit prolem alienam lactare? 336.

O.

Obmurmuratores in Confessarium qui fœminas diu et frequenter in confessionali detinet, an non peccent? 346.

Occasionarius. Vide Consuetudinarius.

Occasionem irascendi, imprecandi dans, qualiter peccet? 203.

Officium Canonicum an possit recitari a Parocho de aliquo Sancto, cujus insignis in sua Ecclesia asservatur reliquia, quin in Martyrologio de eo fiat mentio, nec Officium ejus a S. Sede approbatum, 68. Defunctorum, quomodo celebretur tam præsente quam absente corpore, 160. Item, 65, 108, 118. De aliquo Sancto an possit celebrare sub ritu duplici Parochus recens promotus quod ex consuetudine introductum noscit, 183. *Officium Divinum* de Sancto quodam ex errore persoluto, an residuum alio die suppleri possit? 276.

Oleum simplex ab Episcopo non benedictum an moribundo in necessitate per modum Sacramenti adhiberi queat? 374.

Oratorium privatum privilegiatum habens an possit curare, ut legatur Missa in eo in SS. Nocte Nativitatis Domini? 153.

P.

Parochianus in contemptum sui Parochi diebus Dominicis et festivis in alia Ecclesia Missam audit, an bene, 308. Peccator publicus suum Parochum petulantissimis verbis insequens, an incurrat censuram aliquam? 326.

Parochus, qualis legitime assistat Matrimonio puellæ parentibus orbatæ, et apud patruum, apud quem alitur, habitantis, 20. Quandonam inter Missarum solemnia sermonem ad populum habere debeat, 74. In itinere pergens ad impertiendam S. Unctionem, rem habens cum muliere, quomodo peccet, 79. Recenter promotus, an propriis sumptibus teneatur reficere supellectilem et paramenta suæ Ecclesiæ, 82. An licite possit solemniter benedicere aquam in Sabbato S. in Ecclesia, ubi non est baptisterium, 86. An preces ab Ordinario præscriptas possit dicere statim post Evangelium ex causa ut ipsi videtur, rationabili, 93. an alio, pro indice, quo laborat, digito uti possit ad celebrandum in die Festo, ut populus satisfaciat præcepto, 98. Si est pauper, an licite cereo paschali quoad partem jam con-

sumpto addere possit aliam partem non benedictam, et de novo benedicere, 129. An possit fieri tutor infantis, defuncto ejus Patre, 159. An pro sepultura alienigenæ plus possit petere, quam pro Parochiani, 166. An quid petere possit pro celebrando et consecrando, et exponendo SS. Sacramentum a Sodalibus Confraternitatis cujusdam in suo districtu existentis, 192. An licite solvat de pecuniis ad Ecclesiam pertinentibus sacerdotibus pro adjutorio sibi præstito in administrandis Sacramentis propter populi multitudinem, 180. An possit terminum ad aliam devotionem Communionis Paschalis restringuere, 255. An die Dominica in privato Oratorio possit Missam celebrare et applicare? 258 et seq. An in privato Oratorio possit confessionem excipere, et Eucharistiam administrare, 260 et 261. Indesinenter exhortans suos Parochianos ut Ecclesiam parochialem frequentent, an bene, 308. Ecclesiæ suæ tantas expensas agit, ut parum supersit quod det pauperibus, an recte, 356. An benedictionem apostolicam Capellano pro Infirmo subdelegare possit, 376. An bene reprehendat eos, qui *armati* Ecclesiam ingrediuntur, atque sub Sacro *pileolis*, vel *reticulis* capita cooperiunt, 378. Qualiter admonere debet eos, qui coram ipso Matrimonium clandestinum *dolose* contraxerunt, 305. Quomodo se gerere debeat erga eos, qui taliter *dolose* et clandestine contrahunt, 306. An ad contrahendum Matrimonium filiumfamilias, inscio et contradicente patre, admittere possit, 312. An, obtenta etiam licentia, possit copulare peregrinos, quos antea putabat esse vagos, 318. Quinam Parochorum possit assistere contrahenti, ab uno loco in alium domicilium transferenti? 319.

Paschalem Communionem sine justa causa an liceat differre? 255.

Patrinum qualem liceat eligere? 330 et seq.

Peccatori mollitiei assueto qualis pœna medicinalis sit imponenda? 217 et seq.

Perjurium an perpetret, jurato accusans aliquem furti alicujus revera commissi, quem tamen hujus reum neutiquam judicat? 64.

Pignoris fructus. *Vide* Gener.

Pœnitentiæ administratio an pro libitu absque cæremoniis et ritibus ab Ecclesia præscriptis licite sit, 293. An in habitu communi et familiari, etc.? 294 et seq.

Præcepto de audienda Missa die festo, quomodo satisfaciat? 223.

Præceptum Ecclesiæ de audienda Missa an implcat ædituus tempore consecrationis campanas pulsans? 111.

Pretii anticipata solutio an usuram inducat? 236.

Promissio per modum *pœnæ* adjecta in contractu sponsalitiorum a sponso resiliente an servari debeat? 366 et seq.

R.

Relapsus media, 198. Item 217, et seq.

Religiosus an possit eligi et constitui Arbiter a litigantibus ad decernendam litem? 163.

Reliquia cujus qualitatis esse debeat, ut licite de ipsa Officium solemniter celebrari possit, 176. S. Crucis quomodo adorari, et thurificari oporteat, 186. An liceat cum hac benedicere populum? 138.

Restitutio quomodo facienda circa furta minuta, 18. Uxor an teneatur restituere debita a marito contracta, 32. Item an jus habeat contra ipsum male vivendo omnia dilapidantem, 33. Pastor ovium alienarum, si furto auferantur aliquæ, an restituere teneatur, 142. Restituere damnum an teneatur delictum manifestans alterius jam diu emendati, 144. Studio deformans in facie aliquam virginem, quomodo restituere teneatur, 182. Sues, ne noceant vineæ suæ, expellens et insperato aliquem occidens, an teneatur restituere, 185. An restituere teneatur puella pecuniam, ob defloratione ipsi clam factam, acceptam, si nullum ex ea damnum passa sit, 183. Restituere quomodo teneantur destructores seminum in campis, 188. An teneatur restituere inventor rei dum famulo, cui rem domino restituere commisit, latrones eam subito surripiunt, 194. Fructus pro media parte alteri comparti quomodo fieri debeat ratione damni illati? 273.

S.

Sacerdos S. paramentis indutus, ad celebrandum procedens, signo Crucis se munire solet. An bene, 25. Non curatus in Confessionali sedens cum persona extra stante turpia loquens, an denuntiandus, 50. Vel si talis in Confessionali sedens aliquam personam ad turpia sollicitat, an denuntiandus sit, 59. An teneatur celebrare in necessitate, ut populus satisfaciat præcepto, 75. An licite et bene ponat sudariolum super calicem in ingressu ad Altare, 78. An peccet nimis properanter Missam celebrando, 101. Celebrans in die Natalis Domini, aquam ex errore infundens in Missa et sumens, errorem advertens, an tamen duas

reliquas Missas legere ipsi liceat, 196. In lethali peccato constitutus in defectu Confessarii, an possit celebrare in die Festo, elicita contritione, ut impleat præceptum audiendi Missam, 16. An possit cum excommunicato colloquia, et tractatus habere, 268. Suspensus, an possit in alia Diœcesi Sacrum facere, 334. In paramentis constitutus, an possit alterum salutare vel resalutare, 248. An consortium aliunde honestum quandoque ob scandalum debeat fugere, 266. Missam celebrans, verba consecratoria nimio anhelitu profert, an bene, 317. An *licite* possit in Cœna Domini extra Parochiam Eucharistiam sumere? 324. Sacramenta administrans. *Vide* Parochus.

Secreta revelare ut non consequatur beneficium an in casu quodam licitum sit? 352.

Secretum an servare teneatur, sciens furtum aliquod committendum, si non revelet, 66. Item an talis nomen furis possit manifestare? 67.

Sepultura an possit eligi a parentibus pro filia in impubertate mortua, in quacumque Ecclesia, 41. An liceat Parocho vel Clerico persuadere aliquem, ut in sua Ecclesia sepulturam eligat? 172.

Sigillum sacramentale an servare teneatur subito audiens prope confessionale existens, alterius confitentis peccatum? 99.

Simonia an sit, quando propter temporale *principaliter* negatur spirituale? 357, et seq. *Vide* Beneficium.

Sponsalia jurata contrahens cum vidua an possit resilire, ex post resciens, sponsam antea fornicasse, 58. An liceat resilire ob vitium ignotum in comparte postea deprehensum, 71. An liceat sponsæ contrahere alia, si sponsus se diu non amplius insinuat neque verbo neque scripto, 80. An liceat resilire sponsis, dum uterque cum aliis rem habuerunt, 84. Contrahentes, et ante contractum Matrimonium carnaliter peccantes, an possint absolvi a simplici confessario, 177. Contrahens puella cum aliquo, postea autem illum odio habens, an possit resilire, 187. De futuro etiam juramento firmata, insciis parentibus, occulte contracta illicita an sint, 311. Talia an licite et libere rescindi queant, *ibid.* Sub quo peccato obligent, 366. Ab iis irrationabiliter resiliens, *ibidem.* Appositampœnam (si resiliat) an persolvere teneatur, 367 et seq. Contracta cum duabus, cui standum? 308.

Sponsus cum sponsa peccans extra Diœcesim, qualiter pœnas incurrit, et a quonam absolvi possit? 213 et seq.

Stipendia pro Sacris an liceat differre? 279.

Suffragia. Vide Commemoratio.

Symbolum Nicænum, an debeat dici in Festo alicujus Sancti, in cujus honorem Altare Deo est erectum, 158. Item in diebus Rogationum in Missa, si est dies Dominica, vel Ecclesia in ejusdem Sancti honorem consecrata? 169.

T.

Testamentum faciente et in eo sepulturam in certa Ecclesia sibi eligente, exorta post mortem ejus lite, quid faciendum, 22. Coram Parocho et testibus factum, ab aliquo graviter, sed non periculose ægroto an sit validum, 87. Executor testamenti legatum pium adimplere differens, an peccet, 94. Differens solutionem dotis ex testamento relictæ, quomodo peccet? 96.

U.

Unctio Extrema, in fronte solum ob periculum ne subito moriatur ægrotus collata, cum hac tamen forma, *quidquid deliquisti per visum etc.* si ægrotus adhuc vivat, an debeat repeti ex toto, 148. *Extrema* cum oleo non benedicto an habeat rationem Sacramenti? 374.

Usura est mutuatario ultra solutionem aliam obligationem imponere? 276

Usurarius an sit, qui ex pecunia mutuo accepta sperat lucrum, 370. Item, qui alteri pecuniam mutuat cum *principali* intentione illius benevolentiam captandi, 371. Item, qui ratione mutui alterum obligat ad famam restituendam frequentatione suæ officinæ, 372. An liceat cum usurario contractum societatis inire, 339. An reportato lucro teneatur in *solidum* restituere, 340. Usurario an liceat pecuniam custodiendam permittere? 341.

Uxorata vel vidua, vivente ejus patre, an remaneat sub ejus potestate? 359 et seq.

V.

Vendens rem fraudibus ac mendaciis majori pretio, an agat contra justitiam? 265.

In Venditione tritici Contractus qualis sit licitus? 235.

Verba obscœna coram fœmina in clausura degenti an inducant casum reservatum? 247. Verba obscœna et scurrilia prolata coram aliis, quo modo sint peccaminosa? 240.

Vinum subacidum an admitti possit ad Sacrificium Missæ? 221.

Votum peregrinationis ad limina Apostolorum, quomodo commutari debeat, 54. Item an Parochus taliter commutans partem expensarum, quæ fieri ratione itineris debuissent, in favorem suæ Ecclesiæ assignare possit, 120. Emissum ab aliquo, vehementi ira abrepto, an valeat, 73. Jejunandi in profesto alicujus Sancti, an obliget, si incidat in diem Dominicam, 24. Dispensationem voti simplicis castitatis an exequi possit Confessarius in tali, qui petit in ordine ad ducendam certam personam, sed mutato postea animo aliam vult ducere, 120. An opera, in commutatione voti injuncta, ab alio Confessario iterum commutari possint, 191. Impuberis an pater irritare possit? 294, et seq.

FINIS.

239.6
L.176

4813

LAMBERTINI Prosper

AUTHOR

Casus Conscientiae
Tomus III 1762-1769 Bononiae

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

4313